15

c
a.28.

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT


Accession Number

Press Mark
VINK, D.

63412/A

[illegible]

57



de Leth inv. et fec.

DANIELIS VINK
Med. Doct.

AMOENITATES
PHILOLOGICO-MEDICAE.

IN QUIBUS

MEDICINA a SERVITUTE

LIBERATUR.

Nam praeter ejus Originem, Progreſſum, Praeſtantiam, Neceſſitatem, Uſum, Praemia Honores atque Privilegia Medicis conceſſa

INQUIRITUR,

An Medicina Antiquitus fuerit ſtudium Illiberale, Servisque tantum proprium.

TRAJECTI ad RHENUM.

Apud GUILIELMUM CROON, 1730.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

Quintil. Lib. II. Inſt. Orat. Cap. XX.

Multa fiunt eadem, ſed aliter.

Juſtus Lipſius ad Cap. I. Lib. I. Doctr. Civil.

Lapides & ligna ab aliis accipio: aedificii tamen exſtructio & forma, tota noſtra. Architectus ego ſum, ſed materiam varie undique conduxi. Nec aranearum ſane textus ideo melior, quia ex ſe fila gignunt. Nec noſter vilior, quia ex alienis libamus ut apes.

PERILLUSTRI & NOBILISSIMO

VIRO

RUDOLPHO LEUSDENO

MEDICINAE DOCTORI, CAPITULI D. JOANNIS CANONICO, IN ILLUSTRES AC PRAEPOTENTES REGIONIS ULTRAJECTINAE ORDINES PRIMI LOCI ALLECTO, EORUMQUE NOMINE NUPER COLLEGIO, QUOD FOEDERATI BELGII, NUNC VERO QUOD REIPUBLICAE TRAJECTINAE RATIONIBUS PUTANDIS PRAEEST, ADSCRIPTO.

Veterum fuiſſe agricolarum conſuetudinem, ut primitias

ſuis apponere ſolerent Diis, veneranda antiquitas nobis reliquit. quas cuique pro copia ſua offerre licitum erat: nam quemadmodum Ditiores tus myrrhamque litabant, ita lac ſalſaque mola, ſi paupere de grege darentur, a Diis non ſpernebantur. Nulli enim vitio erat Deos colere, quoquo modo poſſet. Proinde ego Tibi, VIR PERILLUSTRIS, has ingenii mei offero primitias. Quod gratitudinis genus tanti omni tempore fuit habitum, ut ſummo ipſi Numini non aliud magis placuiſſe videatur. Imo ipſa animalia hominibus, a quibus auxilium percepere, auctore *AEliano* (a), referunt gratias, &

(a) Lib. VIII. de Anim. Cap. III. & XXII.

& grata vel longiori memoria beneficia percepta continent. Adeoque quia nihil certius animum beneficiorum memorem ſapit, quam ſi ea iis in ſinum quaſi refundamus bona, quorum gratiae, quicquid eorum habemus, in acceptis referre tenemur. Nec alius hujus mei, quod Tibi deſtino, munuſculi ſcopus eſt. Tui enim eſſe beneficii, ſi quid, quod ſolidioris doctrinae ſpeciem prae ſe fert ullam, in me eſt, profiteri laudi duco. Nam cum ea mea fuerit felicitas, ut in Celeberrima Trajectinorum Academia, quam Tua tum eruditione celebriorem reddebas, tirocinium meum Medicum ſub exoptatiſſimis Tuis auſpi-

ſpiciis deponere potuerim, atque a Te Medicinae Sacris initiatus fuerim. Occaſionem certe graviſſima Tua praecepta pro mei ingenii modulo avidius hauriendi nactus ſum deſideratiſſimam. Tanta enim Tuae tum erat vis Suadae, in explanandis abſtruſiſſimis perſpicuitas, tantum rationum exquiſitarum pondus, ut cunctos ad ea, quae proferebas, redderes attentos, cunctis omnia ſiſteres plana atque aperta. Non dicam enim hoc loco de ſingulari induſtria, qua me juvenem formare & eruditiorem reddere conatus es; nec item de beneficiis, quae mihi meisque innumera

mera praeſtitiſti; quorum colam memoriam, dum mihi vitali aura veſci dabitur. Hinc cum iſta ſeſe obtulerit occaſio, qua, quam Tibi, VIR PERILLUSTRIS, me ſentiam obaeratum, publice teſtari queo, piaculi reus mihi viſus fuiſſem, ſi eam e manibus dimiſiſſem meis. Nec ab hoc propoſito, licet prorſus ab eloquentia ſim deſtitutus, ac probe noverim, quam curta mihi ſit ſupellex, me deterrere potuit virium tenuiorum conſcientia, etenim quamvis ſortis meae humilitas non patiatur, ut pro infinitis, quibus me devinxiſti, meritis aliud, quam gratae mentis ſignifica-

tionem, dependam; ne ſperne quaeſo, hoc Litterarium munuſculum, quod licet ex alieno theſauro deproptum, Tibi mittere non dubitavi. Non me latet quidem, quod, cum magnos magna deceant, excelſis exigua non ſint offerenda. Verum ſi quisquam latifundiorum bene ſaginatorum non ſit poſſeſſor & nihilominus e tuguriolo & ruſculo ſuo pro re nata venerandi potius, quam magnifice quidquam offerendi ſtudio voluntatem magis, quam vires it probatum, ejus conatum generoſae mentes non omnino mala gratia dignari aſſolent. Quum igitur ea ſit virtutum Tuarum temperies, ut ſumma humanitas politiorum litterarum exquiſita cogni-

tione comparata cum reliqua ſublimium virtutum ſyndrome jucundiſſimam fecerit mixturam, ea mihi crevit audacia, ut haſce *Amoenitates Philologico-Medicas* Nomini Tuo inſcripſerim. Suſcipe igitur has, VIR PERILLUSTRIS, primitias, & ſine ut Tuo ſub praeſidio in lucem emittantur; nam mei labores Tuo muniti patrocinio ſecuri per hominum manus divagari poterint, talique ego ſub Tegmine tutus a malevolis ero. Caeterum latiſſimus hic mihi de virtutibus Tuis dicturo campus aperiretur, in quo unde inciperem plurimum, ubi deſinerem, vix quicquam reperire ſit. At confiteri coactus ſum, pigere, meique me poenitere, quod tam pau-

pauper meus eruditionis apparatus, & non ea mihi dicendi facultas ſit, quae virtutum Tuarum eximium decus honore verborum poſſit aſſequi: non quod id Te velle exiſtimem, ut laudum Tuarum praeconium ore ſuffecturo detonetur; nam illud non permittit Tua humanitas & modeſtia ſingularis, quae praeter voluntatem Tuam illas laudes, utut meritiſſimas, proſequi vetat: ſed ut, cum cives Tui, quibus quotidiana praeſtas beneficia, tum Respublica, cujus primas tenes partes, cujusque ſalutem atque gloriam ſaluberrimis conſiliis tueris, aliquam ſaltem Tui partem a me deſcriptam poſſint agnoſcere. Apellem tradunt tonitrua, fulmina, tempeſta-

tes

tes, & quae pingi non poſſe viderentur, coloribus adumbraſſe, magnumque ſibi nomen ea re, multumque favoris quaeſiviſſe, quod illa, quibus nec aures, nec oculi ſufficerent, ipſe jam ſibi traderet ſpectator, & vix tamen oculis ſuis crederet. At quid illud in pictura quaeſo fuit, quod oculos hominum tenuit? Num fragor horrendus convexa coeli tremifico ſono concutiens, aut albicantes, ut quondam Poëtae fabulati ſunt, Magni Jovis quadrigae per aequora nubium intolerando ſtrepitu decurrentes? Num ex colliſis nubibus accenſus ignis, edita montium, templorum, turriumque culmina, & quicquid in terris eminet potiſſimum dejiciens; aut

aut invia mundi viſcera penetrans, & quacunque tranſierit, cuncta flammis adurens ac devaſtans? Num volucris ventorum furor, invictis undique turbinibus omnia ſusque deque ferens, & inſtar pulvereae nubis immania ſaxorum pondera contorquens, terrarum intima concutiens; extima convellens, & omnia coeli latipatentis ſpatia ululante mugitu pervagatus? Deficiunt ad haec miracula humanae manus; & acumen mortalis ingenii ad tantum naturae faſtigium non pertingit. Quaenam igitur fuit haec Apellis gloria? Unde iſte plauſus, & omnium favor? Expreſſerat imaginis imaginem; idque tam belle, ut in re maxima permagnum aliquid fe-

ciſſe

ciſſe videretur. Ipſa quin etiam novitas, quae plurimam plerumque rebus non ante viſis gratiam conciliat, haud exigua intentati prioribus operis pulcritudini fuit acceſſio. Sit fortaſſis inter hujus aevi eloquentes alius Apelles, qui ponderibus verborum ſententiarumque coloribus vim Tui conſilii, prudentiae pondus, ac eruditae facundiae inexhauſtam facultatem ad ſtuporem uſque depingat, ubi cum maxime rem ſibi factam putaverit, plus tamen operis experietur ſupereſſe, quam perfecerit. Eo mihi paratior venia erit deficienti, quod vel validiſſimum tanti ponderis onus poſſit obruere. Simpliciter igitur dicam, quod copioſius animus ſen-

tit

tit, quam lingua profari poſſit: *Ago*
Tibi *gratias*, VIR PERILLUS-
TRIS, quas cum referre non liceat,
ſemper habebo. Calamo quidem
haec & ore proferuntur: ſed inte-
rius animi ſecretum commiſſam ſibi
Tuorum beneficiorum memoriam
ſingulari fide ac ſanctitate conſervat.
Interim Deum T. O. M. ſupplex
exoro, ut Tibi, VIR PERIL-
LUSTRIS, Neſtoreos, eosque
omni felicitate redundantes, con-
cedere dignetur annos; quo diu-
tius Patriae Patrem exiſtere, Am-
pliſſimae Tuae Familiae ſplendorem
altius evehere, mihi vero eorum
qui Nomen Tuum venerantur hu-
millimo quidem, obſequiorum ta-
men promptitudine & honoris ſin-
cerii

cerioris cultu, quantum in me eſt, nulli ceſſuro, favere valeas. Sic precor.

ILLUSTRISSIMI NOMINIS TUI

Dabam Traj. ad Rhen. Kal. Octobr. MDCCXXX.

DEVOTUS CULTOR,

DANIEL VINK.

LECTORI BENEVOLO.

Fuit olim Proverbium tota Graecia celeberrimum maximeque uſurpatum, Ἣν ἔλαγες Σπάρταν, κόσμει, Spartam quam nactus es, exorna. *Cujus Adagii origo primum ab ipſis Spartanis civibus nata fuit, ſeſe inter ſe ad civitatis ſuae dignitatem pro virili amplificandum, communi iſta & populari voce cohortantibus, poſtea vero ita celebratum eſt, ut ad quaſvis honeſtas atque probatas res accommodaretur. Quam ego vocem cum ad me quoque pertinere, exiſtimarem, eam omnino negligere aut pro nihilo habere nolui; ſed ea inflammatus tanto ardentius iis ſto promiſſis, quae anno praeterito feceram, cum ad Gradum Doctoralem adſpirans Diſſertationem quandam de Medicinae Praeſtantia ſcripſerim, quam tunc duntaxat ſchema*

am-

amplioris indagationis dixi. Occaſionem vero primam hujus opuſculi, L. H. paucis expediam. Cum mihi in Palaeſtra Academica militanti fors dederit commilitones quosdam Studiis Humanitatis gnaviter operam dantes, quibuſcum mihi licuerit ſingulis hebdomadibus aliquot doctis ſermonibus fallere horas, ut conſtaret, quos quiſque fecerat in Litteris progreſſus. Inter hos alter meus Oreſtes Arnoldus Arntzenius *Theologus, vir ſingularis pietatis & eruditionis; ſed proh dolor! Orbi Litterato nimis mature ereptus, Hic, dico, mihi continuo incitamentum dedit, calcaribuſque impulit, ut contra illos, qui alto ac cenſorio ſupercilio, tanquam ex Apollinis tripode pronuntiarent, Medicinam apud Romanos tantum Artem Illiberalem, homineque ingenuo plane indignam fuiſſe, Medicorum, ne temere eorum Arti conſecratus viderer, tuerer partes: in quo praeſtando mihi non raro tum conſilio cum inſtructiſſima ſua Bibliotheca profuit. Quod gratitudi-*

nis cauſa hic memoro erga Manes tam fidelis candidique amici, de cujus probitate atque eruditione ſumma nunquam ſatis, ut merebatur, aut dixi, aut dicere potero. Deinde paucis annis interjectis catalogo Medicorum adſcribi ambiens non incongrue credidi, ſi eandem materiam, quoniam ex Actis Eruditorum *intellexeram cum maxime hanc aleam inter Angliae Litteratos acriter agitari, brevibus verbis delinearem. Ex quibus minimis initiis hoc qualecunque ſit opuſculum, ſuum habeat ortum. Ad titulum quod attinet, huic opuſculo inſcribere non veritus fui* Amoenitates Philologico-Medicas: *primo ad imitationem* Joannis Fabritii, *qui Amoenitates Theologicas compoſuit,* AEgidii Menagii, *qui Amoenitates Juris Civilis edidit,* Joannis Strauchii, *qui Amoenitates Juris Canonici ſcriptis reliquit;* Chriſtiani Falſteri, *qui Amoenitates Philologicas conſcripſit, &* Theodori Janſſonii ab Almeloveen, *qui Amoenitates Theologico-Philologicas*

cas

cas propoſuit: ſecundo quia Amoenitates Medicas, quod ſciam, ex profeſſò exhibuit nemo. Amoenitates Materiae Medicae quidem duobus Libris inſcripſit Georg. Wolfg. Wedelius, *verum ille in medicamentorum qualitatibus, diſtributione, ac deſcriptione totus occupatur. Ego vero in Origine, Progreſſu, Praeſtantia, Neceſſitate, Uſu, Honoribusque &c. Medicinae recenſendis meum impendam laborem, nihil enim profeſſioni meae magis conveniens reperire potui. Nec quicquam certe Medicinae Amoenitates evincere, facile coargui poſſe confido, ſi tantum animum ad ea, quae cenſurae ſuae ſubjicit, applicemus; quippe nihil fere eſt, quod hominis oculis objiciatur, cujus non intima penetralia & abditas naturas perſcrutetur. Etenim ante omnia admirabilem hominis fabricam, & divinae imaginis domicilium pervadit, & perluſtrat; ejus incunabula & primordia diligenter inveſtigat, contignationes, compages, & ar-*

tificioſos nexus cum admiratione aſpicit; actionum munia & operationum miniſteria, ordine diſpoſita, velut in operoſa officina, cum ſtupore obſervat. Magnifico inſuper huic Sapientiſſimi Architecti aedificio impetum & ruinam minitantia ſtudioſe notat; & quibus contra ſartum tectumque conſervari, collapſum inſtaurari, cito tutoque poſſit, avide perquirit; quo tramite pergens, in ſublime evolat, & coelorum pellucidum nitorem & ſiderum vagabundos curſus, regiaque habitacula, & quae inde fluunt, virtutes orbis inferioris moderatrices, ſedulo contemplatur. Ab hinc aëris nunc amoenitatem ſalubrem, nunc triſtes tempeſtatum vultus, nunc vehementes a ventis concuſſiones, nunc quae in eo fiunt, animos hominum ſuſpenſos tenentia, oſtenta intente contuetur. Inde in terrae & circumflui maris latifundium ſe demittit, perque id vagabunda oberrat, & camporum viridem, floridum & ſumptuoſum amictum; lucorum &

ſyl-

ſylvarum umbroſa, & quae perflat reficiens aura, loca; amnium ſuavi ſonante ſtrepitu defluentes undas, & fontium cryſtallinas ſalientes aquas, ſumma induſtria perpendit. Quin & altius ſubiens, quaecunque ex patefactis terrae faucibus & latentibus cuniculis, aquarum abyſſis, eruuntur & eximuntur, ingenioſe ſcrutatur. Nec his contenta gradum ſiſtit, ſed inſuper Pennigeros aëris Hoſpites, Squammigeros aquarum Errones, Quadrupedes & Reptiles terrae Colonos, omnes adeo animalium Choros dignoſcit, in eorumque naturas inquirit. Medicina itaque, ut patet, omnes mundi angulos perambulat, & quicquid univerſa tellus producit, acri judicio examinat: nec ut otioſus ſpectator, qui trans mare currit, coelum non animum mutans in his verſatur, ſed tanquam ſtudioſa apis, aut laborioſa formica cuncta, quae hominis, utpote cujus gratia omnia facta ſunt, praeſentem ſanitatem tueri, fugientem morari, & deperdi-

tam reſtituere valent, exſugit, colligit, congerit, & artificioſe diſponit. Quid igitur hac Scientia amoenius? Imo quis nunc Artis hujus majeſtatem, quae Principi Viro etiam ornamento eſſe poteſt, non videt? Quis nunc, cur a multis Magnatibus ſummo loco fuerit poſita, quaerit? Quis nunc amores & honores a Principibus ejus alumnis falſo tributos dicet? Quis ampliſſima ſtipendia, Artis miniſtris diſtributa, invidebit? Quantum vero tum ornamenti, tum documenti, tum voluptatis ex hac, tanquam limpidiſſimo fonte, Reges, Principes ac Magnates haurire poſſint, hoc loco non adumbrabo, ſed id ſatis ſuperque conſtare arbitror ex Catalogo, ipſo in opuſculo dato, ex quo cognoſcimus quot & quantis Regibus atque Principibus intima Medicinae penetralia inquiſiviſſe in deliciis fuit. Caeterum ad ipſum quod pertinet opus. Cujus dicam haeſito, meum an aliorum. Meum ſaltem ratione diſpoſitionis, aliorum reſpectu

ſpectu

ſpectu materiae atque verborum fateor. Etenim detrectare nolo pleraque aliunde eſſe tranſlata, attamen expreſſis ſemper nominibus eorum, unde mutuati ſumus: quod ſatis a plagii ſuſpicione me vindicare puto. Vel ſi quid noſtrum eſt, idem nihilominus apud alios reperias; & elegantius forſitan aut copioſius. Quippe Ter. *in Prol. Eun. ℣ 41. jam profeſſus fuit* Nullum eſſe dictum, quod non ſit dictum prius. *Adeoque apes imitatus, quae apud diverſos diſperſa reperiuntur, collegi; ut inde breve illud florum corpuſculum componerem. In quo veſtigia preſſi ſcriptorum tam veterum quam recentiorum; qui alios ſuorum confirmandi gratia advocant, eorumque haud raro adducunt verba. Nec id injuria ſecundum* Auguſtin. *Lib. IV. de Doctr. Chriſt. Cap. V.* Quanto enim quis ſe pauperiorem cernit in ſuis, tanto eum oportet in iſtis eſſe ditiorem, ut quod dixerit ſuis verbis, probet ex illis, & qui propriis verbis minor erat, magno-

 rum

rum teſtimonio, quodammodo creſcit. Probando enim delectat, qui minus poteſt delectare dicendo. *Nemo igitur mihi vitio vertet, ſi aliquando res, quas varia ex lectione hauſi, ipſis proponam verbis: praeſens enim libellus nec eloquentiae oſtentationem, verbis* Veget. *in Praef. Lib. I. de Re Milit. utor,* nec verborum concinnitatem, nec ingenii acumen; ſed laborem diligentem & fidelem requirit. *Ulterius an omnibus hoc opuſculum evolventibus placuerit, illud mihi perſuadere non audeo, nec poſſum, novi enim homines, quibus omnia aliena ſordent, & qui, quod ipſi ſe aſſequi poſſe diffidunt, irrident, proinde ac* Vulpecula illa *apud* Phaed. *Lib. IV. Fab. II.* quae uvas acerbas dictitabat, quarum compos fieri non poterat. *Nimirum ſic agentes, ut, niſi quod ipſi ſciunt aut faciunt, nihil praeclarum putent; ac ſummam in eo gloriam collocant, ut maligne omnia vituperent, dum ipſi in tenebris latentes, labantes diſciplinas fulcire nequeunt,*

vel

vel certe nolunt. at tales nihil moror. Quippe uſus ſum Quintil. *Lib. XII. Inſtit. Orat. Cap. VI. conſilio, hoc pacto me monentis:* Nec rurſus differendum eſt tirocinium in ſenectutem. Nam quotidie metus creſcit, majuſque fit ſemper, quod auſuri ſumus: &, dum deliberamus, quando incipiendum ſit, incipere jam ſerum eſt. Quare fructum ſtudiorum viridem & adhuc dulcem promi decet, dum & venia & ſpes eſt, & paratus favor, & audere non dedecet: &, ſi quid deſit operi, ſupplet aetas &, ſi qua ſunt dicta juveniliter, pro indole accipiuntur. *Interim tamen, ſi quid ſit erratum, me ſaniorum judiciis ſubmitto; Omneſque idcirco etiam atque etiam rogo, ut errata benigne ferant; quod conſequutus ſi fuero, cum* Horat. *Lib. I. Od. I.* ℣. 36.

Sublimi feriam ſidera vertice.

Tandem denique, ne in hiſce ſine omni prorſus ordine oberremus, ſeries inſtituti operis haec erit. I. Contemplabimur,

bimur, quae de Medicinae Origine ac Progreſſu antiquitas nobis obſervanda reliquerit. II. Quae ſit Praeſtantia, Neceſſitas atque Vſus Medicinae, nec non quae Privilegia, ac Honores Medicis inde fuerint conceſſa. III. Denique an hanc Artem dignam judicaverint Quirites, ut ei Romana gravitas operam daret, an ſervis potius & libertinis commiſerit? Poſtremo num paucorum veterum tenuitas noſtratibus obeſſe queat.

VIRO ERUDITISSIMO,

DANIELI VINK, M.D.

Strenue honores Medicorum adſerenti.

Candida Poſteritas, medicas quod traderet artes,
Phoebum divino juſſit honore coli.
Qui Medicus Medicis neglectos reddis honores,
Praemia ſi meritis, jam Deus alter eris.
Ars medicina docet fugientem ſiſtere vitam,
Et docta reparat languida membra manu.
Ipſa ſed Ars, nulla cum poſſet ab arte levari,
Te Duce, Te Medico laſſa petivit opem.
Eſt dubium, Medico Tibi major laus ſit, an illi,
Qui Deus inventa nomen ab arte tulit.
Vinces, ingenuis fora ſi commiſſa Puellis,
Praeponent rapto corpora viva Deo.

JOANNES ARNTZENIUS. JCTUS.

EXPERIENTISSIMO
VARIAQUE ERUDITIONE CONSPICUO VIRO,
DANIELI VINK, M. D.
CUM
AMOENITATES PHILOLOGICO-MEDICAS
IN LUCEM MITTERET
FELICITER!

Auſpiciis, Vinki, mittis cum ſcripta ſecundis,
Quîs ſtudeas doctum conciliare decus.
Quid Medicina Tibi, pulcra quae ſorte beata eſt,
Debeat & Medicus cauta Camoena ſilet.
Hoc referant alii, quorum generoſa decenti
Pectora, qui Coelo mittitur, igne calent!
At mihi ſufficiat laetos attollere plauſus,
Cum ſtatuas Famae clara Tropaea tuae.

Cum

Cum Tibi ſurgat honos; nullo periturus ab aevo,
Quem nec tempus edax nec Libitina feret.
Gratulor acceptum decus atque, laboribus actis,
Nomina, quae ſtudiis ſunt bene parta tuis.
Mox, ſi quid poterunt parvi praeſagia Vatis,
Si quid Amicorum noſtrave vota valent;
Fulgebis, Batavo fulgent ut ſidera Coelo,
Atque eris in doctis gloria ſumma choris.
Dum Juvenes pariterque Viri pariterque Puellae
Te celebrent cantu, quod juvat uſque, ſuo;
Inter & Heroum laudes tua facta renarrent!
Ipſe ego, ſi liceat, carminis auctor ero.
Quo feror, ah! me parva decent, ignoſce fatenti!
Haec Tibi dedecori ruſtica Muſa foret.
Pignus amicitiae, quo nil Tibi carius umquam,
Sincerumque animum picta tabella dabit.

Dum

Dum tua Pallas erit LEUSDENI tegmine tuta;
Incorrupta, precor, ſtet ſine labe fides!
Vive, vale & per Te tenebroſi portitor orci
A ſibi commiſſo ſaepe labore vacet!

OTTO ARNTZENIUS.

J. U. D.

AMOENITATES
PHILOLOGICO-MEDICAE
SECTIO PRIMA.
CAPUT. I.
De Diis Medicinae Inventoribus.

I.

Medicina eſt, ſecundum *Clar. Boerhavium* in Inſtitut. Med. §. 22. *Scientia eorum, quorum applicatorum effectu, vita ſana conſervatur, aegra vero in priorem reſtituitur ſalubritatem.* Alii, ut *Galen.* in Medic. Cap. V. Medicinae definitionem aliis quidem verbis exhibent, at res eodem redit; quare, quia idem deſignant, ſciens prudenſque praetermitto. Haec definitio ſtatim prodit tantam materiam ac ſegetem laudis, Medicinae propriae, ut in limi-

 ne

ne haeream, incertus propemodum, unde faciam initium laudandae iſtius Artis, quae jam olim a *Celeb. illo JCto Tiraquello* de Nobil. Cap XXXI. §. 1. habita fuit, omnium artium ac doctrinarum Nobiliſſima, aut certe nulli poſtponenda. Vid. *Land.* in Praetermiſſ. ap. *Cl. Ott.* in Tom. III. Theſ. Jur. pag. 1460. Sive ipſius originem & initia, incunabula, progreſſus, ſive auctus & incrementa, ſive materiem, ſive finem, ſive eos, qui eam exercuerunt, & omnia denique, quae ad eam pertinent, reſpicias.

II. Incipiam tamen ſecundum ordinem mihi propoſitum ab Artis origine, quae ſive *Hebraeos* ſequamur, ſive *AEgyptios*, *Graecos*, *Romanoſque* ab ipſa Divinitate manavit. Nullum enim eſt dubium, quin ea Deum habeat auctorem, quippe quotquot unquam a Condito Mundo vixerunt homines, uno omnes ore ac conſenſu Medicinae initia Diis immortalibus adſcripſerunt. Nam ut a *Moyſe*, omnium eorum, qui exſtant, ſcriptorum antiquiſſimo, teſte *Camer.* Cent. I. Oper. Subcis. Cap. XCVII. exordiamur, hic certe *Gen.* Cap. I. ℣. 28. Deum O. M. una cum naſcente mundo, herbas, ſtirpes, & arbores fructiferas, itemque animantia, & alias res univerſas, quibus in hodiernum uſque diem ad tuendam ſanitatem & propulſandos morbos utimur, e nihilo condidiſſe, omniaque in homi-

hominis uſum largiſſime conceſſiſſe diſerte ſcribit. Et Moyſis veriſſimi Vatis ſententiam *J. Syrach*, inter Hebraeos vir ſingulari pietate, variaque rerum cognitione praeditus Cap. XXXVIII. ℣. 1. ſui Libri confirmat, & Medicinam, ut Dei munus agnoſcit, ſtatuitque Medicum Dei beneficio inter homines verſari, cum dicit: *Honora Medicum propter neceſſitatem, etenim creavit illum Altiſſimus, a Deo enim eſt omnis medela, & a Rege accipiet donationem, diſciplina Medici exaltabit caput ejus & in conſpectu Magnatum collaudabitur; Altiſſimus creavit de terra Medicinam, & vir prudens non abhorrebit illum. Cede locum Medico, Dominus enim illum creavit.* Hinc olim quoque *D. Auguſtinum* dixiſſe, *corporis Medicinam nullibi ad nos deſcendiſſe, quam ab ipſo Deo*, docet *Bernagie* in Diſſert. Med. de Prim. Med. Inventor. pag. 12. Praeter quem *Vejelius* in Diſſert. Epiſt. de Summ. Dignit. & Praeſtant Studii Medici pag. 3. id affirmat ex *Theodoreto* in Orat. 4. ubi haec habentur: *Quia vero Deus, qui te mortalem in hac vita condidit, ſcivit te morbis quoque exercendum fore (quod enim mortale eſt, aegrotationibus quoque ſubjacet) ſimul & Medicam Artem te docuit, cujus ſcientiam morborum incurſionibus oppoſuit* Pluribus hanc ſententiam ſtabiliverunt *Rod. a Caſtro* in Med.

 Polit.

Polit. Lib. I. Cap. IX & Lib. II. Cap. VI. *Freitag.* in proleg. Noct. Medic. *Drelincurt.* in Opuſc. Med. pag. 670. & *Albertus* in Specim. M. d. Theol pag. 607. Quibus adjungitur *Stahlii* Diſſert. de Deo Vero Medicinae Auctore.

III. Porro Judaei Adamum primum humani generis Parentem eam Artem Divino numine adeptum ferunt, ut notavit *Marcilius Ficinus* in Orat. de Laud. Medic. quae Lib. IV. ejus Epiſtolarum Tom. I. pag. 735. inſerta legitur. Ac Medicinae cognitionem Adamum, ab ipſo Deo edoctum, habuiſſe colligit *Zacchias* in Quaeſt. Med. Leg. Lib. VI. Tit. III. quaeſt. IV. §. 2. & 3. ex *Geneſ.* Cap. II. ℣. 19. & 20. *Omne enim quod vocavit Adam anima viventis, ipſum eſt nomen ejus, appellavitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia coeli & omnes beſtias terrae.* Nam eo ex loco patere exiſtimat, Adamum ipſa in paradiſo ſe jam Medicum praeſtitiſſe, cum omnia animantia ex eorum natura ac viribus nominaverit. Quippe nihil aliud fuiſſe dicit: *Omne quod vocavit, ipſum eſt nomen ejus.* Niſi quod Adamus vocaverit omnia, omnibusque nomina impoſuerit, naturae & virtuti congrua, & ſecundum proprietates, quas a Deo ſortita erant. Quod confirmat *Valleſius* hunc locum explicans Cap.

III.

III. de Sacra Philoſ. pag. 48. Cui aſſentire videtur *Camer*. Cent. III. Oper. Subcis. Cap. LXX. Praeter quos hanc ſententiam etiam fovit *Euſeb.* Lib. XI. Praep. Euang. Cap. VI. & *Xyſt Renlejus* ad *Lactant*. Lib. I. Divin. Inſtitut Cap. XVIII. Statuendum itaque erit, Medicinae incunabula in ipſum mundi natalem incidiſſe, ita ut gloriari illa poſſit de Antiquitate cum mundo ipſo, teſte *G. a Rejes* in Elys. Camp. Jucund. Quaeſt. II. §. 18. Medicina certe Adam carere non potuit, poſtquam paradiſo terreſtri, veluti loco temperatiſſimo, ejectus, omniumque rerum indigus, vitam laborum pleniſſimam vivere, noctes ſub dio per aeſtum & frigus agere, diſcalceatus ac male veſtitus incedere, vagabundus, tecto domoque deſtitutus regione in regionem tranſcurrere incipiebat. Inſpice, ſi tanti ſit, quae notavit *Janus Hubertus* in Scrutin. Ingeniorum pag. 314. Plura de Adami Medicina habentur apud *Kircher.* in Oedip. AEgypt. Tom. II. part. I. cl. II. pag 48. *Sorb.* in Oper. Med. pag. 768. *Clercq.* in Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. II. & IV. & *Fabrit.* in Bibl. Graec. Tom. XIII. pag. 34.

IV. Verum enim vero non tantum ſacrae litterae palam docent Deum & remedia nobis propoſuiſſe & Medicinam condidiſſe, ſed etiam Gentes, quamvis ipſarum mens plusquam Cimmeriis tenebris fuerit circumſcepta,

hunc honorem Medicinae tribuunt. Hi enim hanc Artem Deorum immortalium inventioni conſecraverunt, ut dicit *Cic.* Lib. III. Tuscul. Quaeſt. Cap. 1. *Quidnam eſſe, Brute, cauſae putem, cur, cum conſtemus ex animo & corpore, corporis curandi, tuendique cauſa quaeſita ſit Ars ejus, atque utilitas, Deorum immortalium inventioni conſecrata. Hipp.* de Vet. Med. Tom. I. pag. 27. Ed. Lind. *Judicaveruntque Artem dignam, quae Deo adſcriberetur, quemadmodum etiam eſt receptum.* Quod ex *Herophilo Scrib. Largus* in prooem. de Compoſ. Medic affirmat. Itaque recte Divina vocatur ſcientia in Epiſtola Paeti ad Regem Artax. quae exſtat ap. *Hippocr.* Tom. II. pag. 898. & a Pythagora res Diviniſſima, teſte *Apollon. Thyanens.* Ep. XXIII. ad Critonem. Quidquid enim magnam utilitatem generi afferret humano, id non ſine Divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur, *Cic.* Lib. II. de Nat. Deor. Cap. XXIII.

V. Itaque Medicinae inventionem antiquiſſimae gentes, quae eam penes ſe natam gloriabantur, ſuis adſcripſerunt Diis. Inter hos *AEgyptii* ſibi hanc gloriam vindicant, uti tradidit *Plin.* Lib. VII. Hiſt. Nat. Cap. LVI. Cui aſſentiuntur *Mercur.* Lib. II. Var. Lect. Cap. XVIII. *Alpin.* Lib. I. de Med. AEgypt. Cap. I. *Lipſ.* in Manud. ad Stoic. Philoſ. lib. I.

Cap.

Cap. V. *Barth.* ad *Claudian.* Conſul. Mallii Theodor. ℣. 128. *Conring.* Introd. in Art. Med. Cap. III. §. 2. & *Frommann* de Faſcinat. pag. 169. Quamvis haec laus potius competit Aſſyriis, Babyloniis atque Chaldaeis docente *Hornio* Lib. II. de Philoſ. Sect. Cap. III. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. XVI. & *Clar. Boerhav.* in Inſtit Med. §. 7. Hi itaque ſuos etiam Deos hujus Artis inventores colebant, veluti *Hermetem*, *Iſidem*, *Serapidem*, *Bacchum & Arabum.* Conſtat enim hanc gloriam HERMETI TRISMEGISTO adſcripſiſſe AEgyptios: cujus nomen quam venerabile antiquitus fuerit, vel exinde patet, quod unanimi fere antiquiſſimorum populorum, AEgyptiorum, Phaenicum, Graecorum atque Romanorum conſenſu in numerum Deorum fuerit relatus. Hic igitur eſt Hermes, quem AEgyptii Thoor, Thoyth, Thoth, Thout, vel Theuth; Phaenices Taautum; Graeci Hermetem; & Latini Mercurium vocarunt. *Euſeb.* Lib I. Praep Euang. Cap. VI. *Cellar.* ad *Lactant.* Lib I. Divin. Inſtit. Cap. VI. *L. Vives* ad D. *Auguſtin.* Lib. VII. de Civit. Dei Cap XIV. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I Cap. V. Hinc forte male Celeb. *Conring.* in Herm. Med. Cap. VII. ſcripſit, dum comminiſcitur, nullum unquam Hermetem fuiſſe, ſed totum Tris-

megiſti nomen fabuloſum & myſticum, ſicuti pleraque AEgyptiorum, exſtitiſſe, quo non denotetur certus aliquis homo, qui revera inter mortales vixerit, & peculiari ſubſidio ſpiritus cujuſdam familiaris ſeu Daemonis ad illum ſcientiae & ſapientiae gradum adſpiraverit, ſed myſtice tantum Divinam quandam vim hoc nomine ſignificari. Imo licet concederetur, talem forte inter AEgyptios Hermetem olim floruisſſe, eundem tamen Magum turpiſſimum fuiſſe; nec AEgyptios veteres, aut Phaenices, aut Graecos aut Romanos Hermeti ullam Artis Medicae aut Chemicae inventionem tribuiſſe, imo nec Scriptores AEgyptios recentioris aevi, & licet id forte a nonnullis factum fuiſſet, inconſtanter tamen & contra narrationes majorum id actum eſſe. Quum contra *Borrich.* Lib. I. de Herm. AEgypt. & Chem. Sapient. Cap. I. & de Ortu & Progr. Chem. ap. Manget in Bibl. Chem. Tom. I. pag. 12. perſpectis Conringii argumentis, antiquiſſimam AEgyptiorum gentem, tanquam omnis Graecae Latinaeque ſapientiae magiſtram, haud immerito defendit, ac praecipue Hermetem tanquam optimarum artium Inventorem depraedicat, qui & AEgyptiis leges tulerit, *AElian.* Lib. XIV. Var. Hiſt. Cap. XXXIV. quique naturam animalium, metallorum &c. magno ſtu-

ſtudio ſcrutatus fuerit, atque adeo immenſis beneficiis totam AEgyptiorum gentem mactaverit. Certe *Conringius*, Vir noſtris caeteroquin elogiis longe major, & cui in his *Amoenitatibus* componendis multum debeo, hic decipi videtur; ſi enim nullus unquam Hermes exſtiterit, ſua ſponte ceſſabunt crimina Magiae ipſi intentata, ap. *Conr.* Lib. I. Cap. VIII. ſi vero Magus fuit, debuit certe exiſtere: quia non entis nullae ſunt adfectiones. Fuiſſe autem Hermetem non hominem tantum, ſed & inſuper beneficum, optimarumque ſcientiarum & artium, in vita communi & utilium & neceſſariarum, inventorem veteres ſcriptores fide digniſſimi ſuis reliquerunt ſcriptis. Ita enim *Clem. Alexand.* Vir πολυμαθέστατος, & lectionis infinitae, quin& ipſe incola AEgypti, eoque de natalibus Hermetis ſui certior, Lib. I. Strom. pag. 153. loquitur: *Quin etiam ex iis, qui aliquando fuere homines in AEgypto, opinione autem hominum Dii, fuerunt Hermes Thebanus, & AEſculapius Memphitanus. D. Auguſtin* Lib. VIII de Civit. Dei Cap. XXVI. *Hic enim Hermes major, id eſt, Mercurius, quem dicit avum ſuum fuiſſe in Hermopoli, hoc eſt, in ſui nominis civitate perhibetur eſſe ſepultus. Ecce duos Deos dicit homines fuiſſe, AEſculapium & Mercurium. Lactant.* Lib. I. Divin. Inſtit. Cap. VI. de Mercurio tali modo ſcribit. *Qui tametſi homo, fuit tamen antiquiſſimus & inſtructiſſimus omni genere doctrinae, adeo,*

ut ei multarum rerum & artium ſcientia, Triſmegiſto cognomen imponeret Diod. Sic. Lib. I. Cap. XVI. *Apud eum* (ſc. Oſiridem) *in maximo ante omnes honore poſitus fuit Hermes, (id eſt Mercurius,) eximia ingenii perſpicacitate in excogitandis iis, quae vitae humanae utilia eſſent. Hic enim primus, (ut ferunt) & communem loquelam articulate diſtinxit, & multis rebus nomine deſtitutis nomen indidit. Inventor fuit litterarum; quae ad Deorum cultus & ſacrificia pertinent, ordinavit. Aſtrorum ordinem, vocum harmoniam, & naturam primus obſervavit; Palaeſtrae inſuper inventor; numeroſae concinnitatis, & corporis decore effingendi ſtudioſus artifex. Lyrae a ſe inventae tres chordas induxit.* Paulo poſt. *Graecis elocutionis Magiſter fuit; unde Hermes (id eſt, enunciator & interpres) nominatus eſt ipſis. Oſiridis denique ſacrorum notarius erat* (ἱερογραμματεὺς) *cum quo is omnia communicabat, & cujus maxime utebatur conſilio. Ipſe, non Minerva, ut Graeci contendunt, oleae plantam invenit.* Poſtea: *Oſiris ad tritici, hordeique ſementem genus humanum edocendam profectus Iſidi uxori conſiliarium adjunxit Hermetem, quod prudentia caeteros anteſtaret omnes.* Haec ſunt argumenta, niſi fallor, clariſſima, quibus demonſtratur Hermetem & hominem fuiſſe, & hominem ſapientiſſimum. Vid. *Cic.* Lib. III. de Nat. Deor. Cap. XXII. *Euſeb.* Lib I. Praep. Euang. Cap. VII. *Tertull.* de Anim. Cap. II. *Rho-*

dig. Lib. IX. Ant. Lect. Cap. I. circa finem, & *Salm*. ad *Panciroll*. Lib. II. Rer. Memor. pag. 48. & 141. Quidquid vero horum ſit, cum hac vice mei non eſt inſtituti repetere vel diſcutere, quae de hoc Hermete prolixe *V. D.* diſputarunt, ut *Joh. Marſh.* in Can. Chron, *Joh. Henr. Urſinus* in Exercitat. de Zoroaſtre, Hermete, Sanchoniathane, quae cum *Chriſtophori Arnoldi* ſpicilegio prodierunt Norimb. A. 1661. 8vo. *Herm. Conring*. de Herm. Med. & *Ol. Borrich*. de Herm. AEgypt. ac Chem. Sap. Neque quae de pluribus Mercuriis ſive Hermetibus *Cic*. Lib. III. de Nat. Deor. *Arnobius* & alii, ap. *Barth*. ad *Claudian*. Conſul. Mallii Theod. ℣. 128. aut quae de Deo Mercurio ejuſque cognominibus ſive elogiis *Gyraldus* nono hiſtoriae Deorum ſyntagmate operae pretium duntaxat eſſe exiſtimavi hoc loco demonſtrare Hermetem fuiſſe Medicum inſignem: quemadmodum hoc teſtantur plurimae, quas invenit herbas; inter has occurrit Mercurialis ab ipſius nomine dicta *Plin*. Lib. XXV. Hiſt. Nat. Cap. V. *Linozoſtis ſive Parthenion Mercurii inventum eſt, adeo apud Graecos Hermupoan multi vocant eam, apud nos omnes Mercurialem*. & *L. Apul*. in Lib. de Medicam. herb. Cap. LXXI. de Verbaſco loquens ita ſcribit: *Hanc herbam dicimus Mercurium inveniſſe & Ulyxi dediſſe, cum deveniſſet*

niſſet ad Circen, ut nulla maleficia ejus timeret. & *Plin.* l. l. Cap. IV. *Laudatiſſima herbarum eſt Homero, quam vocari a Diis putat Moly, & inventionem ejus Mercurio aſſignat, contraque ſumma veneficia demonſtrat.* Locus *Homeri* eſt Odyſſ K. ỽ 301. Hinc antiqui non alio inſtituto, ut cuivis licet conjicere, *Hermeti* τὴν ὑγίειαν συνῴκισαν *conjunxere ſanitatem*, quam quod eum ſanitatis magiſtrum agnoſcerent, teſte *Cornuto* (aliis *Phurnuto* Conſ. *Th. Gale* in Praef. ante *Opuſc. Mythol.*) de Nat. Deor. Cap. XVI. in *Opuſc. Mythol.* pag. 164. & Ejus virgae Medicam adſcripſerunt facultatem, docente *Barth.* Lib. XXV. Adverſ. Cap. XI. Imo ſanitati eum praefuiſſe docet inſcriptio apud *Grut.* pag. MLXVII. n. 13.

DEO. MERC
M. NONIUS. APR
US. CARINUS
PRO. SALUTE. SUA
V. S. L. M.

Videatur *Reineſ* Cl. I. Inſcript. LXXV. Ac inde in marmore ap. *Tomas.* Cap. III. de Donar. Veter. pag. 32. & ap. *Fabrett.* Inſcript. pag. DCXXIV. n. 210. quoque CONSERVATOR vocatur. Sic eum peſtilentiam

tiam avertere teſtatur *Pauſ.* in Boeotic. pag. 752. Inter inventa ipſi tributa, quemadmodum ea omnia recenſentur a *Fabrit.* Lib. I. Bibl. Graec. Cap. XII. etiam enumeratur Medicina. *Rhodig.* Lib. I. Ant. Lect. Cap. I. Praeterea *Medicorum magiſter* appellatur a *Galen.* in Orat. Suaſor. ad Art. Cap. II. Ut Medicinae Deus recenſetur a *Freinshem.* ad *Curt.* Lib. III. Cap. VI. §. 17. Tandem *Voſſius* ſcriptis reliquit de Sect. Philoſ. Cap. II. §. 8. Mercurium ſex de Medicina libros conſcripſiſſe, in quibus diſtincte de fabrica corporis humani, de morbis, de medicamentis, & in ſpecie de oculorum Medicina, deque morbis mulierum agebatur. Quid vero Eruditi de hiſce atque aliis, qui hodie illius nomine circumferuntur libri, judicati fuerunt, nos docent *Fabrit.* Lib. I. Bibl. Graec. Cap. IX. & ſeqq. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. V. *Conr.* de Herm. Med. Cap. IV. & *Borrich.* de Ort. & Progr. Chem. ap. Mang. in Bibl. Chem. Tom. I. pag. 15. & Lib. I. de Herm. AEgypt. ac Chem. Sap. Cap. II. Impudentiſſime ex Platone, Sacra Scriptura, aliiſque Philoſophis conflata dicuntur ab *Urſin.* in Exercit. ſup. laud. Optima, quae hodie ſub ejus nomine circumferuntur ſcripta, Editio eſt Gr. & Lat. Londin. A. 1628. Fol.

VI. Sequitur ISIS, quae in columna ſepulcri ſui

ſui ſcripſit, & candide profeſſa fuit, ſe ab Hermete Medicina ſcientia inſtructam fuiſſe *Diod. Sic.* Lib. I. Cap XXVII. EGO ISIS SUM REGINA HUJUS REGIONIS, A MERCURIO ERUDITA &c. Qualis columna Callatiae in Hiſpania reperta fuit, uti conſtat ex *Apiani* & *Amantii* Inſcript. Antiq. pag. 23. Ingolſt. A. 1534. editis. Haec tanta felicitate ejus praecepta hauſit, ut, teſte eod. *Diod. Sic.* Lib. I. Cap. XXV. multa poſtmodum remedia, inter quae etiam iſtud, quod ἀθανασία vocatur, proprio marte invenerit, eaque in commodum humani generis adminiſtraverit, haec ſunt verba: *Iſin multa ſanitati hominum pharmaca inveniſſe, AEgyptii tradunt, utpote quae ſcientiae Medicae fuerit peritiſſima, adeoque multa ſolerter excogitaſſe.* paulo poſt: *Multos etiam a Medicis propter morbi difficultatem deſperatos ab hac ſalutem accipere, plurimoſque oculis prorſus captos, aut alia corporis parte mutilatos, ſi ad Deae hujus opem confugerint, in priſtini vigoris integritatem reſtitui. Invenit illa (inquiunt) immortalitatis pharmacum, quo filium Horum, Titanum inſidiis oppreſſum, & mortuum in aquis inventum, non tantum reddita anima in vitam reduxit, ſed etiam immortalitatis participem fecit.* Ab ea quoque inventum & nuncupatum videtur Emplaſtrum, *Iſis* dictum, atrae bili accom-

ccommodatum, cujus tam frequens mentio
ccurrit ap. *Galen.* Lib. IV. Method. Med. in
ine, & Lib. V. de Compoſ. Medic. per Gen.
Cap. II. Videatur & *Fabrit.* Tom. XIII.
Bibl. Graec. pag. 303. Ac *Tibull.* Lib. I. El.
II. ỷ. 28. Qui de Iſide verba faciens ſic
oquitur:

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi: nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Nam haec verba de naufragorum ſuſpenſis in
ejus fano tabellis non ſunt interpretanda, ve-
uti alii volunt, ut *Dempſt.* ad *Roſin.* Lib. II.
Ant. Rom. Cap. II. quod navigii fuerit praeſes;
ſed & ad Medicum officium ſimul alluſiſſe
poëtam aſſerit *Fromm.* de Faſcinat. pag. 170.
quia ejus effigies, in Siniſtra herbam, Dextra
vero navigium tenens, reperitur in Nummis.
Conſ. quoque *Broukh.* ad *Tibull.* locum lau-
datum. Adeo ut mirum nequaquam ſit eam
in Inſcriptionibus atque Nummis ISIDEM
SALUTAREM vocatam fuiſſe, teſte *Mead*
in Diſſ. de Numm. a Smyrn. in honor. Medic.
percuſſis pag. 57. Quod Ampl. *Cuper.* in ſuo
Harpocr. pag. 157. ex Lapide apud. *Gruterum*
confirmat, qui reperitur pag. LXXXIII. n. 15.
Conf. *Fabrett.* Inſcript. pag. CDLXX. n.
111. & 112.

VII. SERAPIS, vel potius ſicuti placet *Mont-
fauc.* in Paleograph. Graec. Lib. II. Cap. VI.
Sara-

Sarapis, qui & idem ac Apis & Oſiris, docente *Fabrett.* Inſcript. pag. CDLXVI. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. VI. Ut Deus Medicinae occurrit ap. *Cic.* Lib. II. de Divinat. Cap. LIX. *Qui igitur convenit, aegros a conjectore ſomniorum potius, quam a Medico petere Medicinam? An AEſculapius, an Serapis poteſt nobis praeſcribere per ſomnium curationem valetudinis. Varro* ap. *Non. Marcell.* Cap. VII. n. 104. *Ego Medicina a Serapi utor.* Eo facere videtur inſcriptio ap. *Grut.* pag. LXXXV. n. 10.

SERAPI
PRO. SALUTE
HERENNI. SE
BIRI. C. . . ALLINT
US. SER.

Hinc quoque in Nummis ac Inſcriptionibus CONSERVATOR audit, quemadmodum ex nummo Commodi probat *Vaill.* de Numm. Imp. Rom. Tom. II. pag. 198. & ex Inſcriptionibus *Reineſ.* Claſſ. I. Inſcript. CCLIII. Plura qui deſiderat, adeat *Turneb.* Lib. IV. Adverſ. Cap. VIII. *Dempſter.* ad *Roſin.* Lib. I. Ant. Rom. Cap. XIII. *Voſſ* de Orig. & Progr. Idolol. Lib. I. Cap. XXIX. *Elſner.* in Johann. Cap. I. ℣. 4. & *infra* Cap. V. §.

2. &

2. & 3. cum agamus de ſomniis, quae veteres ſanitatis ſuae recuperandae ſolliciti, in templis Deorum capere ſolebant.

VIII. BACCHUS decantatus ille in priſcis hiſtoriis Rex, diviniſque affectus honoribus, etiam Medicus, ut eſt ap. *Plut.* Lib. III. Sympos. Quaeſt. I. non eo tantum nomine fuit habitus, quod vinum invenit, medicamentum validiſſimum & ſuaviſſimum; ſed quod hederam quoque facultate ſua vino maxime reſiſtentem in honore habendam docuit, eaque Bacchantes coronavit, ut minus a vino laederentur: hedera quippe frigore ſuo, uti tunc temporis ſibi perſuadebant, ebrietatem reſtinguente *Athen.* Lib. XV. Deipnoſoph. Cap. V. *Torrent.* ad *Horat.* Lib. IV. Od. XI. ℣. 4. Conf. *Rhodig.* Lib. XXVII. Cap. XXVI. *Salm* ad *Panciroll.* Lib. II. Rer. Memor. pag. 113. Hinc hederam Baccho ſacram docet *Broukh.* ad *Tibull.* Lib. III. El. VI. ℣. 1. Conf. *Barth.* ad *P. Stat.* Lib. IX Theb. ℣. 796. & ad *Claud.* Lib. I. de Rapt. Proſerp. ℣. 17. Ita ejus veluti Medicinae Dei meminit *Paus.* in Phoc. pag. 884 *Quod ſpectes illic dignum eſt adytum, in quo arcana Libero Patri ſacra fiunt:* paucis interjectis: *Narrant Amphicleenſes, & futura ſibi Deo auctore praedici, & contra morbos in promptu eſſe remedia; quod & in ſomnis tam ipſi, quam finitimi de morborum medelis ab eo moneantur.* Sic peſtem

ſtem a copiis ſuis depuliſſe legitur ap. *Diod. Sic.* Lib. II. Cap. XXXVIII. *Locus ille, quo peſtem a copiis ſuis depulit, Merus* (*hoc eſt* femur) *appellatur. Hinc etiam Graeci Bacchum in femore nutritum, poſteris tradiderunt.* Expreſſe Medicus vocatur ab *Athen.* Lib. I. Cap. XIX. *Mneſitheus Athenienſis ſcribit, Athenienſibus reſponſo Pythiae juſſum fuiſſe, ut Bacchum Medicum venerarentur.* Hinc ipſi vota pro alicujus ſalute fiebant, *Reines.* Cl. I. Inſcript. CCLXXII.

PRO SALUTE
P. ANNI. AMYCI. RUFI. ARAM
LIBERO. PATRI
ASIAMENES
DONUM. DEDIT
C. P. A. A. R. F.

Et in Inſcriptione, quam ex *Grut.* Pag. LXVII. n. 8. adfert *Gutberl.* de Myſter. Deor. Cabiror. pag. 18. & *Boxhorn.* in Quaeſt. Rom. ap. *Graev.* in Theſ. Ant. Rom. Tom. V. pag. 935. nominatur CONSERVATOR. VITAE. HUMANAE. ut & in Nummis Maronitarum, ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ. auctore *Ill. Spanh.* de Praeſt. & Uſu Numiſm. pag. 383. An vero, quae *Plut.* in Lib. de Iſid. & Oſiride Cap. XXXII. XXXVIII. & XXXXI. eſt ſententia, idem ſit cum Oſiride, cum maxime non diſputabimus;

bimus. Videatur interim *Ampl. Cuper.* Harpocr. pag. 94. *Broukh.* ad *Tibull.* Lib. I. El. VIII. ℣. 29. & *Rhodig.* Lib. XVIII. Cap. XXXVII. Multa alia huc facientia de Baccho ap. *Caſtell.* in Vit. Ill. Med. ap *Gron.* in Thes. Ant. Graec. Tom. X. pag. 861. & *Gutberl.* Lib. II. Orig. Mund. Cap. XXXV. §. 21. reperiuntur.

IX. Atqui praeter hosce alii, auctore *Plin.* Lib. VII. Hiſt. Nat. Cap. LVI. ejus inventionem aſſignant ARABO Apollinis & Babyloniae filio, quem *Bocat.* Lib. V. Deor. Geneal. Cap. XXIII. Arabem vocat: quo in loco mendum eſſe *Tiraq.* de Nobilit. Cap. XXXI. §. 5. exiſtimare videtur, cui tamen haud facile conſentirem, cum video *Serv.* ad *Virg.* Lib. VII. AEn. ℣. 605. jam obſervaſſe Arabs & Arabus, ſicuti AEthiops & AEthiopus, Thrax & Thracus promiſcue & pro iiſdem ſaepe vocari ab optimis ſcriptoribus.

X. Porro & Graeci & Romani hujus Artis inventionem etiam ſuis attribuerunt Diis. Sic enim *Apollo* ut Medicinae Praeſes occurrit ap. *Paus.* in Meſſen. pag. 365. *A Corone ſtadia prope octoginta progreſſis, Apollinis templum in ora maritima eſt magna religione percelebre. Nam & omnium eſſe antiquiſſimum autumant Meſſenii, & Deus ipſe (quem Corynthum Apollinem nominant) certam laborantibus morborum opem impertit.* *Pindar.* Pyth. Od. V. ℣. 85. de eodem.

Ὁ καὶ βαρεῖαν νόσων
Ἀκέσματ' ἄνδρεσσι καὶ
Γυναιξὶ νέμει.

Qui & gravium morborum remedia viris & mulieribus diſtribuit. Ac *Callim.* refert Medicos ab Apolline didiciſſe moras innectere morti, in Hymn. ejus laudibus ſacrato ℣. 45.

ἐκ δένυ Φοίβου
Ιητροὶ δεδάασιν ἀνάβλησιν θανάτοιο.

Ex Phoebo item
Medici didicerunt depulſionem mortis.

ad quem locum conſul. *Spanhem.* Hunc quoque Medicorum filiis medicamenta dare creditum fuit antiquitus. *Euripides* in Alceſtide ℣. 969.

. . . . . ὅσα Φοῖβος,
Ἀσκληπιάδαισιν παρέδωκε
Φάρμακα, πολυπόνοις
Ἀντιτεμὼν βροτοῖσι.

Quaecunque Phoebus AEſculapii poſteris tradidit medicamenta, miſeris praecidens (mala) *mortalibus.* Quare Ἀκέστωρ, *Medicus*, ap. *eund. Euripid.* in Andromacha ℣. 900. dictus eſt. Quin imo ejus veluti primi ac antiquiſſimi

prae

prae reliquis Medicinae Praeſidibus Numinibuſque in jurejurando Hippocratis ratio habetur; ὄμνυμι Ἀπόλλωνα ἰητρὸν, καὶ Ἀσκληπιὸν, καὶ Ὑγείαν, καὶ Πανάκειαν. *Juro per Apollinem Medicum, & AEſculapium, Hygeamque ac Panaceam.* Hinc nomen ſuum a medendi ope habuiſſe legitur ap. *Euſeb.* Lib. III. Praep. Euang. Cap. I. ὡς ἀπαλλάττων καὶ ἀπολύων τῶν περὶ σῶμα νοσηματικῶν παθῶν. *Quaſi corporis aegritudinum ſolutor & propulſator.*

XI. Nec aliter Romani de illo. *Horat.* Carm. Secul. ℣. 60.

Augur & fulgente decorus arcu
Phoebus, acceptuſque novem Camenis
Qui ſalutari levat arte feſſos
Corporis artus.

Cic. Lib. XIV. ad Fam. Ep. VII. *Statim ita ſum levatus, ut mihi Deus aliquis Medicinam feciſſe videatur. Cui quidem tu Deo, quemadmodum ſoles, pie & caſte ſatisfacias, id eſt, Apollini & AEſculapio.* Nam Medicinam ejus inventum vocat *Q. Seren. Samm.* de Med. in principio.

Phoebe ſalutiferum, quod pangimus, aſſere carmen,
Inventumque tuum prompto comitare favore.

Imo ipſe Apollo ejus inventionem ſibi vindicans, hoc pacto loquens introducitur ab Ovid. Lib. I. Metam. ℣. 521.

Inventum Medicina meum eſt; opiferque per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

& Lib. IV. Triſt. El. III. ℣. 78.

Si valeant homines, ars tua, Phoebe, jacet.

& OEnone ap. *Eund.* Ep. V. Her. ℣. 143. de Apolline ad Paridem ſic ſcribit:

Ipſe ratus dignam, Medicas mihi tradidit Artes;
Admiſitque meas ad ſua dona manus.

Inde ipſam Medicinam vocat Artem Apollineam Lib. III. Triſt. El. III. ℣. 8. Artem Phoebeam Lib. III. Faſt. ℣. 827.

XII. Atque hinc tempore peſtis Romae ipſi, ut Deo Medicinae, docente *Liv.* Lib. IV. Cap. XXV. aedes pro valetudine populi vota fuit, qui etiam Lib. XL. Cap. LI. meminit aedis Apollinis Medici ad Tiberim. Sic eadem de cauſa ipſi dicitur templorum ſane omnium, quae in Peloponneſo fuerunt, excepto eo uno, quod Tegeae fuit, quum lapidis pulcritudine, tum vero ſtructurae con-

cin-

cinnitate longe praeſtantiſſimum erectum fuiſſe ap. *Paus.* in Att. pag. 9. & in Arcad. pag. 684. Quapropter eum Mileſii Deliique vocarunt Apollinem Ulium, utpote Salutiferum & Medicum, *Strab.* Lib. XIV. Geogr. pag. 942. Edit. Amſt. 1707. *Eſt enim ulein*, ſanum eſſe, *unde ule cicatrix*, *& ule* pro ſalve. *Etenim Apollo Sanator eſt.* ad q. l. inſpic. *Caſaub.* Ac paſſim in Nummis Imperatorum, ut Treboniani & Voluſiani APOLLO. SALUTARIS. Neronis ΣΩΤΗΡ. ΑΠΟΛΛΩΝ. Gallieni APOLLO. CONSERVATOR. APOLLO. CONSERV. AUG. SALUS. AUG. appellatur: quoniam eo tempore imperium a peſte ſummopere graſſante liberaverat; quippe referente *Treb. Poll.* in Gallienis, Cap. V. tum temporis peſtilentia tanta exſtiterat vel Romae vel in Achaicis urbibus, ut uno die quinque millia hominum pari morbo perirent. Conſul. *Smet.* Antiq. Neomag. pag. 227. *Oud.* Potent. Rom. pag. 229. & 382. *Ill. Spanhem.* Tom. I. de Praeſtant. Numiſm. pag. 416. *Vaill.* Numiſm. Imper. Rom. Tom. II. pag. 350. *Ampl. Cuper.* in Harpocr. pag. 4[illegible]. Quibus adjungitur grande Litterarum Decus *Burm.* ad *Val. Flacc.* Lib. V. ℣. 17. Ut Medicus etiam introducitur a *Lucian.* in Dial. Apoll. & Bacch. pag. 94. Tandem vero Apollinem Medicinae

repertorem fuiſſe etiam indicant *Virg.* Lib. XII. AEn. ℣. 394. *Hygin.* Fab. CCLXXIV. *Phil. Jud.* de Legat. ad Cajum pag. 779. *Rhodig.* Lib. IX. Ant. Lect. Cap. I. & Lib. XIX. Cap. I. *Aleand.* Tab. Ant. ap. *Graev.* in Thes. Antiq. Rom. Tom. V. pag. 711. *Broukh.* ad *Tibul.* Lib. II. El. III. ℣. 13. & *Torrent.* ad *Horat.* Lib. I. Od. XXI. ℣. 13. & Lib. II. Ep. I. ℣. 136. Exſtat hodie Apollinis Medici ſimulacrum marmoreum Romae in hortis Pontificis ſecretis, loco quem *Belvedere* vocant, excellens artificis Graeci opus, teſte *Meib.* ad Jusjur. Hipp. Cap. IV. §. 19. ubi plura egregia.

XIII. Pergimus ad AESCULAPIUM Apollinis ex Coronide Nympha filium *Homer.* Hymn. in AEſculap. ℣. 1.

Ἰητῆρα νόσων Ἀσκληπιον ἄρχομ' ἀείδειν,
Υἱὸν Ἀπόλλωνος, τὸν ἐγείνατο δῖα Κορωνὶς
Δωτίῳ ἐν πεδίῳ, κούρη Φλεγύον βασιλῆος.

Medicum morborum AEſculapium incipio canere,
Filium Apollinis, quem genuit dia Coronis
Dotio in campo, filia Phlegyae Regis.

Hinc ab *Ovid.* Lib. VI. Faſt. ℣. 746. Coronides nominatur. Vid. quoque *Hyg.* Fab. XIV. Quam diverſa autem veterum de ejus Natalibus fuerit ſententia, hic non inquirimus, ſolummodo dicemus Coronidem, AEſculapio jam gravidam, cum Iſchye Elati filio concubuiſſe, quapropter a Diana interempta fuit, quod illa Apol-

Apollini fratri factam contumeliam ulciſci voluit: ardente vero rogo, e media flamma puer ab Apolline ereptus fuit. *Ovid.* Lib. II. Metam. ℣. 628.

Non tulit in cineres labi ſua Phoebus eosdem
Semina. Sed natum flammis uteroque parentis
Eripuit; geminique tulit Chironis in antrum.

Confer. *Apollod.* Lib. III. de Biblioth. Cap. X. §. 3 qui reperitur inter Hiſtoriae Poëticae ſcriptores antiquos a Th. Gale editos. Plura habentur ap. *Paus.* variis in locis, ut in Corinth. pag. 170. & 171. in Lacon. pag. 277. in Meſſen. pag. 284. & 358. *Serv.* ad *Virg.* Lib. VI. AEn. ℣. 618. & Lib. X. AEneid. ℣. 316. *Lucian.* in Pſeudom. pag. 480. *Xyſt. Betulejum* ad *Lactant.* Lib. I. Divin. Inſtit. Cap. X. *Munker.* ad *Hyg.* Fab. XCVII. & *Magn. Burm.* ad *Ovid.* Lib. II. Metam. ℣. 569. & 599. Hic AEſculapius medendi ſcientiam primo accepit ab Apolline, *Galen.* aut quisquis eſt, in Lib. qui inſcribitur Medic. Cap. I. *Hac igitur ratione, & AEſculapius Medicinae, quam primus ab Apolline patre inſtitutus, hominibus tradidiſſe dicitur, inventor exſtitiſſe apparet.* Quod etiam ex nummo Abonoteichitarum ingenioſiſſime probat *Ill. Spanhem.* de Praeſt. & Uſu Numiſm. Tom. I. pag. 215. *In quo duo conſpiciuntur ſerpen-*

tes

tes diverſae magnitudinis, quorum Major Minori aliquid in aurem inſuſurrare videtur, quod ille *Vir Ill.* explicat per Apollinem ibi filio AEſculapio Artem ſuam inſpirantem. Deinde ab Apolline Chironi Centauro & alendus & erudiendus traditus eſt, teſte *Homer. Il.* Δ. ℣. 219. & *Pindar.* Pyth. Od. III. ℣. 96.

Καὶ ῥα μὶν Μάγνητι φέρων,
Πόρε Κενταύρῳ διδάξαι
Πολυπήμονας ἀν-
θρώποισιν ἰᾶσθαι νόσους.

Qui eum Magneſio adferens tradidit Centauro, ut doceret eum noxios hominibus ſanare morbos. Sub quorum fideli manuductione tantos in Arte Medica fecit progreſſus, ut mortuos quoque reſuſcitare creditus fuerit: cujus generis aliquot exempla *Apollod.* loco ſup. laudato recenſet: *Sed inveni quidem nonnullos, qui ab eo revocati in vitam dicuntur, Capaneum ac Lycurgum, ut autem ſteſichorus ait, Eriphylen: Hippolytum, qui Naupactica conſcripsit: Tyndareum, ut Panyasis: Hymenaeum, ut Orphici: Glaucum Minois filium, ut Mneſagoras ait.* nec non *Propert.* Lib. II. El. I. ℣. 63.

Et Deus extinctum Creſſis Epidaurius herbis
Reſtituit patriis Androgeona focis.

Quod ſequenti carmine etiam ſignificare voluit:

luit *Q. Seren. Samm.* de Medic. in princ.

Tuque potens artis, reducesqui tradere vitas
Noſti, & in coelum manes revocare ſepultos,
Qui colis AEgeas, qui Pergama, quique Epidaurum,
Qui quondam placidi tectus ſub pelle Draconis,
Tarpejas arces, atque inclyta templa petiſti,
Depellens tetros praeſenti Numine morbos.

Et *Ovid.* Hippolyti fabulam referens Lib. XV. Metam. ℣. 533.

Nec, niſi Apollineae valido medicamine prolis,
Reddita vita foret, quam poſtquam fortibus herbis
Atque ope Paeonia Dite indignante recepi.

Adjungi merentur *Hyg.* Lib. II. Poet. Aſtron. Cap. XIV. *Vibius Sequeſt.* pag. 85. Edit. *Heſſelii. Serv.* ad *Virg.* Lib. VI. AEn. ℣. 398. & Lib. VII. AEn. ℣. 761. & *Junius* in Hiſt. Batav. Cap. XIII. in princ. Hic tamen obiter monendum eſt, veteres tantum per Hyperbolen ſic locutos fuiſſe, ut AEſculapii, caeterorumque magnorum Medicorum excellentem in Artis operibus induſtriam extollerent, qui morbo victis, deploratis, & jamjam morituris, in ſumma deſperatione poſitis,

tis, & tantum non conclamatis ſalubribus remediis ſuccurrerent, & veluti exitum jam agitanti animae obſtarent, adeoque de lethaliter adflictis cum *Diod. Sic.* Lib. IV. Cap. LXXIII. intelligendum eſt. Quemadmodum Hippolyti fabula etiam a *Lactant.* Lib. I. Divin Inſtit. Cap. XVII. exponitur, uti ad illum locum V. D. annotant.

XIV. Neque minus, inter multas alias, quas peregit, curas, celebris eſt, quae de Nicomacho Smyrnaeo refertur ap. *Galen.* de Differ. Morb. Cap. IX. Qui corporis craſſitie uſque adeo excreverat, ut neque manibus podicem tangere, neque corpus movere poſſet. Hunc per ſolas corporis jejuni exercitationes vehementes & veloces, quas magno in pretio habebat, dextre reſtituit, docente *Mercur.* Lib. IV. de Arte Gymn. Cap. VII. Ac ita Medicinam Gymnaſticam aegrotantibus primus commendaſſe videtur; quippe exercitationes eum in Medicina adhibuiſſe diſerte docet *Galen.* Lib I. de Sanit. Tuend. Cap. VIII. cum ita de AEſculapio ſcribit: *Aliis quibusdam, neque iis paucis, venari, equitare, atque armatos exercitari juſſit, iiſdemque ſtatim tum motuum ipſorum ſpeciem, utique quibus motus injunxit: tum armorum, quibus armatis exerceri praecepit, definivit. Non enim quo pacto excitetur, erigaturque animoſa*

noſa pars, cum imbecilla ſit, praecipere ſat habuit, niſi etiam menſuram ejus ab exercitationum idea definiret. Nomen quoque ſuum inde ortum teſtatur *Mercur.* L.L. *AEſculapium dixerunt ita vocatum*: παρὰ τὸ ἀσκεῖν ἠπίως τοὺς νωσοῦτας: *id eſt, quod aegrotos ſuaviter exercet, quando prius* ἤπιος *vocabatur.* Praeterea Clinicen primus exercuiſſe dicitur ab *Hyg.* Fab. CCLXXIV. *Chiron Centaurus Saturni filius, Artem Medicinam Chirurgicam ex herbis primus inſtituit. Apollo Artem Ocularìam Medicinam primus fecit. Tertio autem loco Aſclepius Apollinis filius, Clinicen reperit.* Vid. *Suid.* in voce Γραμματα. Non liquet enim ex ullo vetuſtiori monumento hanc conſuetudinem, aegrotantium in lectulis ſuis viſitandorum, ante AEſculapii tempora viguiſſe. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. XIII. Nam veteres Babylonii, Chaldaei atque AEgyptii ſuos aegrotos in publico exponebant, quemadmodum *infra* videbimus Cap. V.

§ XV. Igitur mirandum non eſt, AEſculapium, qui tam feliciter Medicinam fecerat, ac proinde de popularibus ſuis tam bene meruerat, Ἀποθέωσιν poſt mortem acquiſiviſſe. Non enim ſtatim a nativitate Deus habitus fuit, ſicuti vult *Paus.* in Corinth. pag. 172. *Deum vero ſtatim ab initio habitum AEſculapium,*

um, neque ejus religionem ſolo temporis progreſſu, & fama hominum profeciſſe, & aliis argumentis colligo, & ex Homeri verſibus, quibus haec ille de Machaone dicentem facit Agamemnonem.

Ταλθύβἰ, ὅττι τάχιςα Μαχάονα δεῦρο κάλεσσον
Φῶτ᾽, Ασκληπιοῦ ὑιόν.

Talthybi huc propera, magnumque Machaona nobis
Duc, hominem Aſclepi genitum de ſemine.

Idem eſt enim ac ſi dixiſſet, hominem Dei filium. Quod tamen, ſi ipſum conſulamus *Homerum*, non video, eum indicare voluiſſe: quippe ſolummodo Agamemnon ibi imperat Talthybio praeconi divino, ut arceſcat Machaonem filium AEſculapii Medici inſignis, non vero Dei: locus enim, cujus mentionem *Pauſanias* facit, occurrit Iliad. Δ. ỿ. 193

Ταλθύβἰ, ὂτlι τάχιςα Μαχάονα δεῦρο κάλεσσον
Φῶτ᾽, ᾽Ασκληπιου υἱον ἀμύμονος ἰητῆρος.

Talthybi, quam citiſſime Machaonem huc arceſſe
Virum, AEſculapii filium laudatiſſimi Medici.

Quam mecum fovit ſententiam *L. Vives* ad *Auguſt*. Lib. VIII. de Civit. Dei Cap. XXVI. Adeoque ante, quam inter Deos relatus, homo

homo fuit; nam ob ſolam Medicinae ſcientiam immortalitatem nactus fuit, *Cels.* in Praef. Lib. I. & *Lactant.* Lib. I. de Divin. Inſtit. Cap. XVIII. *Artes quoque ſuis inventoribus immortalitatem peperiſſe dicuntur, ut AEſculapio Medicina.* Conf. Hygin. Fab. CCXXIV. *Cic.* Lib. III. N. D. Cap. XV. & *Barth.* Lib. XLI. Advers. Cap. XXV. Praeterea evidens quoque mortalitatis teſtimonium eſt, quod in fabulis ob Hippolytum in vitam revocatum ab Jove fulmine deletus dicatur ap. *Eratoſthenem* in Cataſteriſmis Cap. VI. in *Opuſc. Mythol.* pag. 103. Hygin. Fab. XLIX. *Ovid.* Lib. VI. Faſt. ℣. 746. *Virg.* hanc fabulam narrantem Lib. VII. AEn. ℣. 765. *Lactant.* Lib. I. Div. Inſt. Cap. X. & *Sext. Empiric.* advers. Grammat. Cap. XII. Nullum enim humanitatis certius argumentum eſt, quam mors. Verum enim vero alii ob invidiam Deorum, ne plures mortales Divinam Artem diſcerent, eum fulmine deletum volunt, ut *Apollod.* Lib. III. Biblioth. Cap. X. §. 4. Alii accuſationi Plutonis, ne infernus incolis privaretur, hoc imputant, ut *Diod. Sic.* Lib. IV. Cap. LXXIII. Alii denique ejus avaritiae adſcribunt, teſte *Scholiaſt. Pindar.* In Pyth. Od. III. ℣. 96. Solummodo vero ob aliquod nefas, quod fecerat, fulmine ictum narrat *Lucian.* in Dial. Jov. AEſcul. & Her-

& Hercul pag. 78. & *Xyſt. Betulej.* ad *Lactant.* L. L. Rectius autem alii, quorum ſententiae *Suid.* accedit, volunt AEſculapium Peripneumonia ſeu inflammatione pulmonum obiiſſe, derelictum quippe ab Arte, quam tanta cum felicitate in aliis exercuerat, & opinionis ſuae patrocinium inde mutuantur, quod pleuriticis ſaepe latus adfectum colore livido ſuffuſum appareat, idque fabulae primas ſuas dediſſe origines, quaſi fulmine percuſſus periiſſet AEſculapius. Conſul. *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 5. *Meib.* ad Jusjur. Hipp. Cap. V. §. 16. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. XIII. & XIV. A quibus auctoritate *Cyrill.* contr. Julian. Lib. VI. (quamvis fortaſſe minus recte) in explicatione hujus fabulae ita recedunt *Junius* in Hiſt. Bat. Cap. XIII. in princ. & *Salm.* ad *Panciroll.* Lib. II. Rer. Memor. pag. 46. ut ſolam cauſam ſtatuant, quod videlicet quum ob Artis Medicae proſperum ſucceſſum ultra humanum faſtigium tumidus efferretur, divinoſque affectaret honores, imo ut Deo ſibi thus adoleri ab iis, quos valetudini reſtituerat, tanquam ipſi nexu obnoxiis, interpoſito etiam jurejurando, vellet, a vindice Deo percuſſus fulmine interierit. Econtra *Heraclitus* de Incredibil. Cap. XVI. in *Opuſc. Mythol.* pag. 78. exiſtimat rationi magis conſentaneum

tancum eſſe, ſi dicamus febri correptum obiiſſe, nam propter illius ardorem fulmine tactum antiquitus voluit.

XVI. Quidquid ſit, inter omnes hac in re convenit, mortuum fuiſſe; unde ſequitur, poſt mortem demum adeoque ex homine factum fuiſſe Deum, ſicuti Templa, Nummi, & Inſcriptiones teſtantur. De ejus templis hoc loco non late agam, cum *infra* Cap. V. §. 4. opportunior de iis erit agendi locus: unum duntaxat eorum exemplum adducam, quod praeter multa alia habet *Paus.* in Lacon. pag. 258. *Ubi tranſieris, templum videas Cotylei AEſculapii, quod Hercules dedicavit; Deoque id cognominis indidit a vulnere ſanatus, quod in pugna priore contra Hippocoontem ejusque liberos, in Cotyle* (id eſt coxendice) *acceperat.* Ex nummis Smyrnaeorum hoc docet *Mead.* Diſſ. de Numm. a Smyrn. in Honor. Med. Percuſſ. pag. 52. Ubi inter caeteros hunc adfert nummum, *in cujus area*



C

conſpicitur ſimulacrum AEſculapii ſedentis, caput ſtrophio revincti, palliati. Smilam, id eſt, gladiolum Chirurgicum, *manu ſiniſtra habentis, dextram vero labia verſus admoventis. Eminet a dextro latere baculi protenſi apex & ante pectus Aſtrum.* In quo nummo *memoratus Auctor* notat, AEſculapium hic ſedentem occurrere, quia apud Smyrnaeos Jovis AEſculapii titulo ſacratus fuit: cui Jovi proprium erat ſedere. Sed in eo *Auctor noſter* lapſus videtur, nam ſic, ne memorem Matrem Deum, Venerem, Deam Romam, quae ſedens exhibetur in nummo ap. Clar. Gymnaſii Neomagenſis Ornamentum *Joh. Arntzenium* amicum meum integerrimum, ſummoque honore proſequendum, in Erudita Diſſert. de Colore Comar. Cap. III. §. 7. Apollo quoque in nummo Juliae Proclae ſedens conſpicitur ap. *Seguin.* in Select. Numiſm. pag. 74. & vice verſa Jupiter ſtans in nummo Veſpaſiani occurrit ap. *Eund.* pag 144. & in nummo Auguſti ap. *Oud.* in Potent. Rom. pag. 216. Quod & docet *Ampl. Cuper.* in Hom. Apotheos. pag. 19. ex lapide, qui Cliviae exſtat. Quin imo ipſe AEſculapius non apud ſolos Smyrnaeos ſedens cultus fuit, ſed in nobiliſſimo ejus apud Argivos templo ſignum hujus Dei ſedens e candido lapide, cui aſſidebat Bona Valetudo, conſpiciebat

ciebatur, narrante *Paus.* in Corinth. pag. 163. De Plutone & Serapide docet *Fabrett.* Inſcript. pag. 468. Praeterea in hoc nummo etiam obſervatur, dextram eum labia verſus admovere: quo arcana ſcientiae Medicae & juratum ab ejus candidatis ſilentium ſignificat; quippe ſacro ſub ſilentio Medicorum filii arcanis ſuae Artis initiabantur: ita enim Hippocrates a ſuis diſcipulis omnium, quae inter viſitandum tum audirent, tum viderent, ſilentium ſacramento extorſit. Vid. *Hippocr.* Jusjur. Tom. I. pag 43. *Ed. Lind. Soran. Ephes.* Isagog. in Art. Med. Cap. III. *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 21. & 22. *D. Hieronym.* ad Nepotianum de vita Clericor. Cap. XVIII. *Meib.* ad Form. Caſſiod. Lib. VI. Cap. XIX. & ad Jusjur. *Hippoc.* Cap. I. *Conring.* Diſſ. IV. de Ant. Acad. pag. 107. & de *Baſſen.* de Jurejur. Veter. Cap. IV. §. 10. Forte haec quoque ratio eſſe poteſt, cur Harpocrates, Deus ſilentii, Iſidi atque Serapidi perpetuus comes datur; nam ubicunque fere Serapis & Iſis colebantur, ibi etiam Harpocratis ſimulacrum erat, ſicuti ex Nummis ac Inſcriptionibus *de la Chauſſe* in Deor. Simul. ap. *Graev.* in Thes. Ant. Rom. Tom. V. pag. 782. *Angel. Politian.* in Miſcell. Cap. LXXXIII. *Voſſ.* Lib. I. de Idolol. Cap. LXXXII. *Eraſm.* Adag. pag. 677. *Salm.* ad *Pancirol.* Lib. II. Rer.

mor. pag. 217. *Frommann.* de Faſcinat. pag. 348. & *Ampl. Cuper.* in Harpocr. pag. 22. & 149. probant. Qua in opinione adhuc magis confirmor, quum video ap. eund. *Cuper.* pag. 118. Iſidis ſiſtrum atque AEſculapii baculum Harpocrati adjungi. Tandem per Aſtrum, quod ante ejus pectus ponitur, non improprie denotari Solem aſſerit *Mead* L. L. Verum forte non abſque re foret, ſi per hoc Aſtrum intelligeremus Ophiuchum, ſive Anguitenentem ſupra Scorpionem conſtitutum, cujus deſcriptio reperitur ap. *Cic.* Lib. II. de Nat. Deor. Cap. XLII. Sub quo nomine Jupiter, poſtquam fulmine deleverat, eum in gratiam Apollinis ad Aſtra tranſtulit, uti *Eratoſthenes* vetus auctor in Cataſteriſmis Cap. VI. & cum *Opuſc. Mythol.* & *Arato* editus, de Ophiucho ſcripſit: λέγεται δὲ ἔιναι Ἀσκληπιὸς, ὅν Ζεὺς, χαριζόμενος Ἀπόλλωνι, ἐις τα ἄστρα ἀνήγαγε. *Dicitur AEſculapius eſſe, quem Jupiter in Apollinis gratiam aſtris inſertavit.* Videri meretur *Hyg.* Lib. II. Poet. Aſtron. Cap. XIV. *Beroald.* ad *Apul.* Aſin. Aur. Lib. I. pag. 45. *Serv.* ad *Virg.* Lib. II. AEn. ℣. 259. & *L. Vives* ad *Auguſtin.* Lib. X. de Civit. Dei Cap. XVI. Praeterea ut Medicinae Deus etiam nobis exhibetur in nummo Caracallae, cum hac Epigraphe P. M. TR. P. XVIII. COS. IIII. P. P. ap. *Vaill.* de Numiſm.

miſm. Imp. Rom. Tom. II. pag. 261. Ubi Imperator paludatus adſtante ſibi milite cum labaro, ſacrum facit ante altare AEſculapii ſtantis pro foribus templi duarum columnarum, ad cujus latus ſtat victoria cum palma. Qui ex iſto nummo vel Caracallam hoc anno morbo laboraſſe arguere videtur, quoniam frequentes cum AEſculapii ſigno nummi in Caracallae Tribunitia Poteſtate XVIII. cuſi fuerunt, nam ut *D. Caſſ.* ait Lib. LIX. pag. 634. *Fuit aegra corporis valetudine, quod morbis partim evidentibus, partim occultis correptus eſſet.* Vel hunc nummum indicare autumat Pergamum Caracallam hoc anno profectum, in AEſculapii templo ſacra feciſſe. De curationibus, quibus Caracalla Pergami uſus, videatur *Herodian.* Lib. IV. Cap. VIII. Conf. & *Vaill.* L.L. pag. 305. Tandem aeque ac Apollo in Nummis & Inſcriptionibus ΣΩΤΗΡ vocatur; qualis inſcriptio occurrit ap. *Grut.* pag. 69. n. 8. & pag. 68. n. 5. ΑΣΚΛΗΠΙΩ. ΚΑΙ. ΥΓΕΙΑ. ΣΩΤΗΡΣΙΝ. *Aſclepio & Hygiae Servatoribus.* Quo nomine etiam inſignitur in Chiorum nummis, teſte *Seguino* in Select. Numiſm. Antiq. pag. 301. Quod *Ill. Spanh.* ex Coorum & Nicaeenſium nummis clare illuſtrat ac declarat Tom. I. de Praeſt. & Uſu Numiſm. pag. 218. & 289. & Tom. II. pag. 652. SALUTARIS dicitur in Inſcriptione

 ap.

ap. *Fleedw.* pag. 36. n. 2. Ab eo etiam omnes Medici vocantur AEſculapii filii, ut ap. *Lucian.* in Lexiphan. pag. 526. Edit. *Bourdel.*

XVII. Porro ejus Divinitatem ſatis commendare videtur, quod fuerit ſocietas ſexaginta hominum, collegium AEſculapii dictum, qui ipſi certis anni diebus (inprimis I. *Kal. Januar.* huic Deo res ſacra fiebat docente *Dempſt.* ad *Roſin.* Lib. IV. Ant. Rom. Cap. V.) ſacrificare ſolebant, uti ex eleganti in aedibus Barberinis marmore docet *Spon.* in Miſcell. Erud. Ant. pag. 54. Sacrificiorum ipſi oblatorum meminit Suid. in V. Επίδαυρος, & *Serv* ad *Virg.* Lib. II. Georg. ℣. 380. ei ut Deo ſalutis capram immolatam teſtatur. Quanta in dignitate illi AEſculapii Sacerdotes apud Smyrnaeos fuerunt poſiti, vel colligi poteſt ex *Ariſtidis* orationibus, qui ſaepius eorum non ſine honoris praefatione mentionem facit. Etiam memorantur in inſcriptione Smyrnenſi, inter *Marm. Oxon.* n. 46. Τ. ΚΛ. ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ ΛΙΚΙΝΝΙΑ ΝΟΥ. ΙΕΡΕΩΣ. ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ. Imo praeter haec omnia in ejus honorem ludi dicti Aſculapia habiti fuerunt, ſicuti in Ancyrano nummo ΑCΚΛΗΠΙΑ. CΩΤΗΡΙΑ, *ludi in AEſculapii Servatoris honorem* inſtituti memorantur ap. *Cell.* Antiq. Med. pag. 8. Qui celebrabantur in luco AEſculapii

pii ad Epidaurum: quorum Praeſides initio fuerunt AEſculapii poſteri, inde Primates Argivi, teſte *Schmidio* ad *Pindar.* Nemeωn Od. III. in fine. & Od. V. in fine. Ac quidem novem diebus poſt Iſthmia inſtituti dicuntur ab eod. *Schmidio* ad *Pindar.* Iſthmiωn Od. VIII. in fine. Ejus ludos quoque memorat *Arrian.* Lib. II. de Expedition. Alex. M. Cap. V. Ἀλέξανδρος δὲ ἐν Σόλοις θυσας τε τῷ Ἀσκληπιῷ, καὶ πομπέυζας ἀυτός τε καὶ ἡ ϛρατιά πᾶσα, κάι λαμπάδα ἐπιτελέσας, καὶ ἀγῶνα διαθεὶς γυμνικὸν καὶ μουσικὸν. *Alexander quum apud Solos AEſculapio ſacrificasſet, & ipſe pariter ac totus exercitus pompam facibus circumgeſtatis peregiſſet, ludis etiam gymnicis ac muſicis editis.* & *Curt.* Lib. III. Cap. VII. §. 3. *Vota deinde pro ſalute ſuſcepta per ludum atque otium reddens oſtendit, quanta fiducia Barbaros ſperneret: quippe AEſculapio Minervae ludos celebravit.* Plura ad haec certamina atque feſta, in ejus honorem inſtituta, ſpectantia attulerunt *Meib.* ad Jusjur. Hippocr. Cap. V. §. 19. & *Montfauc.* in Palaeogr. Graeca Lib. II. Cap. VI. Interim de AEſculapio praeter jam memoratos auctores latius egerunt *Pier. Valer.* Embl. Med. pag. 128. ſeq. *Barth.* ad *Stat.* Lib. III. Sylv. 4. ℣. 6. & Lib. III. Theb. ℣. 398. & Lib. XLI. Advers. Cap. XXV. *Voſſ.* Lib. I. de Idolol.

 Cap.

Cap. XIII. V. D. ad *M. Felic.* Oct. pag. 45. *Reines.* Cl. I. Inſcript. CXIV. *G. a Reies.* Elys. Camp. Jucund. Quaeſt. 3. §. 10 *J. Geus.* Lib. II. Victim. Hum. pag. 200. ſeq. *Dempſter*, ad *Roſin.* Lib. II Cap XVII. *Barch.* de Orig. ac. Progr. Medic pag. 6. & *Meib.* ad Jusjur. Hipp. Cap. V. docentem §. 31. hodieque Romae in aedibus Farneſianis AEſculapii ſtatuam e marmore videri. Effingitur quoque ap. *Apian.* & *Amant.* in Inſcrip. Ant. pag. 156. Poſtremo denique ſingularem de AEſculapio Librum, ex variis auctoribus Graecis juxta ac Latinis multo labore ac judicio compoſitum, Doctiſſimum Th. Guidottum Med. Bac. Coll. Wadh. Oxon. conſcripſiſſe jam litteris mandavit *Hofm.* in Lex. Univ. in voce *AEſculapius*: qui tamen Liber nondum in lucem fuit editus, ut aſſerit *Fabrit.* Lib. I. Bibl. Graec. Cap. VIII. §. 8. Adeoque more ſuo ſecurius dormitavit Hofmannus

XVIII. Verum enim vero his Medicinae Inventoribus atque Praeſidibus vetuſtas nondum fuit contenta. Alii enim, ut *Pindar.* Pyth. Od. III. ỷ. 10. & *ſchol. graec.* ad *Hom.* Il. Δ. ỷ. 219. Chironem; alii, ut parens poëſeos *Hom.* Il. E. ỷ 900. & *Lucian.* in Dial. Jov. AEſcul. & Herc. pag. 79. ſtatuunt Paeonem, qui idem eſt, ac Apollo, docente *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. VII. *Tiraq.* de Nobil. Cap.

Cap. XXXI. §. 5. quamvis *Almelov.* Invent. Nov. Ant. pag. 7. eundem ac AEſculapium eſſe ex *Artemid.* Lib. II. Oneirocriticωn Cap. XLII. adſerit. Cum vero de hiſce caeterisque omnibus latius egerunt *Xyſt. Betulej.* ad *Lactant.* Lib. I. Divin. Inſtit. Cap. XVIII. *Caſteli.* in Vit. Ill. Med. ap. *Gron.* in Thes. Ant. Graec. Tom. X. pag. 861. *Freinsh.* ad *Curt.* Lib. III. Cap. VI. §. 17. *Almelov.* Onomaſt. Rer. Inventar. pag. 45. *Barch.* de Orig. ac Progr. Med. Diſſ. I. §. 2. *Cellar.* Ant. Med. Cap. III. §. 3. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Vol. XIII. pag. 111. de iis non amplius excurram, cum ſatis ſuperque ex illis, quae jam in medium protulimus, conſtare puto omnes ferme gentes Medicinae Inventionem Divinam agnoviſſe.

XIX. Ratio autem, quare tantum huic Arti veteres tribuerunt, haec eſt: ſive quia, veluti *Quintil.* in Declam. CCLXVIII. tradit, *Credebant eam vix humanis potuiſſe ingeniis inveniri.* Sive quod, teſte *Lucian.* in Med. Abdic. pag. 457. *Medicina ſacra res eſt, & Deorum Doctrina.* Nam Deos primo hanc Artem ſuos docuiſſe filios ac propinquos docet *Galen.* in Med. Cap. I. *Artium inventiones, vel Deorum filiis, vel quibusdam eorum propinquis, quibus Dii primi Artem omnem communicarunt, Graeci ferunt*

acceptas. Hinc etiam eam exercuiſſe Deorum filii dicuntur ap. *AElian.* Lib. II. de Animal. Cap. XVIII. *Diſciplinas nimirum Heroes tantum & Deorum filii exercebant: & radicum naturam, varium herbarum uſum, pharmacorum temperationem, cantiones tum inflammationibus, tum reprimendo ſanguini propitias & alia quaedam noverant.* Conf. *Philoſtr.* Lib. III. de Vit. Apollon. Cap. XIV. Sive postremo inter cauſas, cur hanc Artem tanti fecerit antiquitus, haec quoque eſſe poteſt, quia forſitan ſecum reputarunt, quam multiplex in corporibus humanis ſit diverſitas, quanta ex aetatibus, ſexu, regionibus, coelo, educatione, ſtudiis, uſu varietas; quam infinita in tot millibus herbarum (ne quid dicam de caeteris remediis) quae alibi aliae naſcuntur, diſcrimina: tum quot ſint morborum genera, quae *Plin.* Lib. VII. H. N. Cap. LI. *infinita eſſe* tradit. A quo non diſſentit *Auguſt.* Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. XXII. *Tot eſse malorum genera, ut nondum libris omnia comprehenſa ſint.* Quemadmodum etiam ex hoc uno conjici poteſt, quod oculo omnium membrorum minimo 112. morbos, ſive affectus diſtinctos aſſignat *Galen.* in Med. Cap. XV. Nec immerito, quandoquidem nulla corporis pars tot vitiis obnoxia, teſte *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 76. & ita quoque *Senec.*

Ep.

Ep. XCV. ad Lucilium ſcribit : *Innumerabilia eſſe febrium genera atque alios morbos innumerabiles.* Quare breviter cum *Virg.* Lib. II. Georg. ℣. 103. dicere poſſumus:

Sed neque quam multae ſpecies, nec nomina quae ſint,
Eſt numerus: neque enim numero comprendere refert:
Quem qui ſcire velit, Libyci velit aequoris idem
Diſcere, quam multae Zephyro turbentur arenae:
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe, quot Jonii veniant ad littora fluctus.

Vel cum *Ovid.* Lib. V. Triſt. II. ℣. 23.

Littora quot conchas, quot amoena roſaria flores,
Quotve ſoporiferum grana papaver habet,
Sylva feras quot alit, quot piſcibus unda natatur,
Et tenerum pennis aëra pulsat avis;
Tot premor adverſis. quae ſi comprendere coner,
Icariae numerum dicere coner aquae.

CAPUT II.

De Medicinae Origine.

I. Capite praecedenti cum vidimus, veteres hujus inventionis gloriam ſolis ſuis attribuiſſe Diis, me converto ad inquirenda media, per quae haec Ars ſuum Ortum, Incrementum, atque Augmentum habuit. Prima igitur condendae Arti fundamenta jecit I. *Caſus Fortuitus.* Quo nomine deſignatur illa mutatio Phyſica contingens per cauſas, de quibus nil cogitaverat artifex. V.G. Homo phreniticus cadit, forte de lecto, in naſum; rumpit arteria, hinc haemorrhagiam paſſus reconvaluit: adeoque fuit concluſum, illud hic profuit, ergo in alio ſimili caſu quoque. Huc etiam referebantur ſpontaneae naturae molitiones, dum ſcilicet evacuatio quaedam, ſponte naturae facta, morbum ſuſtuliſſe obſervaretur. Ex. Gr. Cum febris poſt haemorrhagiam narium, ſudores, vel diarrhaeam aut minuatur aut tollatur. Veroſimile eſt, quod eo etiam pertineat operatio illa Chirurgica, Paracentheſis dicta, in Aſcite vel Hydrope ventris inſtituenda: quippe poſt curatorum hydropicorum, quam aquae per umbilicum vel alias abdominis diſruptas vel aper-

tas

as partes ſibi viam fecerant, exempla veteres
viderunt, facile ventrem pertundere & aquam
ex abdomine emittere auſi fuerunt. Tandem
unum adhuc ex plurimis, quae adferri poſſent exempla de remediis caſu inventis, ſive
de viribus plantarum caſu tantum cognitis,
adducam; refertur ap. *Dodonaeum* in Herbar.
pag. 181. *Edit. Ann.* 1644. Vim illam
Scordii, quae carnes animalium mactatorum,
ſi hae illa herba involvuntur, a corruptione
conſervat, primum innotuiſſe, quum obſervatum fuerit, corpora in acie caeſorum jacentia in campo proxime ad Scordium ibi creſcens
minus fuiſſe corrupta, quam reliqua, quae
remotius jacerent; ex quo etiam perſpecta
fuit vis hujus herbae, quae gangraenae & putredini reſiſtit. Huc etiam ſpectare videntur
ea, quae habet *Camerar.* Centur. III. Oper.
Subcis. Cap. LIX. *Rhodig.* Lib. VII. Ant.
Lect. Cap. XXI.

II. 2. *Naturalis inſtinctus*, quemadmodum
Leidenſis Hippocrates in Inſtitut. Med. §. 4.
ita affirmat: *Morbi quidem praeſentia impulſu
automatico cogit corpus ipſum ad applicationem
auxilii, caeterum ignoti: id obſervat attenta
contemplatio fieri in hominibus pariter, & in
brutis; licet ratio modum aſſequatur neutiquam.*
& §. 5. *Ipſa vero moleſta perceptio impediti in
membris quibuſdam motus; aut tormentum doloris*

loris laeſam quamcunque partem exagitantis, impulit mentem, ut quaerat & applicet, apta his tollendis remedia, ſive vago experimento, ſive appetitu ſpontaneo utatur. Quis enim nos fame laborantes docuit eam aſſumptione alimentorum ſedare? Quis aquoſis ſitim explere? Niſi ſolus *Naturalis inſtinctus*.

III. Ita *Verulamius* quoque Lib. V. de Augment. Scient. pag. m. 123. narrat de Corvis in regionibus calidiſſimis, qui, ubi potu carent, ad arborem cavam advolant, cum vero ad aquam accedere nequeant, tunc lapides injiciunt, ita ut aqua lapidibus ſpatio conceſſo adſcendat, ſicque hujus compotes fiunt. Hippopotamus plethora laborans abit ad littora & venam in crure acutis arundinibus ſibi aperit, cum vero corpus ſanguinis profluvio exoneraverit, plagam limo obducit, unde *Medendi Magiſter* a *Plin.* Lib. VIII. H. N. Cap. XXVI. vocatur. Ita etiam Caprae oculos inflammatos habentes dicuntur in ſpinam procurſu *Phlebotomiam* inſtituere ap. *Ambros.* Tract. II. de Capris pag. 577. Similiter avem Ibidem, Ciconiae ſimillimam, ſed totam nigram adunco roſtro alvum ſuam aqua perluentem *Clyſteris* uſum monſtraſſe teſtatur *Galen.* in Med. Cap. I. & *Mercur.* Lib. II. Var. Lect. Cap. XVIII. *Vomitoria* docuerunt Canes, qui nauſea laborantes aſpera graminis

folia

ſolia comedunt, vomitumque excitant, ut affirmat *Plut.* in Nat. Quaeſt. XXVI.

IV. Memini me *Magn. Boerhavium* Praeceptorem meum ſumma cum veneratione nominandum, in ſuis Domeſticis Inſtitutionibus audire duo admiranda narrantem exempla; quae hic, ut ſubjungantur, operae pretium duxi. Unum erat alicujus in Anglia canis, qui raro ab Hero dimittebatur, cum vero languidus dimitteretur, ilico praeter conſuetudinem ad Parietariam accurrebat, & avidiſſime devorabat; ita ut quodammodo alacrior fieret: diu autem domi retentus, iterum torpidus & dimiſſus ad eandem mox herbam accurrebat, quod plus vice ſimplici notatum fuit. Cane jam poſt mortem aperto diverſi calculi in veſica & ureteribus, qui urinae ſecretionem ei impediebant, inventi fuere. At qui Materiae Medicae peritus, anne ille meliorem contra calculum herbam inveniet? Alterum exemplum eſt Viperae apud Macasſarenſes, quae circa dentes gerit veſiculam liquido, quod mox mox aliquem occidit, impletam, in quo Macasſarenſes, cum bella contra Noſtrates gererent, tela ſua, quae inſtar aciculae erant, imbuebant; unde plurimi, qui vulnerabantur, ilico mortui fuerunt: quippe nullum tunc temporis remedium notum erat, niſi ut (cum praeſto eſſet)

eſſet) aliquot libras. ſtercoris humani adhuc calentis ederent; unde vehementer horrebant, ſudor expellebatur, & ſic curabantur. Verum enim vero iſta hodie longe facilius inſtituitur cura, poſtquam obſervatum fuit, quod huic Viperae oppoſitum ſit rariſſimum animalculum, quoad formam Leonem referens, ita ut commode Chamaeleon vocari poſſet. (Clar. Vir ipſe tale animalculum ſuis in theſauris, ni fallor, poſſidet.) Hoc ad Viperam accedens in eam inſilit, & non ante deſiſtit, quam vel ipſe perierit, vel vipera: ſi autem vulneratur, ad herbam quandam Mungos dictam ilico accurrit, ut devoret, tumque ad praelium redit, ſi vero accipere nequit, ſtatim moritur.

V. Haec & plura alia ratione non poſſumus aſſequi, nam ſic homo poteſt quidem ſcire quantum pondus poſſit elevari bilance communi, ſic & quantum cum bilance, quum brachia ſint inverſa ratione ponderis: Verum hic nil ſcimus ope rationis, quippe ſi quis videt Felem & Chamaeleontem, an tum ille ſciret, quod Chamaeleon herbam contra Viperae ictum, Felis non, ſciret? Certe minime. Hinc recte *Plin.* Lib. XXVII. H. N. Cap. III. ſcribit: *Pudendumque rurſus, omnia animalia, quae ſint ſalutaria ipſis, noſſe, praeter hominem.* Ita addere poſſem plu-

plura ab animalibus monſtrata, ex illorum obſervata induſtria mutuata & inde in morborum remedium adducta, quibus Medicinae ſupellex dives facta eſt, ſicuti quomodo Ciconia & Teſtudines Origanum, Hirundines Chelidoniam, Draco Foeniculum, Apri Hederam, Cervi Dictamnum, Muſtela Rutam monſtraverunt; verum de iis potius conſulendi ſunt *Cic.* Lib. II. de Nat. Deor. Cap. L. *Plin.* Lib. VIII. H. N. Cap. XXVI. & XXVII. *AElian.* Lib. II. de Animal. Cap. XVIII. & Lib. XIII. Var. Hiſt. Cap. XXXV. & Lib. I. Cap. X. *Plut.* de Ration. Brutor. Cap. XVIII. & Nat. Quaeſt. XXVI. *Polyd. Virg.* Lib. I. de Rer. Invent. Cap. XXI. *Alpin.* Lib. I. Medic. AEgypt. Cap. I. *Pier. Valer.* Lib. XVII. Hieroglyph. Cap. VIII. & Lib. XXII. Cap. XIII. *R. a Caſtro* Lib. I. Med. Polit. Cap. VI. *Lang.* Lib. I. Medic. Epiſt LXXX. & Lib. II. Ep. II. item *Voſſ.* Lib. III. de Idolol. Cap. LXVII.

VI. 3 *Eventus haud praeviſus.* Qui eſt mutatio Phyſica accidens contra artificis opinionem, ita ut longe aliter eveniat ac putaverit. Quippe ſic huc referri poſſet, quod de carnis Viperinae in elephantiaſi & lepra curanda vi ac efficacia caſu tantum cognita refert *Galen.* de Subfigur. Empir. Cap. XII. Haec eſt hiſtoria. Erat in Aſia in pago quodam

elephantiaſi vir laborans, qui primo quidem reliquis convivebat, ac cum familiaribus verſabatur: ubi vero nonnulli ex conſuetudine contagio maculari coeperunt, ipſeque jam foetore & horribili ſpecie deteſtandus eſſet, in edito loco prope pagum juxta aquae rivulum Pagani tabernaculum aegro habitandum ſtruxere, cui deinceps diarium alimentum ſubminiſtrarent. Proxima aeſtate circa Canis ortum colonis vicinam metentibus ſegetem miniſter odorati vini lagenam, quam attulerat, prope agri marginem dimittens abiit. Coloni labore functi cum ad pocula acceſſiſſent, ac quidam eorum adoleſcens vinum in craterem funderet, ecce exanimata vipera ſimul collapſa bibituros non minus abominatione, quam metu conſternavit: ac ipſi quidem aquam potantes, vinum aegrotanti attulerunt, humane ſe acturos exiſtimantes, ſi tantam viri calamitatem morte redimerent, quam ex eo veneni hauſtu plane futuram arbitrabantur: at ille novo quodam, prorſuſque admirando eventu, ab hoc ipſo potu ſanatus eſt: excidit enim tota cutis dura, & veluti lapidoſa, non ſecus, ac ſi cancris, locuſtiſve, aut caeteris hujusmodi cruſtaceis animalibus teſtam, qua conteguntur, abſcideris. Conf. *Galen.* Lib. XI. de Medic. Simpl. Facult. in initio. Simile quid de Bu-

fone

ſone calcinato hydropicorum aquas evacuante, forte fortuna a juvene depoſito detectum, habetur ap. *Schroder*. in Pharm. Med. Chem. pag. 796. Recte hic etiam notatur, quod *Auſon.* in Epigr. X. reliquit de adultera, quae dum toxicum miscuiſſet, viroque potandum dediſſet, deinde, ut certius maritum ſuum necaret, aliud etiam ipſi, ut illa putabat, venenum dedit Argentum ſcil: vivum; verum contrario plane ſucceſſu ac ipſa ſperaverat, dum Mercurius datus prioris veneni vim infringeret, vel prius datum venenum poſterioris, id eſt, Argenti vivi vim deleteriam reſtingueret. Haec ejus ſunt verba:

Toxica zelotypo dedit uxor moecha marito:
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit Argenti letalia pondera vivi;
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat haec ſi quis, faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant;
Ceſſit letalis noxa ſalutiferae.
Protinus & vacuos alvi petiere receſsus;
Lubrica dejectis qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum! prodeſt crudelior uxor.
Et quum fata volunt, bina venena juvant.

Adeoque ope horum trium, nimirum *Caſus*

fortuiti, *Inſtinctus naturalis*, *& Eventus haud praeviſi* Ars primo inventa fuit.

Caput. III.

De Medicinae Incremento & Augmento.

I. Incrementum & Augmentum deinde dabat memoria experimentorum, quae obtulerant tria praegreſſa: hinc *Ariſtotel.* Lib. I. Metaph. Cap. I. dicit: *Fit autem ex memoria experientia hominibus. Multae etenim ejusdem rei memoriae unius experientiae vim efficiunt.* & paulo poſt: *Per experientiam autem ars, & ſcientia hominibus efficitur.* Notatum volo, Philoſophum hic expreſſe Medicinam pro exemplo ponere. & Lib. II. Analyt. Poſter. Cap. ult. ſic loquitur: *Oritur ergo (ut diximus) ex ſenſu memoria: tum ex memoria aliquoties repetita, naſcitur experientia: nihil enim aliud eſt experientia una, quam multae (ut ſic dicam) memoriae.* Neque ab eo *Plato*, *Celſus*, *Galenus*, aliique ſummi in Arte Medica Viri diſſenſerunt, verum omnes ab experientia Medicinae incrementum deduxerunt, teſte *Almelov.* Inv. Nov. Ant. pag. 95.

II. Experiendi vero occaſionem primo dedit Neceſſitas, ut docet *Voſſ.* de Philoſ. Cap. XI.

XI. §. 1. Nam quam multa & gravia paſſos, ſaepe doloribus acutioribus, ac morbis vehementioribus correptos olim mortales fuiſſe facile colligit, quicunque attente conſideraverit, quae nudi aut pellibus rudioribus tecti pati debuerint, tum ex aëris injuriis, per inaequales autumnos modo aeſtu ſoluti, modo frigore adſtricti, tum ex inordinato & rudiori illo victu; ne de animi perturbationibus, ira, terrore &c. ne de caſu, ictu, omnibuſque violentiis externis ab hoſtibus aut feris illatis, quid addam; ne memorem miſeros, fructus herbaſque legentes, fefelliſſe ſaepius Aconita, Helleboros, Colocynthides; eodem ſolo ſalutaria non tantum folia, ſed etiam nocentia, iis quandoque ſimillima nutriente; in quibus interdum etiam anguis delituit, ac virus effudit. Unde quum commode intelligeretur longe beatiorem eſſe eorum ſtatum, qui ſecunda valetudine fruebantur, quam qui iſtis malis affligeretur, artem condere coeperunt, qua homo ab illis morbis liberaretur, & in ſanitatis terminis conſervaretur. Quod affirmat Divus *Hipp.* de Vet. Med. Tom. I. pag. 16. Conſtat enim illis non admodum difficile fuiſſe & quaſdam Chirurgicas inſtituere operationes, & quaedam remedia vel tentare vel etiam a brutis demonſtrata imitari, cum, ut *ſup.* Cap. II. §. 2. vidimus,

ad

ad illud *Naturali Inſtinctu* incitarentur.

III. In tranſitu vero hic annotandum, tum nondum, cum primi homines, victu ſimplici contenti, tam lautas menſas & opipara convivia non cognoſcerent, & propinationis conſuetudinem paulatim inductam ignorarent, tot morbos aegros vexaſſe, ac hodie; quemadmodum latius probant *Hippocr.* L. L. pag. 17. *Celſ.* in Praefat. Lib. I. *Plut.* Lib. VIII. Sympos. Quaeſt. Cap. IX. & *Mercur.* Lib. I. Art. Gymn. Cap. I. Vix enim praeter vulnera ab injuria externa illata alios tunc patiebantur morbos: unde adfirmare licet, primam Medicinam mere tantum Diaeteticam & Chirurgicam fuiſſe; nam ſic plerique, qui primis temporibus Medicinam exercuiſſe dicuntur, uti fuerunt Chiron Centaurus, Machaon, Podalirius &c. ob peritiam ſuam Chirurgicam, quam in perſanandis vulneribus, ulceribus aliiſque affectibus externis ſibi acquiſiverant, laudantur: & contra Medicinae interius adminiſtratae pauca aut nulla occurrunt veſtigia. Inſpiciatur *Celſ.* L. L. & in Praef. Lib. VII. Si igitur remedium haberi poterat, ſanguinem forſan a vulnere manantem ſiſtens, & vulnus poſthac claudens, ſatis omnino ipſis id erat; & hinc paucarum herbarum cognitione antiquitas fuit contenta ut teſtatur *Senec.* Epiſt. XCV. *Medicina quondam*

dam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paulatim: Paucis interjectis. *Nec eſt mirum, tunc illam minus negotii habuiſſe, firmis adhuc, ſolidiſque corporibus, & faciti cibo, nec per artem voluptatemque corrupto. Qui poſtquam coepit, non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quaeri, & inventae ſunt mille conditurae, quibus aviditas excitaretur: quae deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis. Inde pallor & nervorum vino madentium tremor.* & Paulo poſt: *Non erat neceſſe circumſpicere multa auxiliorum genera, cum eſſent periculorum pauciſſima. Nunc vero quam longe proceſſerunt mala valetudinis? has uſuras voluptatum pendimus, ultra modum fasque concupitarum. Innumerabiles eſſe morbos miraris? Coquos numera.* Conf. *Barth.* Lib. XXI. Advers. Cap. XXI. Creſcente igitur ingluvie vera inſimul provenerunt luxuriae ſupplicia, morbi, mille condituris excogitatis, non ad tollendam, ſed ad irritandam famem, quae jam voluptatum illecebris delinita, exquiſitiſſimis epulis expellitur: atque hinc *Petron.* Cap. CXIX. dicit:

Ingenioſa gula eſt. Siculo ſcarus aequore merſus
Ad menſam vivus perducitur inde Lucrinis
Eruta littoribus, vendunt conchylia coenas,
Ut renovent per damna famem. . . .

 Vid.

Vid. *Macrob*. Lib. VII Saturn Cap. IV. & V.

IV. Deinde haec Ars magis increvit, cum Medici antiqui, ſi de alicujus medicamenti vi, quod ipſis adhuc incognitum erat, certiores eſſe vellent, id benignitate Regum maleficis cruciſque candidatis propinarent, ut ſic vires atque operationes explorarent, ſicuti de Mithridate & Attalo Pergami Rege docet *Galen*. Lib. I. de Antid. Cap. I. Fere ſimile quid de Herophilo (de quo *Bartb*. Lib. XLVIII. Advers. Cap. XIX) & Eraſiſtrato notavit *Cels.* in Praef. Lib. I *Longeque optime feciſſe* Herophilum *&* *Eraſiſtratum, qui nocentes homines, a Regibus ex carcere acceptos, vivos inciderint*. *Caſtell.* de Vit. Illuſtr. Medic. ap. *Gron*. Thes. Ant. Graec. Tom X. pag. 874. & *Voſſ*. de Philos. Cap. XI. §. 11. ex *Tertull*. de Anim. Cap. X. *Herophilus ille Medicus, aut lanius, qui ſeptingentos exſecuit, ut naturam ſcrutaretur; qui homines odiit, ut noſſet*. In quo loco pro ſeptingentos legi debere ſexcentos monet *de la Cerda* ad *Tertull.* L. L. & *Conring*. Intr. in Art. Med. Cap. IV. §. 16. Numerus enim definitus pro indefinito ponitur, indicat duntaxat *Tertull*. Herophilum plurimos ſecuiſſe homines. *Paſc*. Inv. Nov. Ant. Cap VI. §. 15 Vid. *M. Freher*. Lib. I. Parerg. Cap XXV. in Tom. I. Thes. Jur. Clar. *Otton*. *Maſculae Juriſpruden-*

dentiae Antiſtitis. & *R. a Caſtro* Lib. I. Med. Pol. Cap. IV.

Caput IV.

De Conſuetudine, qua Antiquitus aegroti in Compitis ac Viis Publicis exponebantur.

I. Inprimis autem huic Arti experimenta dedit conſuetudo, qua antiquitus varios apud populos aegri in lectica, dicta fertorio, ſolebant in Compitis ac Viis publicis exponi, quo rogarent homines tranſeuntes, eodemne morbo laboraſſent, & quo pacto eſſent reſtituti: ita de AEgyptiis ac Babyloniis id teſtatur *Herodot*. Lib. I. Cap. CXCVII. *Alteram item ſapienter conſtitutam habent legem, qua aegrotos efferunt in forum: (neque enim Medicis utuntur) ut eum adeuntes de languore conſulunt, hortanturque ad ea, quae ipſe faciendo effugerit ſimilem morbum, aut alium noverit effugiſſe: nec fas eſt cuiquam aegrotantem praeterire ſilentio, nec antequam exploraverit quonam ille morbo laboret. Strab*. Lib. XVI. Geograph. pag. 1082. *Babylonii aegrotos in Compitis exponentes, quaerunt e praetereuntibus quisquam ne morbi praeſentis remedium norit: neque vero praetereuntium ullus adeo eſt improbus*

bus, quin occurrens admoneat, ſi quid ſalutare novit. Ex quibus duobus locis etiam notari poteſt piaculum fuiſſe aliquem morbo laborantem & remedium expectantem ſilentio praeterire. Vid. *Alpin.* Lib. I. Meth. Med. Cap. II. *Barth.* ad *Claud.* Conſul. Mallii Theodor. ℣. 128. & *Lang.* Lib. III. Medic Epiſt. VII. pag. 934.

II. Porro eundem hunc morem apud Hiſpaniae populos Callaicos, Aſtures, Cantabros & univerſim denique ad Pyrenea juga viguiſſe notat *Strab.* Lib. III. Geogr. pag. 234. ubi de illis populis verba faciens ita ſcribit: *AEgrotos vetere AEgyptiorum conſuetudine in viis deponunt, ut, qui eum morbum experti ſunt, iis conſulant.* & ita *Soſomen.* Lib. II. Hiſt. Eccles. Cap. VII. *Interea*, dicit, *contigit quemdam illic puerum graviter aegrotare, quem mater per ſingulas domos circumferens oſtendebat, ſolent enim Hiberi iſtud facere, ut ſi quis forte morbi Medicus repertus fuerit, aegrotis facilis & expedita contingat curatio.* Imo hanc conſuetudinem etiam apud Romanos in uſu fuiſſe conſtat ex his *Virg.* verbis, Lib. XII. AEn. ℣. 395.

Ille ut depoſiti proferret fata parentis.

Nam *Serv.* ea exponens ita ſcribit: *Depoſiti, id eſt, deſperati. nam apud veteres conſuetudo erat, ut deſperati ante januas ſuas collocarentur,*

vel

vel ut extremum ſpiritum redderent terrae, vel ut poſſent a tranſeuntibus forte curari, qui aliquando ſimili laboraverant morbo. Ad quem locum etiam inſpici meretur *La Cerda.* Huc quoque facit *Suet.* in Tib. Cap. XI. *Juſſique ſunt omnes aegri in publicam porticum deferri, ac per valetudinum genera diſponi.* Id eſt, Podagrici uno loco ſimul collocabantur; Febricitantes in alio; Phtiſici in alio. Apud Judaeos etiam viguiſſe patet ex loco *Marc.* Cap. VI. ℣. 56. *Et quocunque introiſſet in vicos aut urbes, aut agros in foris ponebant aegrotos.* & *Act. Apoſt.* Cap. V. ℣. 15. *Adeo ut in plateas efferrent infirmos & poneret in lectis ac grabatis, ut venientis Petri vel umbra inumbraret aliquem eorum.* Vid. *Dougt.* Anal. Sacr. Excurs. XXIV. Part. II. De Scotis teſtatur *Zahn.* de Orig. ac Progr. Med. pag. 36.

III. Magnam Medicinae experientiam hanc dediſſe conſuetudinem docet *Plut.* in Lib. cui titulus eſt: Num recte dicendum ſit: Sic vive ut nemo te ſentiat vixiſſe, Cap. II. *At vero priſci aegrotos ſuos in publico proponebant, ut praetereuntium quivis ſi quid vel ipſe eodem morbo conflictatus, vel ſimiliter laboranti opitulatus medelae noſſet, id aegrotanti ſignificaret. ajuntque Artem hoc modo experientia adjuvante creviſſe. Max. Tyr. Plat.* in Serm. XL. *Medicinae vetuſtiſſimum inventum his initiis ortum*

ortum conſtans eſt fama. Eum, qui vexaretur a morbo, domeſti exportantes in frequentiſſimo vico ſtatuebant, ut a tranſeuntibus viſus de qualitatibus morbi rogaretur, ita qui tulerat depulſeratque ſimilem morbum, aut medicamentis ſumtis aut cauteriis aut inciſionibus aut tolerantia ſitis praedito remedio laborantem juvabat: ſimilitudine igitur morbi remediorum colligens memoriam ſummam ejus, quod ex his hominum congreſſibus acceperat, ſcientiam fecit. & *Galen.* in Med. Cap. I. *Scribit etiam Herodotus Hiſtoriographus, quondam aegris per compita expoſitis illos, qui iiſdem aliquin morbis laborant, referre ſolitos, quibus unusquisque uſus, ſanitatem recuperaverit: atque hoc modo ex multorum uſu ac experimentis rem Medicam conflatam eſſe.* Plura habent id teſtantes *Rhodig.* Lib. XVIII. Ant. Lect. Cap. XXII. XXIV. & XXIX. *Voſſ.* de Philoſ. Cap. XI. §. 1. & *Dougt.* Anal. Part. Poſter. Excurs. XXIV.

CAPUT V.

De Somniis, quae aegri in Deorum templis capere ſolebant.

I. Verum ſi forſan adeo felicibus non eſſe aegris liceret, facillima hac methodo e trivio acquirere auxilia; alia adhuc incedebant via, de ſanitate recuperanda ſolliciti, adeundo Deos, & vota pro ſalute ferendo, vel opem illorum per inſomnia precibus ſollicitata efflagitando, veluti conſtat ex *Dict. Cretens.* Lib. II. Cap. X. Quippe eos, qui aliquid a Diis petere cogitabant, cubare in eorum, quorum ope indigebant, fanis, tanquam reſponſa ab iis in ſomniis accepturos docet *Serv.* ad *Virg.* Lib. VII. AEn. ℣. 85.

Hinc Italae gentes, omnisque Oenotria tellus,
In dubiis reſponſa petunt: huc dona ſacerdos
Cum tulit, & caeſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnosque petivit.

Et mox. ℣. 92.

Hic & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus,
Centum lanigeras mactabat rite bidentes:

At

Atque harum effultus tergo, ſtratiſque jacebat
Velleribus: ſubita ex alto vox reddita luco eſt.

Nam *Serv.* explicans, quid pellibus incubare ſit, ita loquitur: *Incubare dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad accipienda reſponſa. Unde eſt, ille incubat Jovi, id eſt, dormit in Capitolio, ut reſponſa poſſit accipere.* Plura reperire licet ap. *Taubm.* ad *Plaut.* Curcul. Act. I. Sc. I. ℣. 62. *Nicol.* de Subſtrat. & Pignor. Veſt. Cap. VI. §. 5. & *Alſtorph.* de Lect. Veter. pag. 24. & 55. Proinde hi aegri ſomnia captandi cauſa deponebantur in templis Deorum, quo reſpexit *Thucydid.* Lib. II. de Bello Pelopon. pag. m. 130. ubi de peſte totam Graeciam devaſtante verba faciens ita ſcribit: *Nam huic nec Medici pares erant, ignoto eis inter initia (imo ipſorum plurimi extinguebantur, ut maxime aegros adibant.) nec alia ulla hominum ars. Sed & quae in templis expoſcebantur, & divinationes, & quae ſunt id genus, quibus utebantur, omnia fruſtra fuere.* *Strab.* Lib. XIV. Geogr. pag. 961. *Ajunt morbis gravatos, & qui horum Deorum curationi aliquid tribuunt, eo commeare & victitare in pago prope antrum apud peritos ſacerdotes: hos pro iis excubare, & ex ſomniis praeſcribere curationes.* & paucis interjectis, ita per-

pergit: *Interdum aegroti propriis ſomniis animum advertunt: tamen illis, utpote Sacerdotibus, initiatoribus & conſiliariis utentes.*

II. Dii, in quorum templis hoc fiebat, praecipui fuerunt *Iſis*, *Serapis*, *Bacchus*, *Apollo*, *atque AEſculapius*. *Caſaub.* ad *Perſ.* Sat. II. ℣. 57. Ita de ISIDIS templo hoc docent Inſcriptiones ap. *Grut.* pag. LXXXII. n. 5.

ISIDI
SACRUM
EX. MONIT
EJUS. D. D.
L. VALERIUS
MEMOR
VI. VIR. AUG
L. D. P.

& ap. *Smet.* Inſcript. pag. XXXI. n. 8.

ISIDI. SACR
CRESCENS
CAESARIS
VESPASIANI
EX. VISO. POSUIT.

Quod affirmat *Diod. Sic.* Lib. I. Cap. XXV. ubi de Iſide loquens ita ſcribit: *Quam ob cauſam* (Sc. ob peritiam Medicam) *nunc quoque ad immortalitatem elata ſanatione hominum maxime gaudeat, & in ſomnis, ſi quis opem expe-*

expetierit, manifeſtam numinis praeſentiam, promptamque indigentibus bene merendi facultatem exhibeat. poſt pauca. *In ſomnis enim adſiſtentem aegrotis remedia contra morbos ſubjicere, eique morigerantes, nec opinato convaleſcere. Multos etiam, a Medicis propter morbi difficultatem deſperatos ab hac ſalutem accipere, plurimoſque oculis prorſus captos, aut alia corporis parte mutilatos, ſi ad Deae hujus opem confugerint, in priſtini vigoris integritatem reſtitui.*

III. SERAPIDIS vero templum huic rei etiam ſacrum fuiſſe indicat inſcriptio ap. *Reines.* Cl. I. Inſcript. CXXXIV.

DEO. SERAPI
M. VIBIUS
ONESIMUS
EX. VISU.

Quod & docet *Strab.* Lib. XVII. pag. 1152. *Habet Serapidis templum religioſe cultum, ut etiam nobiliſſimi viri ei credant, & pro ſe, vel pro aliis inſomnia ibi captent. Sunt, qui curationes conſcribant: quidam virtutes ibi editorum oraculorum. Artemid.* Lib. V. Onciro-crit. Cap. XCII. Νοσῶν τίς ἔυξατο τω Σεράπιδι, ἐι μέλλει σωθήσεσται, τὴν δεξιὰν αυτῶ χεῖρα ὄναρ ἐπισείεσθαι, ἐι ἢ μὴ τὴν ἀριστέραν. *Quidam aegro-*

grotans precatus eſt Serapidem, ut ſi convalitu-rus eſſet dextram manum ipſi in ſomniis concute-ret, ſin minus ſiniſtram. Tac. Lib. IV. Hiſt. Cap. LXXXI. *Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus; genua ejus advolvitur, remedium caecitatis expoſcens gemitu; monitu Serapidis Dei, quem dedita ſuperſtitionibus gens ante alios colit. precabaturque principem, ut ge-nas & oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento. Alius manum aeger, eodem Deo auctore, ut pede ac veſtigio Caeſaris calcare-tur, orabat.* & *Suet.* in Veſpas. Cap. VII. eandem hanc referens hiſtoriam. Ita de Adria-no ſimile quid refert *Spartian.* in ejus Vita Cap. XXV. Quin imo hodie adhuc, quod notandum, Galliarum ſtrumas, Angliae vero Reges epilepſiam curare dicuntur, teſte *Barthol.* de Medic. Danor. pag. 363. Atqui de admirandis hiſce aliorumque Principum cu-rationibus plura reperire licet ap. *Camer.* Cent. III. Oper. Subcis. Cap. XLII. & *Paſch.* Inv. Nov. Ant. Cap. VI. §. 26. ſeq. Praeter quos etiam conſuli merentur V. D. ad *Tac.* & *Suet.* L. L. *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 15. *Boxhorn.* in Quaeſt. Rom. ap. *Graev.* in Theſ. Ant. Rom. Tom. V. pag. 928. *G. a Reies* Elyſ. Camp. Quaeſt. XXIV. & XXVIII. Nec non *Morhof.* Polyh. Tom. I. Lib. I. Cap. XII. §. 28. Quibus adde *Ath. Kircher.* Oedip.

AEgypt. Tom. II. Cl. IV. pag. 69.

IV. De templo BACCHI hoc confirmat *Paus.* in Phoc. pag. 884. de Libero Patre ſic verba faciens: *Narrant Amphicleenſes, & futura ſibi Deo auctore praedici & contra morbos in promptu eſſe remedia; quod & in ſomnis tam ipſi, quam finitimi de morborum medelis ab eo moneantur.* Vid etiam *Buchner.* Part. II. Epiſt. XXII. pag. 384. Tandem de APOLLINIS templo hoc oſtendit *Caſaub.* ad *Pers.* Prol. ℣. 1. & *Lurſen.* de Templo & Biblioth. Apoll. Palat. pag. 66. Poſtremo vero in AESCULAPII templo id quoque factum fuiſſe conſtat ex ſeq. Inſcriptione ap. *Tomas.* de Donar. Cap. XXXV. pag. 216.

ASCLEPIO
P. AELIUS. POLLIO
VISU. MONITUS
POSUIT.

Notandum, quod *Gruter.* Inſcript. pag. LXX. n. 7. pro AELIUS legat XELIUS. Sic Caracalla Romanorum Imperator Pergamum adiiſſe dicitur ap. *Herodian.* Lib. IV. Cap. VIII. *Ut AEſculapii curationibus uteretur.* Addit autem: *Somnia, quamdiu voluit, captavit.* *Jamblich.* Myſter. AEgypt. Sect. III. Cap. IV. de ſomniis differens ita ait: *In AEſculapii templo per ſomnia divina morbi ſanantur,* *ipſa-*

ipſaque medendi Ars conſtitutis obſervationibus nocturnarum apparitionum in Divinis ſomniis comparata eſt. Ad quem locum videri meretur *Dale* in ſuis Notis. & *Paus.* in Corinth. pag. 173. *Supra templum* (ſc. AEſculapii) *aedes ſunt, in quibus, qui precatum Deum venerunt, dormiunt.* Hodieque Romae Tiberina inſula monſtrat templum olim AEſculapio, nunc vero S. Bartholomaeo ſacrum, teſte *Borrich.* de Herm. AEgypt. atque Chemic. Sapient. Lib. I. Cap. VII. §. 12. in quo iſta ſomnia capiebantur, cujus meminit *Suet.* in Claud. Cap. XXV. *Cum quidam aegra & affecta mancipia in inſulam AEſculapii taedio medendi exponerent, omnes, qui exponerentur, liberos eſſe ſanxit, nec redire in ditionem Domini, ſi convaluiſſent.* Nam *Torrent.* ad hunc locum haec verba ita exponit: *AEſculapii vero inſulam Tiberinam appellat Suetonius, in qua non minus Romae quam Epidauri in templo AEſculapii aegri ad captandum ſomnum exponebantur.* Atque illud in variis *Plauti* locis quoque apparet, ut in Curcul. Act. I. Sc. I. ℣. 61. Act. II. Sc. I. ℣. 1. & Sc. II. ℣. 10. Haec forte ratio fuit, quare ſomni ſignum in ejus templo poſitum fuerit, ap. *Paus.* in Corinth. pag. 134. *Hinc via ad AEſculapii ducit. Accedentibus ad ſeptum, duplex ſe laeva in parte cella oſtendit. in antica ſomni ſignum poſitum, cujus praeter*

caput nihil eſt reliquum. Plura deſiderantibus obvia ſunt ap. *AElian.* Lib. IX. de Animal. Cap. XXXIII. *Cic.* Lib. I. de Divinat. Cap. X. *Philoſtrat.* Lib. I. de Vit. Apollon. Cap. VI. *Antonin.* Lib. I. de ſe ipſo pag. 22. *Soſomen.* Lib. II. Hiſt. Eccl. Cap. V. *Pier. Valerian.* Lib. XXII. Hieroglyph. Cap. XIII. *Menag.* ad *D. Laert.* Lib. IV. Segm. 24. *Barth.* ad *Stat.* Lib. I. Sylv. IV. ℣. 99. & Lib. V. Theb. ℣. 620. *Conring.* de Med. Herm. Cap. XI. pag. 116. *Wouwer.* ad *Petron.* Cap. XVII. *Bernecc.* ad *Juſtin.* Lib. XII. Cap. X. §. 3. *Salm.* Tom. I. Exercit. Plin. pag. 99. *Kuhn.* ad AElian. Lib. XII. Var. Hiſt. Cap. I. *Dempſt.* ad *Roſin.* Lib. II. Ant. Rom. Cap. II. *Alſtorph.* de Lectic. Veter. pag. 249. & *Barchus.* de Orig. ac Progr. Medic. pag. 9. Quibus jungitur *Mercur.* Lib. I. Var. Lect. Cap. XIII. ubi docet in uſu fuiſſe morbo laborantes quandoque in templis detineri atque nutriri. Conf. *Gruter.* ad *Senec.* Lib. I. de Ira Cap. XVI. & ad *Spartian.* in Adrian. Cap. XXV. Praeterea ſic etiam apud Podalirii AEſculapii filii ſepulcrum a Calabris ſomnia capta fuiſſe teſtantur *Majol.* Dies Canicul. pag. 498. & *Rhodig.* Lib. XXVII. Ant. Lect. Cap. XIV. *Legimus item Dauniis vel Calabris in more fuiſſe pellibus incubare, quas Melotas dicunt, id eſt ovillas, in Podali-*

rii

rii ſepulcro: ſicque per quietem oraculis inſtrui.

V. Caeterum aegros ſomno monitos, etiam ſanatos fuiſſe ex quam plurimis conſtare poteſt exemplis; & inter haec potiſſime attendi meretur teſtimonium *Galen.* Lib. XIV. Meth. Med. Cap. VIII. & Lib. de Curand. Ration. Per Sang. Miſſ. Cap. *ult. At miniſter Dei Pergami, diutino lateris cruciatu laborans, liberatus eſt arteria in ſumma manu inciſa, aggreſſus & ipſe illud inſomnii monitu.* & huc facit *Paus.* in Att. pag. 84. *Qui morbo oraculi monitu levati fuerint, ſignatum aurum, argentumve, more majorum in fontem abjiciunt. Plin.* Lib. XXV. H. N. Cap. II. in fine quoque narrat, quod ſuo tempore miles quidam in Lacertania a cane rabido demorſus matris abſentis ſomnio remedium invenerit. Haec enim ejus ſunt verba: *Nuper cujusdam militantis in praetorio mater videt in quiete, ut radicem Sylveſtris Roſae, quam Cynorrhodon vocant, blanditam ſibi aſpectu pridie in fruteto, mitteret filio bibendam, in Lacertania res gerebatur, Hiſpaniae proxima parte: caſuque accidit, ut milite a morſu canis incipiente aquas expaveſcere, ſuperveniret epiſtola orantis, ut pareret religioni: ſervatuſque eſt ex inſperato & poſtea quisquis auxilium ſimile tentavit. Galen.* de Subfigur. Empir. Cap. XII. *Alium praeterea*

terea divitem virum non noſtratem, ſed e media Thracia Pergamum, ſomnio ita jubente, profectum AEſculapius admonuit, ut medicamentum e viperis quotidie potaret, atque exterius corpus illineret: ac multo poſtea tranſivit in lepram, deinde hac Medicina, quam Deus docuerat, exquiſite ſanatus eſt. Denique ſimile quid de Alexandro M. narrat *Cic.* Lib. II. de Divinat. Cap. LXVI. ſic ſcribens: *Quale etiam de Alexandro: quod a te praeteritum eſſe miror: qui, cum Ptolemaeus, familiaris ejus, in praelio telo venenato ictus eſſet, eoque vulnere ſummo cum dolore moreretur: Alexander aſſidens, ſomno eſt conſopitus. Tum ſecundum quietem viſus ei dicitur Draco is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre, & ſimul dicere, quo illa loci naſceretur, (neque is longe aberat ab eo loco:) ejus autem eſſe vim tantam, ut Ptolemaeum facile ſanaret. Cum Alexander experrectus narraſſet amicis ſomnium, emiſiſſe, qui illam radiculam quaererent, qua inventa, & Ptolemaeus ſanatus dicitur, & multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati.* Cujus hiſtoriae mentionem etiam facit *Strab.* Lib. XV. Geogr. pag. 1053. & *Juſtin.* Lib. XII. Cap. X. §. 3. Vid. & *Artemid.* Lib. V. Oneirocrit. Cap. IX. Qui autem ſcire cupit, quid & quomodo V. D. de hiſce ſomniis judicarunt, adire poteſt *Hippocr.*

pocr. Tom. II. pag. 908. *Cic.* Lib. II. de Divinat. Cap. LVIII. & LXVI. *Plut.* de Defect. Oracul. *Euſeb.* Lib. V. Praep. Euang. Cap. I. *Rhodig.* Lib. XXVII. Cap. XIV. & XV. *Conring.* de Herm. Med. Cap. XI. pag. 116. *Majol.* de Diis Canic. pag. 498. *Borrich.* de Herm. AEgypt. ac Chem. Sapient. Lib. I. Cap. VII. §. 12. *Fromm.* de Faſcinat. pag. 196. *Zacch.* Quaeſt. Med. Legal. Lib. IV. Tit. I. Quaeſt. V. §. 17. *Buchner.* Part. II. Epiſt. XXII. *Voſſ.* Lib. III. de Idolol. Cap. XXXV. *Marcil.* ad *Suet.* in Veſp. Cap. VII. *G. de Sal.* ad *Petron.* Cap. XVII. & *Boecler.* ad *Vell. Pater.* Lib. II. Cap. LXX. §. 2.

VI. Quibus autem ritibus ille qui ſomnia capturus eſſet, obſtrictus erat, nos ex *Paus.* in Att. pag. 84. docet Vir admirandae eruditionis *Rhodig.* L. L. *Ad hujus item oraculum, qui pergit, inquit, purgari primum oportet. Purgatio autem eſt, ut Deo res ſacra peragatur: cui & omnibus, quorum nomina in ara ſculpta ſunt, ſacrificant. His peractis mactati arietis pellem ſubſterni, atque ita ſolitos dormire captantes ſomnii ſignificationes.* Ita aegros ſomnia capturos pellibus ſtratis incubuiſſe etiam affirmat *Taubm.* ad *Plaut.* Curcul. Act. I. Sc. I. ℣. 62. Nam ibi locum *Virg.* Lib. VII. AEn. ℣. 86. memorans.

In dubiis reſponſa petunt, huc dona ſacerdos
Cum tulit, & caeſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit.

Ita ſcribit: *Sic igitur in templo AEſculapii aegroti incubabant ad remedia per ſomnium accipienda.* Atque ex hac veteri ſubſternendi δερμα ſive pellem conſuetudine, ipſum verbum dormire originem ducit. *Caſaub.* ad *Athen.* Lib. VI. Cap. VIII. Nam a δερμα prius dermire dixerunt, poſtea vocalem quartam repoſuerunt in locum ſecundae: ut ex benus, bonus; ex hemo, homo; a tego, toga; a Κερκυρα, Corcyra & plura alia, teſte *Voſſ.* Lib. III. de Idolol. Cap. XXXV. & *Feſt.* de Verb. Signific. in Voc. Hemona. & *Dacer.* ad *eund.* in Voce Bona. Plura autem de dormiendi in pellibus ritu videnda ſunt apud ſingulare ſui ſeculi Decus *Turneb.* Lib. XI. Advers. Cap. VII. *Feith.* Lib. III. Ant. Homer. Cap. VIII. *Nicol.* de Subſtrat. & Pignor. Veſt. Cap. VI. §. 3. & 4. & *Alſtorph.* de Lect. Veter. pag. 24. & 55.

VII. Quouſque autem hae incubationes duraverint videre licet ap. *Taubm.* ad *Plaut.* Curcul. Act. II. Sc. I. ℣. 1. ubi haec habentur: *Meminit hujus incubationis & Prudent. in Hamartig. ut quae ad ſuum tempus duravit.* Jam notum eſt hunc Prudentium flo-

floruiſſe ſub Theodoſio M. ejusque liberis; quippe natus erat A. U. C. MCI. id eſt, A. Chr. N. CCCXLVIII. ut teſtantur *Voſſ.* de Poët. Lat. pag. 57. *Borrich.* de Poët. pag. 72. & *Blount.* in Cenſur. Celeb. Auct. pag. 282. Quin imo ſuperiori etiam ſeculo hanc conſuetudinem in Italia adhuc duraſſe referunt *Taubm.* L. L. & *Conring.* Exercit. de Incubat in Fanis Deor. Medicinae cauſa olim factis §. 27. e Georg. Fabritii Commentario ad Poëtas, qui ſe Patavii ait vidiſſe adolescentes & puellas ruſticanas in Coenobio D. Antonii certa nocte incubare. *Nec mirum*, (uti pergit ille) *hic eos imitatos fuiſſe gentiles: ſiquidem Sanctorum apud Pontificios poſt ἀποθέωσιν cultus illi paganorum daemonolatriae tam geminus germanus eſt, ut nec ovum ovo, nec lac lacti ſimilius eſſe fere poſſit.* Hic etiam obſervandum, quod ille D. Antonius apud Pontifices morbis mederi dicatur, affirmante *Lang.* Lib. III. Medic. Epiſt. VI. pag. 951.

Caput. VI.

De Votis, quae morbo laborantes nuncupare ſolebant.

I. Porro autem modo jam memorata (nimirum ſomniis in Deorum templis capiendis) valetudine recepta non ſolum grati animi indicio ſolvebant vota, quae tempore infirmitatis nuncupaverant, verum etiam poſthac, qua ratione ſanitatem recuperaverant, tabulis ſeu anathematibus ad templorum parietes atque columnas appenſis, vel in eorum ſacrario depoſitis, teſtatum faciebant. Conſtat enim, quod aegri vel eorum cognati atque amici vota nuncupare ſolerent. Ita aegros hoc feciſſe conſtat ex Inſcriptionibus, uti ap. *Ampl. Cuper.* in Apoth. Homer. pag. 300.

MINERVA. MEDICAE
CABARDIAE
VALERIA. SAMMONIA
VERCELLESIS. V. S. L. M.

Ap. *Tomas.* de Donar. Cap. XXIV. pag. 224.

EX. VOTO. DONUM
POSUIT. C. TETTIUS
FESTUS. PRO. SE
ET. SUIS. L. D. D. D.

Quod

Quod etiam colligi poteſt ex *Artemid.* Lib. V. Oneirocrit. Cap. IX. & LXXXIX. Ac *Macrob*. Lib. I. Saturn. Cap. XVII. paulo poſt initium: *Meandrius ſcribit Mileſios* Ἀπόλλωνι ἐλίῳ *pro ſalute ſua immolare. Pherecydes refert Theſea, cum in Cretam ad Minotaurum duceretur, voviſſe pro ſalute atque reditu ſuo* Ἀπόλλωνι ἐλίῳ καὶ Ἀρτέμιδι ἐλίᾳ. Praeter aegros vota quoque nuncupaſſe eorum cognatos atque amicos docent *Propert*. Lib. II. Eleg. VII. ℣. 63.

Haec mihi vota tuam propter ſuſcepta ſalutem
Quum capite hoc ſtygiae jam poterentur aquae:
Et lectum flentes circumſtaremus amici.

& *Terent.* in Hecyr. Act. III. Sc. II. ℣. 2.

Male metuo, ne Philumenae magis morbus adgraveſcat:
Quod te, AEſculapi, & te Salus, nequid ſit hujus, oro.

Videatur *Ovid.* Ep. XIII. Her. ℣. 112. *Plut.* in Alex. M. Cap. LXXIV. Quod Inſcriptiones confirmant: qualem unam fideliter enotavit Literae Curioſiſſimus ille antiquitatum inveſtigator *Jac. Sponius*, inſeruitque egregio illi ſuo itinerario Tom. I. pag. 365.

ISIDI.

ISIDI. SERAPIDI. LIBER
LIBERAE. VOTO
SUSCEPTO. PRO. SALUTE
SCAPULAE. FILI. SUI
P. QUINCTIUS. PARIS
S. L. M.

Ampl. Cuper. in Apoth. Homer. pag. 302.

J. S. J. P. D. M.
ISIDI. SALUTARI
PRO. SALUTE. Q. VERGILI
MODESTI. CASSIA. MAT
V. S. D.

Fleedwood Syll. Inſcript. pag. IX. n. 5.

JUNONI. LUCINAI
PRO. FILIA. PARVA. LABORANTE
SUSCEPTO. VOTO
STATILIA. D. D.

Vid. *Barth.* ad *Claud.* IV. Conſul. Honor. ℣. 140. *Barthol.* de Puerp. Veter. pag. 27. & *Broukh.* ad *Tib.* Lib. I. El. V. ℣. 10.

II. Tandem pro ſalute Principum ſaepe ſic vota nuncupata teſtantur *Cic.* in Orat. Philipp. VII. Cap. IV. & Orat. Philipp. X. Cap. VIII. utroque loco de Hirtio verba faciens: *At horum alter nondum ex longinquitate graviſſimi morbi recreatus, quidquid habuit*

it virium, *id in eorum libertatem defenden-
am contulit*, *quorum votis judicavit ſe a mor-
revocatum*. Sic pro ſalute Pompeji, cum
Campania graviſſima tentaretur valetudine,
niverſa Italia vota ſuſcepit, teſte *Juven.* Sat.
X. ℣. 283. & *Vell. Paterc.* Lib. II. Cap.
XLVIII. §. 2. *Suet.* in Calig. Cap. XIV.
Ut vero in adverſam valetudinem incidit,
ernoctantibus cunctis circa palatium, *non
lefuerunt*, *qui depugnaturos ſe armis pro ſa-
ute aegri*, *quique capita ſua titulo propoſito
overent*. In Aug. Cap. LIX. *Nonnulli
atrumfamiliarum*, *teſtamento caverint*, *ut
ab heredibus ſuis praelato victimae titulo*, *in
Capitolium ducerentur*, *votumque pro ſe ſolve-
retur*, QUOD SUPERSTITEM AU-
GUSTUM RELIQUISSENT. *Tacit.* Lib.
III. Ann. Cap. LXXI. *Inceſſit dein religio quo-
nam in templo locandum foret donum*, *quod pro
valetudine Auguſtae Equites Romani voverant
Equeſtri Fortunae*. & Lib. XII. Ann. Cap.
LXVIII. poſtquam dixerat Claudium ex ve-
neno ab Agrippa dato laborare, ita pergit:
Vocabatur interim Senatus; *votoque pro* inco-
lumitate Principis *Conſules & Sacerdotes nun-
cupabant*. Praeterea id etiam Nummi atque
Inſcriptiones indicant: qualis una exſtat ap.
Tomas. de Donar. Cap. III. pag. 25.

PRO. SALUTE. DOMUS. AUGUSTI
EX. CORPORE. PAUSANIORUM. ET
ARGENTARIORUM. ISIDI. ET
OSIRI. MANSIONEM
AEDIFICAVIMUS.

Ad quam Inſcriptionem obiter haec notanda duxi. Primo quod Eruditiſſ. *Tomas.* L. L. & *Ampl. Cuper.* Lib. IV. Obſerv. Cap. II. paululum lapſos videntur, cum hanc Inſcriptionem Romae demum A. MDCXXXIV. erutam aſſerant; nam *Salmas.* in Comm. ad *AEl. Spartian.* in Antonin. Caracall. Cap. IX. quae Pariſiis A. MDCXX. prodierunt, illam jam attulerat, niſi parva cum differentia pro *Pauſaniorum* legens *Pauſariorum*. Quam lectionem *Ampl. Cuper.* loco jam memorato, & *Fabrett.* Inſcript. pag. 488. quoque tenent. Secundo vero *Reines.* Claſſ. I. Inſcript. CXXXIX. contra *Salmaſ.* L. L. putat forte culpa ſculptoris CORPORA PAUSARIORUM pro CORPORATI AURARIORUM exaratum fuiſſe; (littera TI. e littera P. commode reſultante.) quibus tunc jure ARGENTARII, ut unius corporis atque ſodalitii conjunguntur, omnino ut ap. *Grut.* Inſcript. pag. CCLXI. n 4. *Fabri*, *Ferrarii*, *Tignarii* &c. aggregantur. De quo ambo *Salmas.* & *Reines.* L. L., ut & *Hofmann.* in Lexic. in Voce

Pau-

auſa. inſpici poſſunt. Ego nihil hic affirma- audeo, & juvenili meo judicio tantum non edo. Videant qui in caſtris Litterarum no- rarum Veterani, quibus emunctae magis pur- itaeque ſunt nares. Tandem *Fabrett.* L. L. o *aedificavimus* legit *dedicavimus*. At in iam redeamus. Ita etiam in Marmore ap. ud. in Potent. Rom. pag. 254. J. O. M. ERAPIDI. PRO. SALUTE. IMP. L. EPT. SEVERI. legitur. Conf. *Reines.* Cl. Inſcript. CCVIII. & CCLIV. Poſtremo x Nummo Auguſti VOTA. P. SUSC. RO. SALUTE. ET. REDITU. J. O. I. SACRUM. hoc docet *Vaill.* Tom. II. e Numiſm. Imper. Rom. pag. 41. Quippe aec vota Populus ſuſcepit, dum Auguſtus arracone aegrotavit A. U. C. DCCXXIX. ſolvit A. DCCXXX. Apud *Eund.* Tom. . pag. 102. occurrit Nummus Commodi in ujus Periphaeria haec habentur verba: VOT. OL. PRO. SALUT. P. R. COS. VII. . P. Dira enim peſtilentia ſub Commodi rincipatu Italiam adfligente, varia ſacrificia aluti Deae exhibita ſunt, quorum ſpecimen xhibet hic Commodi Nummus. Addatur hic *Caji JCti* locus in L. 233 D. de Verb. Signif. §. 1. *Poſt Kal. Januarias die tertio pro ſalute Principis vota ſuſcipiuntur.* An haec vota ſemper ipſis Ka- lendis, an vero III. Nonas nuncupata fuerint, nunc

nunc non inquiram, ſed deſiderantes relego ad *Caſaub.* ad *Spartian.* in Adrian. Cap. XXIV. *Buchner.* ad *Plin. Sec. Jun.* Lib. X. Ep. XLIV. Lipſ. Excurs. ad *Tac.* Lib. XVI. Ann. Cap. XXII. V. D. ad *Vell. Paterc.* L. L. *Freher.* Lib. I. Parerg. Cap. VI. ap. *Cl. Ott.* in Theſ. Jur. Tom. I. pag. 869. *Broukh.* ad *Tib.* Lib. IV. El. I. ℣. 129. *Strauch.* de Oblat. Votor. Cap. III. Quae Diſſertatio inter ejus opuſcula reperitur pag. 296. & *Maſſon.* in Vit. Plin. Sec. Jun. pag. 144. Ulterius de hiſce pro ſalute Principum votis conſuli poſſunt *Buleng.* Lib. I. de Imper. Cap. XXXV. *Briſſon.* Lib. I. de Formul. pag. 199. *Turneb.* Lib. I. Advers. Cap. XVII. *Rutgers.* Lib. V. Var. Lect. Cap. V. *Tomas.* de Donar. Cap. XIX. pag. 132. *Colleſſ.* ad *Martial.* Lib. VIII. Epigr. IV. *Freinſh.* ad *Curt.* Lib. III. Cap. VII. §. 3. V. D. ad *Cic.* Lib. VIII. ad Att. Epiſt. XVI. & ad *Tac.* Lib. XVI. Ann. Cap. XXII. & Cruger in Diſſ. de eo, quod juſtum eſt circa devotionem pro aliis §. 12. & *Clar. Arntz.* ad *Aur. Vict.* de Vir. Ill. Cap. LXVI.

III. Verum enim vero valetudini jam reſtituti Diis vota, tempore infirmitatis ſuſcepta, ſolvebant, teſte *Barth.* de Puerp. Veter. pag. 165. Sic ea *Mercurio* ſoluta patet ex *Reines.* Cl. I. Inſcript. LXXV.

MER

MERCURIO
L. PUPLICIUS
L. F. BROCCO
PRO. SALUTE
CORNELIAE. MACRINIANAE
UXORI
V. S.

Iſidi ex *Tomas*. de Donar. Cap. XXIV. pag. 220.

ISIDI. ET. SERAP
SACRUM
EX. VOTO
PRO. FILIOLI. SALUTE
SUSCEPTA
SAURANA. FECIT.

Pro SAURANA verò *Reines*. Cl. I. Inſcript. CXXXII. legendum exiſtimat SCAURIANA. Huc quoque facit Inſcriptio ap. *Gruter*. pag. LXXXII. n. 6.

ISI. SACR
L. MAGIUS
PHILEAS. VI. VIR
AQUIL. OB
SALUT. GRATTIANI
FILII. ET. GRATTIAE.

& n. 8.

ISIDI
SIGNUM. HARPOCRATIS
F

C. DI-

C. DIDIUS
ACUTIANUS
DON. DED.

Hic tamen obſervandum, quod *Ampl. Cuper.* in Harpocr. pag 123. obſervet, *Sert. Urſatum* in Monum. Patavin. pag. 93. ſcribere ACUTANUS. pro ACUTIANUS. *Tomas.* vero in Cecrop. Vot. ap. Gron. Thes. Ant. Graec. Tom. X. pag. 669. ACUTIANUS reſervat. Plura deſiderantibus inſpiciendi ſunt *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 291. & *Reines.* Cl. I. Inſcript. X. & CCXLVIII. De *Serapide* illud praeter ea, quae §. 1. occurrunt, indicat vetus fragmentum apud *Gruter.* pag. LXXXV. n. 4.

PRO. SALUTE. IMP. CAES
M. AUR. ANTONINI. AUG
PII. FEL. P. P
VOTO. SUSCEPTO
DEI. MAGNI. SERAPIDIS
TEMPLUM. COLUMNIS
. . . .
ORNARI
SEX. POMPEJUS. PRIMITIVUS
M. VIBIUS. SATURNIUS
S. P. C.

IV. Praeter hos memoratos Deos vota etiam aliis ſolvebantur Diis, quemadmodum

Soli

oli ſive *Apollini* ap. *Tomas.* de Donar. Cap. XXIV. pag. 225.

SOLI. AETERNO
SACRUM
PRO. SALUTE. P. VALERII. CRISPI.

tc. Ac apud *Reines*. Cl. I. Inſcript. CCXLIX.

APOLLINI. INVICTO
EX. VOTO
PRO. SAL
D. N. TI. CLAUDI. AUG
FLORENTISSIMI. PRINCIP
C. JULIUS. SCYLEROS. V. C
AUG. N. PROC
V. CUR.

Quod evidenter etiam conſtat ex *Paus.* in Phoc. pag. 824. *Cleonaei quum peſtilentia nihil minus quam Athenienſes laboraſſent, oraculi monitu Soli primum orienti caprum immolarunt; ac deinde lue ſedata aeneum caprum Apollini miſerunt.* Ad haec vota ſoluta etiam reſpicit *Phalaris* Agrigentinorum tyrannus in Epiſt. LXXXIV. memorans *Tripodas Delphicos & coronas aureas & alia multa ac precioſa munera pro actione gratiarum ob recuperatam ſalutem &c.* Conf. *Juſtin.* Lib. XXIV. Cap. VI. §. 10. *AEſculapio* hoc etiam factum fuiſſe ex veteri Inſcriptione, ad urbem Reggienſem

in Provincia, qua AEſculapio ex voto aureum torquem ex gemmis, enchiridion argenteum aliaque dona oblata fuiſſe teſtatur *Gruter*. pag. LXX. n. 8.

DEO. AESCULAPIO. VAL. SYMPHORUS. ET. PROTIS. SIGNUM. SOMNI. AEREUM. TORQUEM. AUREUM. EX. DRACUMCULIS. Δ. P. S. >·.·.·-- ENCHIRIDIUM. ARGENT. P.c,c,-S. ANABOLIUM. OB. INSIGNEM. CIRCA. SE. NUMINIS. EIUS. EFFECTUM. V. S. L.

& *Smet*. Inſcript. pag. XXVIII. n. 7.

ASCLEPIO
ET. HYGIAE
MARCUS
EX. VOTO.

Atque id ſatis colligere poſſumus ex *Liv*. Lib. XLV. Cap. XXVIII. *Inde haud parem opibus Epidaurum, ſed inclytam AEſculapii nobili templo: quod quinque millibus paſſuum ab urbe diſtans, nunc veſtigiis revulſorum donorum, tum donis dives erat, quae remediorum ſalutarium aegri mercedem ſacraverant Deo.* De *Minerva*, ſequens ex *Ald. Manut*. Ortogr. pag. 198. Inſcriptio docet.

MINERVAE
MEMORI
COELIA. JULIANA

IN-

INDULGENTIA
MEDICINARUM
EJUS. INFIRMITATE
GRAVI. LIBERATA
D. P.

Hanc Inſcriptionem immerito *Boxhorn.* in Quaeſt. Rom. ap. *Graev.* in Theſ. Ant. Rom. Tom. V. pag. 915 pro ſuppoſititia habuit, cum *Petrus Victorius* in Caſtigationibus Poſterioribus ad *Cic.* Lib. XII. ad Famil. Epiſt. XXV. illam teſtetur in agro Placentino inventam fuiſſe infra Cabardiacum non longe a Trebia, ubi plures lapides inveniuntur Minervae Memori dedicatos, quae culta fuerit a Gallis Ciſalpinis, Memorque appellata, quod vota preceſque mortalium audire ſolita ſit, nec oblivíſci. Conf. *Ampl. Cup.* in Apoth. Hom. pag. 301. Male quoque *Boxhorn.* inde conficit, Coeliam fortaſſe mente captam fuisſe, & rationis infirmitate laboraſſe, quae poſtea reſtituta velut ſapientiae & rationis Praeſidi Deae lapidem hanc poſuerit. Nihil horum deprehendas in hoc marmore. Nam infirmitas illa gravis potuit eſſe morbus corporis non animi. Minervae enim antiquitus adſcripſiſſe etiam poteſtatem morbis medendi, infirmoſque reſtituendi, conſtat ex aliis quoque lapidibus, in quibus Minerva Medica dicitur. Exſtat unus in eodem loco, nimirum

Placentiae infra Cabardiacum erutus *ſupra* §.
1. Alter etiam Placentiae inventus ap. *Grut.*
occurrit pag. MLXVII. n. 4.

MINERVAE
MEMORI. TULLI
A. SUPERIANA. RES
TITUTIONE. FACTA
SIBI. CAPILLORUM.

Vid. *Clar Graev.* in Praef. Thes. Ant. Rom.
Tom. V. Sed ad rem. De *Caſtore* & *Polluce* hoc oſtendunt *Barth.* de Puerp. Veter. pag.
165. ex Inſcriptione ap. *Grut.* pag. XCVIIII.
n. 9. & *Gutberl.* de Myſter. Deor. Cabiror.
pag. 24. ex *Fleetw.* Syllog. Inſcript. pag.
XLII. n. 3.

CASTORI. ET. POLLUCI. DIIS. MAGNIS
SULPITIA. Q. SULPITII. F. VOTUM
OB. FILIUM. SALUTI. RESTITUTUM

V. Quaenam autem haec fuerint grati animi dona, nunc inquirendum reſtat. Ideoque qui convaluerant, partis affectae imaginem ex auro, argento, aliave materia illi ſupendebant Deo, cujus ope ſe ſanatos credebant. V. Gr. oculum ponebant, aut crus, aut ma-

num

num, qui oculo, aut crure, aut manu laboraſſent, uti docent *Broukh.* ad *Tibull.* Lib. I. El. III. ℣. 28. & *Chr. Lang.* Tom. I. Oper. Med. pag. 9. Ita Minervae aures argenteas ſuſpenſas patet ex Inſcriptione ap. *Grut.* pag. MLXVII. n. I.

MINERVAE. AUG
L. CALLIDIUS. PRIMUS
BRIXELLANUS. EX. ARG
LIB. II. ITEM. L. CALLIDIUS
PRIMUS. AURES. ARGENTEAS.

Nam hanc lectionem contra *Barthol.* de Inaur. Veter. pag. 67. qui pro *aures* legere mavult *inaures*, retinendam cenſeo; quia Gentes, uti hoc §. videb., eas corporis partes, quae ſanatae erant, in ſignum gratiarum Diis ſuſpendebant: in qua ſententia magis confirmor, quum video *Ampl. Cuper* eandem hanc quoque foviſſe opinionem in Apoth. Homer. pag. 300. Praeter quem *Tomas.* de Donar. Vet. Cap. XXIII. pag. 167 etiam vulgatam retinet lectionem: atqui circa divinationem, cur hae aures Minervae fuere dicatae, a noſtra paulo recedit ſententia. Cui jungitur *L. Pignor.* in Libro Symbolarum Epiſtolicarum Epiſt. XXXVIII. qui liber editus fuit Patavii A. 1628. Praeterea ſic etiam manus ad volam lacera, ac rigens veluti dolore, conſecra-

ta inter caetera occurrit ap. *Tomas.* de Donar Cap. II. pag. 17. Ubi alteram illam figuram, quae per urnulam, qua aquam ex Egeriae fonte hauſtam, utpote luſtralem, domi ad ſacrum uſum continebant mulieres, explicatur, recte *Fabrett.* Inſcript. pag. CDLXX. oſtendit non fuiſſe vaſculum, ſed naturalia mulieris, quae forte utero laboraverat. Forte quoque hujus loci eſt manus aenea cum hac inſcriptione CECROPIUS. V. C. VOTUM. SOLVIT. Id eſt, *Cecropius voti compos votum ſolvit.* Vid. *Tomas.* in Cecrop. Vot. Cap. I. ap. *Gron.* Thes. Ant. Graec Tom. X. pag. 662. & *Barthol.* de Puerp. Veter. pag. 164. Imo egregie huc pertinet antiquus ille Lapis ap. *Cuper.* in Harpocr. pag. 47. ubi *Oneſimus* Deo Serapi infimam pedis partem conſecrat, qua indicari videtur, illum podagra laboraſſe, uti inter plura egregia ad hanc rem ſpectantia docet *Fabrett.* Inſcript. pag. CDLXIX. Quia in lapide iſto infimi cruris articulus exhibetur, ubi maximi ejus valetudinis dolores fiunt, a ſerpente laceratus. Videatur *Tomas.* de Donar. Cap. VII. pag. 77. & Cap. XXXIV. pag. 222. & *Rupertus* in Epiſt. ad Reines, quae reperitur in *Reines.* Epiſt. XXXIV. ubi Tomaſium notat. Atque hinc ap. *Paus.* in Phocid. pag. 803. inter Apollinis donaria pervetus effigies quaedam fuit ex aere, hominis, cui diuturniori morbo carne conſumta, ſola eſ-

ſent

ſent reliqua oſſa: ajebant Delphi ab Hippocrate Medico dedicatam. Nec non hujus fortе loci eſt illud Odontagogum plumbeum in Apollinis templo, cujus meminit *Cael. Aurel.* Lib. II. Morb. Chron. Cap. IV.

VI. Praeter haec adhuc varia alia Diis ſuis dona ſanitati reſtitutos dedicaſſe conſtat ex eo, quod aliorum Deorum ſimulacra quoque ſuſpenſa videamus in Inſcriptione ap. *Grut.* pag. LXXXII. n. 8. jam *ſupra* §. 3. memorata. Quo etiam refertur Inſcriptio Romae in aedibus Marii Mellini, quam mihi jam ſaepe laudatus *Tomas.* de Donar. Cap. VII. pag. 7. ſuppeditavit:

PRO. SALUTE
JULIAE. VENERIAE
FILIAE. DULCISSIMAE
DELICIAE. SUAE
TABELLAM. HANC. MARM
CUM. SIGNO. AESCULAPI
IN. SOMNO. ADMONITUS
L. VALERIUS. CAPITO
AED. ANN. . . . .
. . . .
D. S. P. L. M. D. D. D.

Eo quoque reſpicere videtur *Paus.* in Att. pag. 49. *AEſculapii vero aedes, quum ob plurima ejus & filiorum Simulacra, tum ob egre-*

gias picturas, quae ſpectetur digniſſima. Ac haec forte ratio eſt, ut tam multas Deorum ſtatuas in hujus vel illius Dei templo fuiſſe legamus; quemadmodum de AEſculapii templo ap. *Eund. Paus.* in Meſſen. pag. 358. *Plurima vero, & quae ſpectentur digniſſima habet ſigna apud Meſſenios AEſculapii templum. Seorſum enim Dei ipſius, & ejus liberûm ſimulacra; ſeorſum Muſarum, Apollinis & Herculis poſita ſunt.* Videantur Inſcriptiones Graecae, quae exhibentur ap. *Fabrit.* Tom XIII. Biblioth. Graec. pag. 349. & *Fleedw.* Syll. Inſcript. pag. XXXV. n. 3. & 4. Porro ali- quando aram donabant, uti de Baccho docet Inſcriptio *ſup.* Cap. I. §. 9. ex *Reines* Cl. I. Inſcript. CCLXXII. allata. De Mercurio *Tomas.* de Donar. Cap. III. pag. 32. De AEſculapio idem *Tomas.* in Cecrop. Vot. apud *Gron.* Thes. Ant. Graec. Tom. X. pag. 667. Conf. *Fleedwood.* L. L. pag. 19. Imo AEſculapio aureum torquem dicatum oſtendit *Scheff.* de Torquib. §. 10. Sic & Hippolytus, quem equis dilaceratum AEſculapium in vitam revocaſſe *ſup.* Cap. I. §. 16. vidimus, Servatori ſuo XX. equos conſecravit, *Paus.* in Corinth. pag. 173. *Seorſum eſt ab aliis antiqua pila. in ea inciſum, dicaſſe AEſculapio Hippolytum equos XX. Hippocr.* in Lib. de Morb. Virg. Tom. I. pag. 357. *Poſtquam autem*

ſipon

ſipuit homo, mulieres tum alia multa tum pretioſiſſimas muliebres veſtes Dianae conſecrant, a vatibus id jubentibus deceptae. Paus. in Att. pag. 84. *Qui morbo oraculi monitu levati fuerint, ſignatum aurum argentumve more majorum in fontem abjiciunt.* Huc etiam reſpicere videtur *Suet.* in Aug. Cap. LVII. *Omnes ordines in Lacum Curtii quotannis ex voto pro ſalute ejus ſtipem jaciebant. Lucian.* in Philopſeud. pag. 835. *Multi, inquit ille, ad pedes ejus oboli jacebant, aliaque item numiſmata quaedam argentea ad crus ejus affixa cera, ac laminae quoque argenteae, vota cujuſque, aut merces ob ſanationem ejus, qui ab eo liberatus eſſet, quum febre detineretur.* & *Strab.* Lib. XIV. pag. 971. *In ſuburbio AEſculapii eſt aedes, celebre admodum, & multis donariis plenum, in quibus eſt etiam Apellis Antigonus. Fuit ibi etiam Venus a mari emergens* (ἀναδυομένην *Graeci dicunt*) *quae nunc conſecrata eſt Divo Caeſari ab Auguſto Caeſare, patri ſuo auctorem generis dedicante: ajunt Cois pro pictura ea de tributi imperati ſumma remiſſa fuiſſe centum talenta.* Plura habentur apud *Ald. Manut.* in Orthograph. pag. 171. & *Dempſt.* ad *Roſin.* Lib. II. Cap. II. Poſtremo Gentium aemulos Chriſtianos, quinto poſt Chriſtum ſeculo, ſimiliter coepiſſe donaria in templis appendere, imaginem haben-

tia

tia partium, quae aliquo morbo affectae convaluerant, diſcimus ex *Theodoret.* Lib. VIII. Therapeut. pag. 435. cujus verba haec ſunt: *Quod vero votorum compotes fiunt, qui fideliter promittunt, palam teſtantur eorum* ἀναθήματα τὴν ἰατρέιαν δηλȣ̃ντα, *donaria curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum effigies offerunt ex auro vel argento confectas.* Quod adhuc paſſim in Eccleſia Romana ſervari cuilibet, qui duntaxat ſimplici vice theſaurum eorum templorum ſacrarii viderit, pernotum eſt. Conf. *Lips.* in Sua Diva Hallenſi. & *Lang.* Lib. II. Med. Epiſt. VI. pag. 951.

VII. Poſtremo denique aegri nunc ſanitati reſtituti in templis ſuſpendere ſolebant tabulas curationes continentes, longe certe praeſtantiori uſu, quam hodie demortuorum inſignia: ita *Paus.* in Corinth. pag. 173. *Pilae vero intra ambitum priſcis temporibus multae ſteterunt, e quibus ſex aetate mea reliquae. In iis virorum & faeminarum, quae a Deo curatae ſunt, nomina inciſa: morborum etiam, quo quiſque laborarat: addita eſt curationis ratio. NB. Scripta vero ſunt omnia Dorica lingua.* Ad quem locum vid. *Kuhn.* Eo etiam reſpicit in Achaj. pag. 596. *Modico a Myſaeo intervallo ſurgit AEſculapii templum: Cyros vocatur. Multa hic monſtrantur morborum remedia.* Quare

exiſti

exiſtimo Magn. *Broukh*. ad *Tib*. Lib. I. El. III. ℣. 28.

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Aliquid humani paſſum fuiſſe, cum aſſerit in hiſce tabellis praeter eam corporis partem, quae fuerat adfecta, aliud nihil expreſſum fuiſſe: cujus tamen contrarium praeter *Paus*. L. L. etiam luculenter oſtendit *Plin*. Lib. XXIX. H. N. Cap. I. *Is cum fuiſſet mos, liberatos morbis ſcribere in templo ejus Dei quid auxiliatum eſſet, ut poſtea ſimilitudo proficeret, NB. exſcripiſſe ea traditur, atque (ut Varro apud nos credit) jam templo cremato, inſtituiſſe Medicinam hanc, quae Clinice apellatur.* *Strab*. Lib. VIII. Geogr. pag. 575. *Haec quoque urbs* (Argos ſc.) *obſcura non eſt: maxime propter AEſculapium, qui ibi claret, crediturque omnis generis morbos depellere, ſemperque templum refertum habet aegrotantibus, ac tabellis dedicaticiis, in quibus quo quiſque morbo liberatus fuerit, conſignatum exſtat, ſicuti & in Co & Triccae.* Ubi *Caſaub*. & Lib. XIV. pag. 972. *Narrant Hippocratem maxime e dedicatis ibi curationibus ibi exercuiſſe ea, quae ad victus rationem ſpectant.* Hinc quoque Theriacam Magni Regis Antiochi uſu adver-

adverſus omnia venena adeo celebrem lapide in limine aedis AEſculapii inciſam docet *Plin.* Lib. XX. H. N. Cap. XXIV. *Unam compoſitionem ex his clariſſimam ſubtexemus adverſus venenata animalia, inciſam lapide verſibus in limine aedis AEſculapii.* & *Plin. Valer.* Lib. II. de Re Med. Cap. LVII. *Non omittenda eſt & Theriaca, qua Antiochus Rex adverſus omnes ſerpentes utebatur, praeter aſpidem, quae adeo probata eſt experimentis, ut apud inſulam Coum in templo AEſculapii inciſa ſit in lapide.* & Lib. IV. Cap. XXXVIII. Ex his *Plinii Valeriani* locis erraſſe patet Indefeſſ. *Fabrit.* Vol. XIII. Bibl. Graec. pag. 64. Cum ex his Plinii locis probaverit, hanc Antiochi Theriacam etiam in Apollinis templo verſibus dedicatam fuiſſe: utroque enim in loco de AEſculapii templo verba facit. Nec non medicamenta in templis ſuſpenſa palam fit ex *Aëtio Tetrab.* Lib. II. Serm. III. Cap. CXIII. ubi deſcribitur collyrium nomine teſtamenti, quod aurifex moriens templo Epheſio dicarat, quo ii, qui a Medicis relicti eſſent, in templo ſanitatem conſequerentur, quod deinceps ab Adriano Caeſare inventum fuit, quemadmodum teſtatur *Tomas.* de Donar. Cap. XXXIV. pag. 224. Huc etiam pertinent Emplaſtra *Iſis* ſive *Epigoni*, & *Sacrum*, quae in Vulcani templo juxta Memphim inventa ſunt, quae deſcri-

deſcribuntur a *Galen.* Lib. V. de Compos. Medic. Per Gener. Cap II. Simile quid de templo Hieroſolymitano narrat *Suidas* in voce Εζεκιας. *Fertur etiam tale quiddam. Fuit Salomonis liber, remediorum cujuſvis morbi veſtibulo templi inciſus. Eum revellit Ezekias, quod populus, neglecto Deo, nec invocato, ſanationem malorum inde peteret.* Unde *Val. Max.* Lib. II. Cap. V. §. 6. de templis Febris verba faciens, ita ſcribit. *In eaque remedia, quae corporibus aegrotorum annexa fuerant, deferebantur.* Qui plura velit docentia ipſam in hiſce tabellis curationem fuiſſe contentam, evolvat *Alpin.* Lib. I. Meth. Med. Cap. I. *Mercur.* Lib. I. Var. Lect. Cap. XIII. *Caſtell.* in Vit. Illuſtr. Medic. ap. *Gron.* in Thes. Ant. Graec. Tom. X. pag. 866. *Voſſ.* de Phil. Cap. XI. §. 2. *Almel.* Inv. Nov. Ant. pag. 108. & Magn. *Boerhav.* in Inſtitut. Med. §. 9.

VIII. Hodie varia adhuc harum formularum, quibus hae tabulae conſcribebantur, monumenta paſſim proſtant, ut apud Virum praeclarae eruditionis *Mercur.* Lib. I. Art. Gymn. Cap. I. qui ea ex Maphaeorum monumento, alto pedes IIS, longo pedes II, ſpiſſo digitos II, quod in templo AEſculapii inventum, exſcripſit, & ex Graeco ſermone in Latinum vertit. En exempla aliquot.

Lu-

Lucio affecto lateris dolore, & deſperato a cunctis hominibus oraculum reddidit Deus. Veniret, & ex ara tolleret cinerem, & una cum vino commiſceret, & poneret ſupra latus: & convaluit, & publice gratias egit Deo, & populus congratulatus eſt illi.

Sanguinem revomenti Juliano deſperato ab omnibus hominibus ex oraculo reſpondit Deus. Veniret, & ex ara caperet nucleos pini & comederet, una cum melle per tres dies: & convaluit, & veniens publice gratias egit, praeſente populo.

Valerio Apro, militi caeco, oraculum reddidit Deus. Veniret, & acciperet ſanguinem ex gallo albo, admiſcens mel, & collyrium conficeret; & tribus diebus uteretur ſupra oculos: & vidit, & venit, & gratias egit publice Deo.

Videantur *Boxhorn.* in Quaeſt. Rom. ap *Graev.* in Thes. Ant. Rom. Tom. V. pag. 926. *Tomas.* de Donar. Cap. VII. pag. 70. *Fromm.* de Faſcin. pag. 197. *Fleedwood* Syll. Inſcript. pag. 38. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. XX. Quibus addantur *Smet.* in Inſcript. pag. XXIX. & *Gruter.* pag. LXXI. Apud quos litterae una cum lapide ad vivum delineatae exhibentur. Hic tabularum ſuſpendarum mos uſque ad Antonini Imperatori-

is aetatem perduravit, uti *Mercur.* ex eod. monumento loco mox laudato docet: *Hiſce diebus Cajo cuidam caeco oraculum reddidit. Veniret ad ſacrum altare & genua flecteret, deinde a parte dextera veniret ad laevam, & poneret quinque digitos ſuper altare; & elevaret manum, & poneret ſuper proprios oculos: & recte vidit populo praeſente & gratulante, quod grandia miracula fierent ſub Imperatore noſtro Antonino.*

Caput VII.

Quemnam uſum Tabellae Supſenſae habuerint in Medicorum Scholis exſtruendis.

I. Ex hiſce, quae jam ſuperius a me diſputata ſunt, colligo id, quod omnibus attentiori cura haec examinantibus facile probari confido, hujusmodi tabulas primam hominibus anſam dediſſe Medicorum Scholas exſtruendi: Medicina enim tot experimentorum ſubſidiis nixa facile tandem Artis formam induere potuit. *Artemid.* Lib. IV. Oneiroc. Cap. XXIV. Inter has Scholas, quae ad inſtruendos in Medicina homines erectae fuerunt, non injuria Alexandrina primum obtinuit locum: adeo ut illi, qui Medicinam profiteri

fiteri in animum induxiſſet, ſatis fuerit, ſi ſe Alexandriae edoctum affirmare poſſet, uti *Freher*. Lib. II. Parerg. Cap. XVI. ap. Cl. *Ott*. in Tom. I. Thes. Jur. pag. 926. & *Conring*. de Herm. Med. Cap. IX. pag. 84. docent ex *Amm. Marcell*. Lib. XXII. Cap. XVI. *Medicinae autem, cujus in hac vita noſtra, nec parca nec ſobria deſiderantur adminicula crebra, ita ſtudia augentur in dies, ut licet opus ipſum redoleat, pro omni tamen experimento ſufficiat Medico ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriae ſe dixerit eruditum*. Ad quem locum conſuli meretur *Lindenb*. Imo Alexandria propter Scholarum famam vocatur Athenae AEgyptiae a *Barth*. Lib. II. Advers. Cap. XXI. Qui & ad Claud. Conſul. Mallii Theod. ℣. 128. inſpici poteſt. De hac Schola etiam varia contulit *Conring*. Diſſ. I. Antiq. Acad. pag. 11. & 23. ſeq. *Anonym*. Coſmogr. a *Gothofr*. edid. pag. 23. & *Rhodig*. Lib. XVI. Cap. III. De reliquis Scholis, ſicuti Rhodia, Cnidia, Coa, Agrigentina, Cyrenaica &c. plurima contulerunt *Galen*. Lib. I. Meth. Med. Cap. I. *Conring*. Introd. in Art. Med. Cap. III. §. VII. & pag. 119. Atque *Strab*. Lib. XIII. Geog. pag. 869. Cujus verba, quia in Graeco codice ſe bene non habent, & ab interprete minus accurate ſunt verſa, ex *Mercur*. emendatione

Lib.

Lib. II. Var. Lect. Cap. XII. ſunt petenda. Tandem Romae quoque Medicam Scholam fuiſse apparet ex Inſcriptione olim una cum multis aliis vetuſtate pene conſumtis Romae ad D. Sebaſtiani reperta.

M. LIVIO. CELSO. TABULARIO
SCHOLAE. MEDICORUM
M. LIVIUS. EUTYCHUS
ARCHIATROS. OLL. D. II
IN. FR. PED IIII.

ap. *Mercur.* Lib. IV. Var. Lect. Cap. I. Haec enim Schola in Eſquiliis fuit aedificata, multiſque imaginibus atque marmoribus ornatiſſima, ut ex ruinis illius partis a plurimis & praecipue a *Ligorio* obſervatum fuit; ibique eadem tractabantur, quae nunc in Collegiis vocatis docentur, teſte *Mercur.* Lib. I. Art. Gymn. Cap. VII. & *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 15. Conf. *Abb. Garofal.* Epiſt. ex Tom. II. Art. X. du Journal des Savans d'Italie ap. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. III. Cap. IX.

II. Porro hae tabulae non ſolum Scholarum Medicarum extruendarum anſam dederunt, verum etiam Hippocrates hiſce tabellis exſcribendis Medicinam Clinicen vocatam inſtituiſſe dicitur ap. *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. de Hippocrate ſic loquentem: *Ex-*

ſcripiſſe ea, ſc. remedia, *traditur*, *atque* (*ut Varro apud nos credit*) *jam templo cremato inſtituiſſe Medicinam hanc, quae Clinice appellatur. Strab.* Lib. XIV. Geogr. pag. 972. *Narrant Hippocratem maxime e dedicatis ibi curationibus ibi exercuiſſe ea, quae ad victus rationem ſpectant.* Quibus duobus locis *Plin.* atque *Strabo* indicare videntur, Hippocratem Artem Medicam non per haereditatem aut paternam traditionem, ſed ſuam acquiſiviſſe ſcientiam ex tabulis aegrorum votivis in AEſculapii templo ſuſpenſis, eumque, quae in his diſperſa erant experimenta, in unum volumen congeſſiſſe. Verum enim vero illis potius albus eſt adjiciendus calculus, qui dicunt, Hippocratem his adminiculis inſtructum Artem rudem paterna traditione acceptam perpoliviſſe, indigeſtam digeſſiſſe, obſcuramque declaraviſſe. Videantur *Barthol.* Diſſ. I. de Lib. Legend. pag. 41. & *Almel.* Inv. Nov. Ant. pag. 12. Certe mirum non eſſe debet Artem Medicam ab hoc Viro ſtupendae penitus eruditionis in tantum exornatam atque amplificatam fuiſſe, cum jam ultra mille annos Artis Medicae poſſeſſio ſacra Aſclepiadae familiae fuiſſet, ex qua Hippocrates oriundus erat: ita eum a patre hanc Artem didiciſſe affirmat *Suid.* in voce Hippocrates. *Hic primum quidem fuit diſcipulus pa-*

patris, poſtea vero Herodici Selybriani, & Gorgiae Oratoris ac Philoſophi. Galen. in Medic. Cap. I. *Illam vero, quae inter homines verſatur, hujus ſucceſſores Aſclepiadae poſteri veluti haereditario acceptam tradiderunt, maxime Hippocrates, qui omnibus facile praecelluit, primuſque perfectam apud Graecos Medicinam in lucem protulit.* Quod etiam oſtendit *Paetus* in Epiſtola ad Magnum Artaxerxum, quae exſtat ap. *Hipp.* Tom. II. pag. 897. *Didicit autem Artem, tum a patre Heraclida, tum ab avo Hippocrate. Verum ab his quidem primum velut veriſimile eſt, in re Medica initiatus eſt, quantum ſane credibile eſt hos noviſſe. Univerſam vero Artem ipſe ſeipſum docuit, divina natura uſus, & in tantum animi induſtria progenitores tranſgreſſus, quantum etiam Artis praeſtantia eoſdem ſuperavit.*

III. Caeterum non defuerunt alii, qui non erubuerunt Hippocratem optimum & integerrimum virum AEſculapii templi accenſi & remediorum annotatorum furtiva manu ſurreptorum incuſare. A quorum partibus ſtare non dubitavit Doctiſſimus *Lang.* Lib. I. Epiſt. LI. pag. 233. & Lib. II. Ep. III. pag. 501. Cujus maledicti primus auctor videtur quidam *Andreas* ap. *Soran.* in vita Hipp. Qui reperitur ap. *Hipp.* Tom. II. pag. 952. Haec ejus ſunt verba: *Porro quum in Arte Medica*

totoque diſciplinarum orbe exercitatiſſimus eſſet, functis vita parentibus, ex patria diſceſſit, ut quidem maligne de eo Andreas in eo, quem de Medicinae origine ſcripſit libro, prodit, propterea, quod publicam Cnidiorum Bibliothecam igne concremaſſet. Neque illud affirmare erubuit *Tzetz.* Chiliad. pag. 123. Cui caecam quaſi fidem habuit *Lomejer.* de Biblioth. pag. 82. At neſcio, temerene quis calculum adjecturus ſit rei tam abſonae atque aliis vetuſtioribus ſcriptoribus praeteritae: quare *Soran.* L. L. multo veriorem reddit rationem, cur hic Vir ſuam reliquerit Patriam, ſcilicet eo propoſito, *ut rei Medicae effectus & ſucceſſum per multos locos cognoſceret, & in his variis modis exercitaretur.* Conf. *Conr.* de Herm. Med. Cap. XI. pag. 117. Revera furti crimen Hippocrati non eſt impingendum, ſed exſcribentis laudanda providentia, cujus opera effectum, ut, cum templa incendiis aliiſque calamitatibus pateant, conſervaretur in publicum orbis terrarum commodum, quod hic publice in templo proſtabat, ut ſimilitudine aliis aegris prodeſſet. Ulterius conſuli poſſunt *Mercur.* Lib. I. Art. Gymn. Cap. I. *Caſtell.* in Vit. Ill. Medic. ap. *Gron.* in Thes. Ant. Graec. Tom. X. pag. 865. *Meib.* ad Jusjur. Hipp. Cap. XII. §. 2. *Borrich.* Lib. I. de Herm. AEgypt. atque Chem. Sapient. Cap. VII. §. 12. & *G. a Reies* Elys. Camp. Quaeſt. III. §. 3.

SECTIO

SECTIO SECUNDA

CAPUT. I.

De Medicinae Praeſtantia.

I. Haec jam dicta de hujus Artis Origine ac Progreſſu ſufficere viſa fuerunt; pergo igitur ad Praeſtantiam, Uſum, & Neceſſitatem Medicinae. Nam ex iis, quae hactenus audiviſtis, Dignitas Medicinae, Deos auctores habentis, exſplenduit utcunque, verum eniteſcet illa aliquanto magis, ſi porro non ſolum monuero occupari hanc Artem circa hominem, nobiliſſimum illud animal, quod Dei Conditoris ſui imaginem circumfert, ac cui dominium conceſſum eſt reliqua in animantia, quae in pulcra hac mundi fabrica occurrunt; verum etiam ejus finem eſſe ſanitatem, ut pluribus teſtantur *Herald.* Lib. V. Animadv. in *Salm.* obſerv. ad Jus Att. & Rom. Cap. X. §. 6. *Almel.* Inv. Nov. Ant. pag. 70. & Magn. *Boerhav.* in Inſtitut. Med. §. 20. Qua nihil inter omnia mortalium bona praeſtantius, nam ea neglecta nulla caeterarum rerum poſſeſſio eſt jucunda: etenim ſis licet dives agris, dives poſitis in foenore nummis, adſint

ſint honores, accedant voluptates, ſanitas corporis, ſi deſit, nihil certe erit. Triſtis ac abjectus erit animus; nec vel tantillum omnibus hiſce bonis titillabitur. Hinc recte *Marſil. Ficin.* Lib. IV. Ep. XXXIX. ita loquitur: *Quid magis naturae propinquum aut conſentaneum, quam quod ipſa genuit, tueri atque ſervare? Nemo veſtrum ignorat, viri clariſſimi, humanam proſperitatem non in rerum poſſeſſione, ſed in jucundo quodam uſu conſiſtere. Aut vero ſine ſanitate, nihil uſu nobis eſſe jucundum nemo ſanae mentis ignorat. Hinc ita in ſanitatis hymnis cecinit Orpheus. Abſque te cuncta ſunt hominibus inutilia. Medicina igitur quando vel tuetur vel reſtituit ſanitatem, cuncta ſimul bona & ſervare videtur, & reddere. Quamobrem Sacrae Hebraeorum Litterae honorandum Medicum merito juſſiſſe videntur, & Homerus recte inquit: Vir Medicus pretio multos aequaverit unus.* Conf. *Lemn.* Lib. I de Complex. Cap. I. Idem uſuveniet, ſi duxeris uxorem, cui Juno ac Venus faverunt; ſi nati ſint pueri melliti; ſi praeditus ſis praeclaris animi dotibus; ſi denique pectus ſit inſtructum ac imbutum cunctarum ſcientiarum atque artium diffuſa cognitione; profecto ut ut cuncta haec & ſingula animum afficiant, ſi tamen negata ſit valetudo, nihil certe aut parum delectabunt. Conf. *Plut.* de

Tuend.

Tuend. Sanit. Cap. XIV. Quid enim haec vita, ſi perpetuis conflictetur morbis? Certe vivere dici non poſſunt, qui mortuam hic vitam trahunt. Imo quam multos reperias, qui amiſſam valetudinem vel omnium bonorum ſuorum jactura ac profuſione cupiunt redemptam, & ſane ſi quis omnibus ſuis bonis atque fortunis evolvatur, modo ſanitatem ſi ſervet, facilis ac expedita ſaepenumero ſupererit via atque facultas rem faciendi & omne damnum toleratum reſarciendi. Vid. *Sicyonius Ariphron.* ap. *Athen.* Lib. XV. Cap. XX. & ibi *Dalecamp. Lang.* Lib. III. Med. Epiſt. VI. pag. 934. *Barthol.* Ciſt. Med. pag. 165. *Sorbait.* Oper. Med. pag. 779. & *Zahn.* de Dignit. Medic. pag. 94.

II. Quid igitur Medicina nobilius? Quippe ſi Artis pretium pendeat a pretio objecti, debet omnium Praeſtantiſſima eſſe; nam mentem nil valere, niſi corpus bene valeat, conſtat: quid enim juvat mens in Sapiente, ſi Apoplexia corripiatur? Unde non immerito in Apollinis Deliaci veſtibulo legebatur: OPTIMA RES SANITAS. *Ariſtot.* Lib. I. Ethicor. Cap. I. Nec non *Hippocr.* de Salub. Diaet. in Tom. I. pag. 632. §. 14. monet: Virum prudentem ſecum reputare debere, quod res pretioſiſſima ſit *Sanitas.* & Bona Valetudo jucundiſſimum Deorum mu-

nus vocatur ap. *Athen.* Lib. X. Deipnoſoph. Cap. IX. Adeoque recte *Juven.* Sat. X. ℣. 356. dixit:

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

Secundum quam ſententiam ferunt Pyrrhum illum bellicoſiſſimum Epirotarum Regem, qui poſt Alexandrum M. Secundas in re militari tenuit, variaſque fortunae mutationes ac vices pertulit, cum Deos precando, ſacrificando, & donaria conſecrando veneraretur, nunquam ab illis regni ampliorem Majeſtatem, nec de hoſte victoriam, neque etiam gloriam illuſtriorem, vel divitiarum abundantiam & id genus alia, quibus mortalium plerique inhiant, ſed unum hoc ὑγιαίνειν, hoc eſt, *Bene Valere ac Sanum eſſe* a Diis precari ſolitum: ut qui putaret, quamdiu hoc uno frueretur, & caetera facillime eventura ſibi eſſe, ut inter plura alia egregia huc facientia docet *Lucian.* in Dial, cui titulus eſt, Pro eo, quod inter ſalutandum verbo lapſus fuerat pag. 272. & *Rhodig.* Lib. VII. Cap. XXIV. Veteres, cum Diis ſacra faciebant, integram valetudinem precari ſolitos fuiſſe quoque oſtendit *Athen.* Lib. XIV. Deipnoſoph. Cap. XXII.

III. Nullum enim eſt dubium, quin ſan

aegri

aegris multo ſint ditiores; nam, ut loquar cum *Senec.* in Epiſt. XVII. *Nihil refert utrum aegrum in ligneo lecto, an in aureo collocas, quocunque illum tranſtuleris morbum ſuum ſecum transferet.* Hinc *Lucret.* Lib. II. ℣. 34. ita loquitur:

Nec calidae citius decedunt corpore febres,
Textilibus ſi in picturis, Oſtroque rubenti
Jactaris, quam ſi plebeja in veſte cubandum eſt.

Certe reliquorum bonorum nullus abſque ſanitate fructus nec voluptas eſt; quippe quomodo delectabit aliquem menſa plena deliciarum, qui laborat infirmo & faſtidienti ſtomacho? Quid juvant decumbenti arcae pecuniarum plenae? Quod innuit *Horat.* Lib. I. Epiſt. II. ℣. 47.

Non domus & fundus, non aeris acervus, & auri
AEgroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas: valeat poſſeſſor oportet
Si conportatis rebus bene cogitat uti.

Quin imo haec quoque cauſa exſtitit, quod aliqui ex Gentium Sapientibus *Sanitatem* ſummum hominis bonum in hac vita pronuntiaverint. Sic illud quoque probe intellexit *Pythagoras*, qui eam caeteris omnibus uberio-

riorem theſaurum ratus, primus omnium epiſtolis ſuis praefixit exordium *Valere ſive ſanos eſſe* docente *Lucian.* Pro eo, quod inter ſalutandum verbo lapſus fuerat. pag. 270. Et merito, nam *Thales* interrogatus, quis eſſet felix? *Qui corpore*, reſpondebat, *ſanus eſt*, & *animo eruditus* Unde *Cicero* exiſtimavit *homines ad Deos nulla re propius accedere, quam ſalutem hominibus dando*, teſte *G. a Reies* Elys. Camp. Quaeſt. II. §. 11. Quare *Senec.* Lib. VI. de Benef. Cap. XV. dicit: *Emis a Medico rem inaeſtimabilem vitam ac valetudinem bonam.* & *Plato* in Georg. pag. 711. ſcribit: *Optimum eſſe bene valere.* Denique tandem illud uno, attamen graviſſimo, exemplo adhuc probam, nimirum *J. Syrach.* Cap. XXX. ✠. 14. ubi ita loquitur: *Praeſtat pauper ſanus & conſtitutione ſua valens, diviti flagellis affecto in corpore ſuo. Sanitas & bona conſtitutio quolibet auro melior eſt, & corpus validum immenſis opibus. Non ſunt divitiae, quae meliores ſint ſanitate corporis neque eſt laetitia ſuperans gaudium cordis.* Cons. quoque *Senec.* Ep. X. & *Eraſm.* in Adag. pag. 109.

IV. Ex quibus omnibus leviter duntaxat delibatis jam abunde conſtare arbitror, quam praeſtans bonum cenſenda ſit corporis ſanitas: ac proinde rurſum, quam digna Ars ſit Medicina, utpote, quae faciat ac inventa ſit ad illam ipſam tuendam ac curandam, veluti in-

indicat *Apul.* Lib. X. Metam. 243. Edit. *Elmenh. Nec exitio, ſed ſaluti hominum Medicinam quaeſitam eſſe.* Ad quem locum etiam inſpici meretur *Beroald.* Ita *Propert.* Lib. II. El. I. ℣. 58. dicit:

Omnes humanos ſanat Medicina dolores
Solus amor morbi non amat artificem.

Praeterea *Gothofred.* ad Lib. IV. Cod. Theod. de Med. & Prof. Tom. V. pag. 30. ex Imper. Juliani epiſtolis docet *Medicinam eſſe Artem hominibus admodum ſalutarem, atque coelo delapſam.* Tandem etiam audire poſſumus *Caſſiodor.* de Utilitate ipſius Lib. VI. Var. Ep. XIX. ita diſſerentem: *Inter Utiliſſimas artes, quas ad ſuſtentandam humanae fragilitatis indigentiam, Divina tribuerunt, nulla praeſtare videtur aliquid ſimile, quam quod poteſt auxiliaris Medicina conferre. Ipſa enim morbo periclitantibus materna gratia ſemper asſiſtit. Ipſa contra dolores pro noſtra imbecillitate confligit: & ibi nos nititur ſublevare, ubi nullae divitiae, nulla poteſt dignitas ſubvenire. Cauſarum periti palmates habentur, cum magna negotia defenderint ſingulorum: ſed quanto glorioſius eſt expellere, quod mortem videbatur inferre? & ſalutem periclitanti reddere, de qua coactus fuerat deſperare? Ars quae in homine plus invenit, quam in ſe ipſo cognoſcit. Periclitan*

clitantia confirmat, quaſſata corroborat, futurorum praeſcia valetudini non cedit, cum ſe aeger praeſenti debilitate turbaverit, amplius intelligens quam videtur, plus credens actioni, quam oculis, ut ab ignorantibus pene praeſagium putetur, quod ratione colligitur. Hinc quoque ap. *Caſteil.* Vit. Ill. Med. ap. *Gron.* in Thes. Ant. Graec. Tom. X. pag. 885. Nullus omnium Principum Romanorum Auguſto felicior exiſtimatur, quoniam, eo regnanti, tot Celeberrimi ſanitatis Conſervatores, id eſt, Medici floruerunt.

V. Idoque ex hiſce colligo nihil eſſe Medicina melius; nihil optabilius; nihil hominum generi datum praeſtabilius: nam ſi vita ſit cunctis mortalibus cariſſima; ſi lux ea inprimis expetenda, in qua vivimus, ſpiramus, & jucunda conſuetudine inter nos conjungimur; ſi ea primum ſit & praeſtantiſſimum munus animantibus attributum: Ars, quae illam ſervat, continet, ac tuetur, quo pacto non ſit omnium praeſtantiſſima? Quid ea poteſt homini magis in votis eſſe, quae infeſtiſſimos humani generis hoſtes, morbos (inquam) & adverſam valetudinem propulſat? Quae vitam incolumen & ab omni aerumna & languore liberam quam diutiſſime tutatur? Et ut corporis firma conſtitutione nullae opes, nullae fortunae ampliores: ſic im-

imbecilla & labanti illa nihil laborioſius; nihil calamitoſius eſt. Qui igitur in hoc periculum adductis ſubvenire & opitulari queat, tantum abeſt, ut in illorum offenſionem incurrat, ut etiam illos ſumma conſuetudine & amicitia ſibi conjungat, atque quaſi pro Numine, uti Hippocrates inquit, colatur, qui tantas opes reſtituerit, per quas externae quoque fortunae obtineri poſſint, illarumque uſus jucundus atque dulcis habeatur. At quoniam hujus Praeſtantiae tanta eſt ubertas, ut difficillimum ſit in eo dicendi finem invenire, ne non praeſtem, quod aggreſſus ſum, tempeſtivum arbitror ejus laudes ſummatim complecti. Etenim ſi per multas res ſola commendet antiquitas, hanc Artem primam omnium repperit neceſſitas. Si ſcientiam auctores illuſtrent, hujus inventio ſemper Diis attributa eſt. Si quid auctoritatis addat honos, non alia tam paſſim ac tam diu divinos honores meruit. Si magni fiant, quae Summis Viris probantur, haec ſummos Reges, haec Primates, non ſolum delectavit, ut Sect. III. Cap. I. ſeq. videbimus, verum etiam illuſtravit. Si difficilia quae ſint, ea ſunt & pulcra, nihil hac operoſius, quae tot diſciplinis, tantarum rerum perveſtigatione uſuque conſtat. Si dignitate rem aeſtimemus, quid excellentius, quam ad Dei benignitatem pro-

xime accedere? Si facultate, quid potentius? aut efficacius, quam totum hominem certo exitio periturum ſibi poſſe reſtituere? ſi neceſſitate, quid aeque neceſſarium, atque id ſine quo nec vivere, nec naſci licet? Si virtute, quid honeſtius? quam ſervare genus humanum? Si utilitate, nullius uſus neque major eſt, neque latius patet. Inſpice *Herald.* Lib V. Animadv. in *Salm.* Obſerv. ad Jus. Att. & Rom. Cap. XX. §. 6. & *Salm.* ad *Pancir.* Lib. II. Rer. Memor. pag. 29.

CAPUT II.

De Medicinae Neceſſitate.

I. Quod ad Medicinae Neceſſitatem pertinet, de ea breviter tantum agam, cum ſatis ſuperque omnibus conſtare mihi perſuadeo eam eſſe ſummopere utilem atque neceſſariam, ſi dummodo conſideretur, quantum agmen morborum genus humanum infeſtare ſoleat, ac quantis periculis caſibuſque fragilia mortalium corpora ſint expoſita; ac uti homine nullum animal excellentius, ita homine quoque nullum animal calamitoſius eſt: quocirca ſi deſtitueremur munere Medicinae, quae morbos propulſat, quae vulnera ſanat, quae artus luxatos reſtituit, quae membra diffracta inſtaurat, quae, ut brevis ſim,

ſim, corpus humanum in ſtatu ſuae integritatis ſartum tectum conſervat, vix vita nobis vitalis relinqueretur. Quare ex hiſce & ſequentibus quam facile evertere poſſe, puto, argumenta eorum, qui aut imperiti, Syro quam OEdipo ſimiliores, aut erga Medicos male affecti, plus nimio ſuis affectibus indulgentes ea condemnant, quae ignorant. Nam ita Medicinam non eſſe neceſſariam ex eo deducere ac probare conantur, quod *Herodot.* Lib. I. Cap. CXCVII. ſcribat: *Babylonios atque AEgyptios aegrotos in forum extuliſſe, nec Medicis uſos fuiſſe.* Et ex *Plinio*, (ut nil nugarum deſit) qui Lib. XXIX. H. N. Cap. I. dicit: *Plurimas gentes ſine Medicis vixiſſe.* Sicuti de Lacedaemoniis quoque refert *AElian.* Lib. XII. Var. Hiſt. Cap. L. *Lacedaemonii*, dicit, *litterarum omnino rudes erant. Ipſis enim curae erant exercitia corporum & arma. Si quando vero doctrinarum auxilio opeque, vel aegrotantes, vel delirantes, aut alioqui publica calamitate affecti indigerent, accerſebant homines, peregrinos, ut Medicos, aut vaticinio Apollinis.* Verum ut ut haec ſeſe habeant, narrat *Herodot.* priſcis Babyloniis in uſu fuiſſe, ut languentes in forum efferrent, praetereuntes conſulendi gratia, an ſimili morbo laborarint, & ecquid remedium ipſis auxilium fuerit, uti *ſup.* Sect. I. Cap. IV. §. 1. oſten-

dimus. Ergo non ſine Medicina, quamvis ſine Medicis vixerunt. Hinc *Celſ.* in Praef. Lib. I. ita loquitur: *Haec* (ſc. Medicina) *nuſquam quidem non eſt. Siquidem etiam imperitiſſimae gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverunt.* Hic quoque conſiderandum, quod ullo abſque dubio apud priores iſtos populos, ut Babylonios atque Aſſyrios, etiam tunc nondum pulcerrima Inſtituta, Mores & Leges, quae deinde viguerunt, admiſſa fuerint, teſte *R. a Caſtro* Lib. I. Med Pol. Cap. VII. Itaque egregie ac ſtrenue contra malevolos iſtos Medicinae obtrectatores hoc olim jam defendit, eorumque argumenta funditus disjecit Ampl. *Beverovicius* in ſua contra *Mortaigne* defenſione, qui in Libro, Gallice conſcripto, *Les Eſſais* Lib. II. Cap. XXXVII hanc notam Medicis inurere tentaverat. Haec defenſio inter illa *Beverov.* Opuſcula, quae Belgico idiomate omnium manibus teruntur, reperitur pag 177. Praeter Ampl. *Beverovicium* contra eundem *Mortaigne* de Medicinae Neceſſitate ſcripſit *Canonher.* in Proleg. in *Hipp* Aphor. pag. 40. Imo *Plin.* ipſe L. L. addit *Ceu vero non millia gentium ſine Medicis degant, nec tamen ſine Medicina.* Et ita *Hipp.* de Arte Tom. I. pag 4. §. 5. ingenue confitetur, Multos quidem ſine Medicis, verum non

non ſine Medicina curatos.

II. Quod non mirum, ſiquidem credibile eſt humanum genus tunc temporis aeque ac nunc aegrotationi obnoxium fuiſſe, quippe ſtatim a triſti Protoplaſtorum lapſu morbi ſua ceperunt primordia: hic enim deplorandus a ſummo Numine lapſus pediſſequas mille habebat aerumnas, egeſtatem, aegritudinem, morbos, imo mortem ipſam. Cui malorum lerno aliter mederi non poterant quam naturam herbarum, fruticum, radicum, fructuum &c. probe explorando, ſalubria ab inſalubribus, medicamentoſa a venenatis, pura ab impuris accurate ſeparando. Quam miſerabilem humanae conditionis mutationem olim quoque Poëtae ſub fabularum involucris, uti ſolebant, propoſuerunt; nam ita *Horat.* morborum cauſam & primum illud tempus, quo morbi humanum corpus infeſtare coeperunt, indicat Lib. I. Od. III. ℣. 25.

Audax omnia perpeti,
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Poſt ignem aetheria domo
Subductum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors.
Semotique prius tarda neceſſitas
Leti corripuit gradum.

Econtra vero ſunt, qui ab hac ſententia recedere non dubitarunt, veluti *Mercur.* Lib I. Art. Gymn. Cap. I. qui primis iſtis temporibus paucos aut nullos Medicinae uſus, nullaque principia exſtitiſſe graviter pronuntiat. Quod quidem quoad ad morbos internos attinet, concedi poſſet, quum cuilibet, qui Artem Medicam a limine tantum ſalutaverit, pernotum ſit varios morbos veteribus fuiſſe incognitos, quemadmodum ad Socratis tempora deſtillationum, quas Graeci vocant κατάρρους, nomen, quo nil hodie frequentius eſt, ignotum tradit *Plato* Lib. III. de Repub. pag. 302. Podagram mulieribus negavit *Hippocr.* Sect. VI. Aphor. XXIX. Unde *Senec.* Ep. XCV. *Maximus ille Medicorum, & hujus ſcientiae conditor, foeminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare.* De quo tamen conſulatur *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 544. & *Rhodig.* Lib. XXVIII. Cap. XXX. Imo quid dicere poſſem de Morbo Gallico, Rachitide, Plica Polonica, aliiſque infinitis morbis? De quibus multa diſputat *Paſch.* Inv. Nov. Ant. Cap. VI. §. 22. ſeq. Cui addimus *Camer.* Cent. II. Oper. Subcis. Cap. LXXIV. Attamen quoad ad affectus externos illud aſſertum non eſſe extendendum & res ipſa clamat & rationes *ſupra* Sect. I. Cap. III. §. 3. adlatae confirmant.

III. Ve-

III Verum enim vero praeter haec omnia, Magnus ille Batavorum ΣΩΤΗΡ, *Boerhavium* volo, n Inſtitut. Med §. 3. pluribus probat, primos noſtros Parentes, ſimulac ea, qua nos, lege vitam egerunt, morbis ſubjectos fuiſſe, uti I. *Ex njuriis & viciſſitudinibus inevitabilis ſemperque neceſſarii aeris.* Nam V. Gr ſi grando in corpus ruat humanum, atque laedat, facit morbum: ſic & viciſſitudines, ut ſi ſummi int aeſtus, iterumque poſt tonitrua ſummum rigus, illud ilico ad morbos homines diſponit. Quippe hi Babylonii atque Aſſyrii aeque ac nos in tali vixere aëre, quali haec duo accidunt; ſcilicet 1 Meteora ut grando. 2. Viciſſitudines a corporibus coeleſtibus accedentibus & recedentibus, ut eſt ſol, quae neceſſe homines laedunt. II. *Ex alimenti natura.* Alimenta dicuntur corpora ab homine ſſumta, quae ita mutari poſſunt in homine, t abeant in corpus mutantis: quod non fit permutando integre, ſed permutando cum ſecretione: adeoque in alimentis invenitur 1. Id, quod in naturam vel corpus humanum mutatur. 2. Quod noſtram non abit in naturam, ſed excerni debet. Hinc *Hippocr.* de Veter. Med. Tom. I. pag. 17. dicit: *Si natura ſuperet alimenta, tum manet ſanitas, & homo nutritur.* Id eſt, ſi ea facultas in homine major, quam reſiſtentia alimentorum, tum ali-

menta noſtram in naturam mutantur, ſi vero
potentiora alimenta, quam ſuperari poſſint:
tum intra ſpatium XXIV. horarum fruſtum:
Ex. Gr. panis fit corpus acidiſſimum, & morr
bus adeſt: nam ſimulac homo non valet di
gerere ingeſta, tum morbus; & ſimulac non
poteſt id, quod in naturam abire nequit, ex
cerni, etiam morbus. Jam eadem in iſtis
de quibus locuti fuerunt *Herodot.* ac *Plin.*
populis obtinuerunt; demonſtrari enim poteſt
quod primi illi populi plurima ex parte crud
ederint vegetabilia, quae omnia digerere non
potuerunt, unde neceſſario cruditates ortæ
fuerunt, quae plurimorum morborum fuit
fomites. III. *Ex natura potulenti.* De quo i
dem verum. ſed dicet forſan quis, primi ho
mines duntaxat aqua uſi ſunt; verum enim ve
ro haec eadem eſt ac aër, habet inſecta, frigu
majus vel minus, calorem majorem vel mino
rem, imprimis ubi iſti populi degerunt: hinc
hac aqua ſine medicina uti non potuerunt
Quippe ſi quis nil ſciret, V. Gr. ut infans
& tum ad aquam gelidam accederet, an ſci
ret ſine Arte Medica, an bibere deberet ne
ne? minime: ſi enim ſudoribus difflueret,
hanc aquam gelidam, licet alias ſaluberrimam
biberet, ilico morbo corriperetur. IV. *Ex co
porum irruentium vi.* Nam notiſſimum eſt
quod primi terrae incolae per agros ſylvaſq
di

diſperſi, inter ſpinas, aliaque talia corpora verſarint, unde motu, duritie & acutie laedebantur: ſiquidem nudi incedebant, veluti adhuc mos ille apud quaſdam gentes obtinet, facile uſu venire potuit, ut vel ab aculeata planta lapideve acuto, vel morſu beſtiae vel ictu venenatorum inſectorum, ſauciarentur: nec non per lubrica viarum euntibus, aut ad loca altiora adſcendentibus, nullo negotio accidere potuit, ut cadendo os quoddam frangeret, vel e loco excideret. Praeterea illud etiam ex Caini hiſtoria colligitur, quippe iſte, cum fratrem Abelem occidiſſet, narrante Moyſe *Genes.* Cap. IV. ℣. 14. dixit: *Omnis, qui me videt, me interficiet.* Ergo & tum bella fuerunt, vulnera inflicta, tandemque ex hiſce morbi. V. *Ex actionibus vitae.* Vita noſtra ſemper eſt actuoſa, nemo enim vivus, cui corpus interne non movetur, cum vero omnis motus faciat morbum, hinc vita ipſa morbum producit. Quare recte *Hippocr.* in Epiſt. ad Damaget. Tom. II. pag. 925. totum hominem a nativitate morbum dicit: nam ſit homo quietus, nil comedens, per XXIV. horas quieſcens laborabit morbo, ſcil: fame, ſiti, animi diliquio &c. Ac hi morbi tantummodo pendent a vita, quae multa diſſipavit per pulſum, reſpirationem atque calorem; quippe nullus morbus fame acutior, & certis expe-

rimentis conſtat intra X. diem prae fame mori, & hinc intra hoc tempus motus ſeu actiones vitales faciunt morbum lethalem. Quin imo calor corporis humani ſani eſt tantus, ut intra paucos dies exinde caro hominis, bovis &c. abeat in liquidum tabidum liquidiſſimum; hinc ſola iſta caloris vitalis actio corpus deſtruere debet, niſi aſſidue alimentis inſtauraretur. Ante aliquot annos in oram noſtri Oceani Batavi rejecta fuit ſatis magna balaena, vix autem binos haeſerat dies, quin tanta adeſſet putredo, ut inde omnes homines arceret, & paucos intra dies tota quanta erat conſumta, oſſibus nudis ſolummodo relictis. Ac *Bernierius* narrat, quod Elephantes in Aſia, bello occiſi intra breve temporis ſpatium prae putredine ſint exoſſati: quamvis calor ibi nunquam tantus deprehenditur, quantus in homine vivo ſano. Unde apparet actiones vitae maximopere noſmet deſtruere. VI. *Ex fabrica denique compagis humanae.* Corpus enim noſtrum, ita factum eſt, ut infiniti motus, motuumque varietates facere poſſit; ſic minimus digiti motus infinitos requirit motus ſucceſſivos, hinc partes debent quoque eſſe infinitae parvae: jam vero infinita parva particula ad aliam accedere nequit, niſi moveatur; inde omnes partes trahentes & flectentes debent eſſe infinitae parvae & mobiles, quae

omnia

omnia a liquido diſtinguuntur intercurrente. Adeoque ſi hoc ſit verum, quemadmodum conſtat, quod compoſitum ſit corpus humanum ex tot partibus & quidem infinitis, tum etiam facillime eſt deſtructile; nam Mechanica eſt demonſtratio, quod quo corpus ſub minori mole majorem ſuperficiem habeat, eo citius atterendo deſtruatur. Sic & de noſtro corpore verum. Confer. *Groſſerus* in Diſſert. de Homine ſuaemet vitae deſtructore, Erford. A. MDCCXXVII. Ideoque concludimus, quod miraculo proximum ſit, quare homines nec pluribus nec frequentioribus laborat morbis, qua de re evolvi meretur *Stahl.* in Disſert. de Infrequent. morbor. perſonali.

IV. Nulla igitur ſupermanet haeſitatio, quin ipſe *Naturalis inſtinctus* primos illos Babylonios Aſſyrioſque ad auxilia nec non remedia inquirenda impulerit, ſicuti ex *ſup.* dictis Sect. I. Cap. II. §. 2. patet. Quippe perpendendum eſt, quod, cum omnia reliqua animantium genera intenſiſſimo flagrare videamus deſiderio ſeſe conſervandi, eumque in finem ſedulo evitandi omnia ea, quae ipſis noxia ſunt; & contra proſequendi, quae huic conſervationi quocunque modo inſervire poſſunt, uti apparet ex *Cic.* Lib. II. de Nat. Deor. Cap. XLVII. & Lib. I. de Off. Cap. IV. Vix appareat credibile, ſolum hominem uſque adeo

primis mundi temporibus ſui fuiſſe incurium, quin majori adhuc ſolertia inquiſiverit in indolem & naturam rerum, a quibus vel bene vel male corpus humanum fuit affectum. Ac quamtumvis primi illi aegri Medicorum, qui tunc ob caritatem praeceptorum Artis non erant, auxilia non implorarent, amicorum tamen & praetereuntium flagitabant, qui ipſis loco Medicorum tunc inſerviebant: hinc *Valles.* Cap. LXXIV. de Sacr. Philoſ. pag. 382. acerbiſſimae illius calumniae propagatores pauculis hiſce aggreſſus eſt: *At vero primo, ab ipſo rerum opifice data hominibus eſt, neque prius fuerunt aegroti, quam Medici, neque unquam ſine Medicis. illos enim ſexcentum annos, quibus Roma caruit Arte hac, Senatusconſulto damnata, mendacium eſſe merum, ipſa annorum computatione conſtat. Nam venit Romam (teſte eodem Plinio) Arphagatus*, lege Archagatus, *anno ab Urbe Condita* DXXX. *qui honorificentisſime receptus eſt, & poſt illum ſemper plurimi ſubſequuti: Si igitur pluſquam* DC. *ante annis, damnaverat Artem, Roma pluſquam* LXX. *annis antequam conderetur. Futilia itaque dicteria ſunt haec omnia. Eſtque Medicina Dei inventum, quo nullo unquam tempore caruit, aut omnino carere potuit hominum genus, atqui profecto ita opertet.*

V. Hoc autem loco altera inquirenda eſſet calum

aluınnia, nimirum *quod Romani quondam ſub* *atone Cenſorio Medicos omnes & Urbe tota, &* *ota Italia pepulerint*, & DC *annos caruerint.* Quo infelici lolio primus omnium, quem ſcio, de *Plinio* enim mox loquar) ille non Illiteatus, aſt Vaniſſimus de Vanitate Scientiarum criptor, univerſae ſcientiarum gigantomahiae oggrunniens *Agrippa* Cap. LXXXIII. le Medic. Operat. pag. 399. quinto decimo neunte ſeculo integra Litterarum Seminaria Tubingenſe & Argentinenſe conſevit; uti eſtatus fuit Clar. *Drelincurt.* in Apol. Med. Sed obiter tamen notandum, quod *Drelinc.* rae memoria hic paululum lapſus fuerit, cum ille Agrippa non quinto decimo, ſed ſexto decimo ineunte ſeculo hoc ſparſerit virus. Natus enim fuit Coloniae Agrippinae A. MCDLXXXVI. Obiit vero Gratianopoli A. MDXXXIV. Annum aetatis agens XLVIII. Conf. *Hofm.* in Lex. Univ. in voce Agrippa & *Borrem.* Var. Lect. Cap. XV. pag. 185. At illud toxicum unius ſuperioris Germaniae limitibus nequaquam coërcitum eſt; ipſo etenim Agrippae ſeculo, Gallias totas pervaſit, *Michael* quippe *Montaigne* ſub expirantis Agrippae tempora in Galliis natus, ſcilicet A. MDXXXIII. & denatus A. MDXCII. poſtquam annos LIX. animam duxerat, uti conſtat ex ejus Vita Operibus ſuis praefixa. Hic, dico, *Mon-*

taig-

taigne, ſicuti & Nobilis Gallus, ita haud ignobilis alter Artis Phoebeae ex traduce oſor atque deriſor, id veneni hiſce vernaculis verbis in populum longe, lateque diffudit: *Les Romains avoient été ſix cens ans avant que de recevoir La Medicine; mais aprés l'avoir eſſayée, ils la chaſſerent de leur ville, parl'entremiſe de Caton le Cenſeur.* Imo viroſum illud de Medicis ſcomma, e Montanico foetente lacu, tanquam e palude Stygia, hoc in Belgium corrivatum eſt: *De Romeynen ſyn ſes hondert jaar geweeſt, eer ſy de Geneeskonſte aennamen. Maer deſelve beproeft hebbende, joegen ſy die uit haer Stadt door toedoen van Cato de Keurmeeſter van de manieren.* Vid. *Beverov.* in Opuſcul. Belg. pag. 184. Verum enim vero quis adeo demens eſſe poſſet, qui crederet, quod gens tam bellicoſa & quaſi armis nata Medicis per tantum temporis ſpatium caruisſet, cum in bellis tot periculis fuerint expoſiti, unde graviſſimi morbi, & vulnera periculoſiſſima iiſdem comites eſſe debuerunt. Rectius igitur A. U. C. CCCI. Medicorum jam meminit *Dion. Halicarn.* Lib. X. Rom. Ant. p. m. 676. haec ejus ſunt verba: LXXXII. *Olympiade qua ſtadio vicit Lycus Theſſalus e Lariſſa, Archonte Athenis Chaerephane, expleto anno ab V. C. trecenteſimo P. Horatio & Sexto Quintilio Coſſ. maxima peſtilentia*

urbem

urbem invaſit, quanta nunquam antea fuiſſe memorabatur, qua pene omnia ſervitia abſumpta ſunt, ex reliquis civibus dimidia fere pars interiit, quia nec Medici morbis amplius ſuccurrere, nec domeſtici amicique aegrotis res neceſſarias miniſtrare poterant. Nam qui aliis in lue ſuccurrere conabantur infecti contagio atque aſſidua converſatione, corripiebantur eodem malo; ita ut multae domus deſolarentur ob curantium inopiam. Nec non ante AEſculapii adventum, qui fuit A. U.C. CDLXII. Romae Medicos fuiſſe concludere poſſumus ex *Val. Max.* Lib. I. Cap. VIII. §. 2. Quamvis *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. Archagathum primum Medicum Romam demum veniſſe dicit. A. U. C. DXXXV. L. AEmilio & M. Livio Coſſ. Quomodo vero hi Auctores inter ſe conſiliandi ſunt, nos docet *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. III. Cap. I. Adeoque ſatis conſtare puto Romanos DC. annos Medicis non caruiſſe. Ad Medicorum vero exilium quod attinet, monuiſſe ſufficiet noſtrae Artis adverſarios illud commentum e *Plinio* mutuatos fuiſſe, apud quem L. L. legere eſt: *a Populo Romano Catonis temporibus Medicinam fuiſſe damnatam.* Quibus AEdepol verbis Plinius nequaquam indicare voluit Medicos Roma fuiſſe exilio pulſos; ſed idem eſt, ac ſi dixiſſet Medicinam a Populo Romano fuiſſe

impro-

improbatam, *culpatam*, propter Archagathi ſaevitiam, qui Artem profeſſus Chirurgicam, mox a ſecandi urendique ſaevitia Carnificis nomine inſigniebatur; adeoque *Plinius* ilico ſubjungit; (ſe ipſum compellans) *Quid ergo? damnatam ab eo rem utilisſimam credimus?* Reſpondit ſibi, *minime Hercule*, *antiqui rem non damnabant*, *ſed Artem.* nimirum illam Archagathi ſaeviorem, quae ferro & igne humanos artus excruciabat atque truncabat. Sic certe purioris Latinitatis Antiquisſimi Cultores eodem ſenſu dixerunt *damnare moram*, *damnare tempus*, *damnare naturam*, *damnare fidem*, id eſt, *improbare*, *reprehendere & arguere.* Ita *Petron.* Cap. CIV. *Ne videamur Divinae mentis opera damnare. Quintil.* Lib. IX. Inſtit. Orat. Cap. III. *Nam inprimis M. Tullius multas in tertio de Oratore libro ponit, quas in Oratore, poſtea ſcripto, tranſeundo ipſe videtur damnaſſe.* Darius cuncta, quae per Duces acta erant, dicitur damnaſſe ap. *Curt.* Lib. III. Cap. II. §. 1. Imo ſic ipſe *Plin.* Lib. XXVI Cap. III. dixit, Aſclepiadem merito vomitiones damnaſſe. & Lib. XXVIII. Cap. VI. Democritum Venerem damnaſſe & ap. *Plin. Valer.* Lib. IV. de Re Med. Cap. XXXIV. Democritus dicitur damnare rapam tanquam corpori contrariam. *Quintil.* Lib. XII. Inſtit. Orat. Cap. I. & *Declam.* IX. Cap. III. Haec

paucis

paucis attigiſſe ſufficiat, cum omnes iſtas nugas ad veritatis trutinam examinare animus non ſit: quippe dudum Viri Litteraturae Hiſtoriae fama doctrinaque Illuſtres, uti *G. a Reies* in Elys. Camp. Quaeſt. I. §. 3. & 17. & Clar. *Drelinc.* in Elaboratiſſima ſua Apologia Medica ſuas intenderunt vires, quibus trucidarent recidivum illum ſerpentem Pythonem, qui tot Apollinis Nepotes commordit. Is quippe morſu ſuo trifido, ceu triplici telo, non Medicos unice, ſed tria hominum genera diverſa inſimul venenat, nam delatos in primis AEſculapii Sacerdotes inficit; auditorem deinceps veritate privat, dum illius in aures ſuum venenum transmittit; ipſorum porro delatorum conſcientiam atrociter ſauciat. Quod etiam egregie hi Duumviri perfecerunt, nam ex Veterum fide dignorum penetralibus ſedulo inquiſiverunt, num ex reconditioribus illorum monumentis tale quid extrahi queat, unde anſam de Medicis tam contumelioſe atque mendaciter ſcriptitandi arripuerunt, ſexcentis illos annis Roma fuiſſe interdictos; ſed plane contrarium ex illis hauſerunt, quare atroci huic calumniae penitus nervos ſucciderunt.

VI. Verum enim vero inſurgunt iterum alii, qui quaſi conglomeratis copiis in Medicinam, nec non Medicos impetum facere tentant,

tant, dicendo utiliſſimam hanc Artem non eſſe neceſſariam, ſed plane ſupervacaneam. Utii illius lolii, quo tot in Medicos protervi atque procaces & victitant & inebriantur, ſeminator & ſator, atque, ut ita dicam, educator & altor, acris eſt ille Litterarum Litteratiſſimus hoſtis *Agrippa* de Vanit. Scient. Cap. LXXXIII. de Medic. Operatrice pag. 395. Quod illi naſuti affirmare volunt ex falſa conſequentia: Quod terminus noſtrae vitae ſit fixus, qui igitur, ſi fixus ſit, neque imminui neque extendi poteſt: nam cum Stoicis dicunt: *ſi fatum tibi eſt ex hoc morbo convaleſcere, ſive Medicum adhibueris, ſive non, convaleſces; econtra, ſi fatum tibi eſt ex hoc morbo non convaleſcere, ſive tu Medicum adhibueris, ſive non, non convaleſces; at alterutrum fatum eſt, Medicum ergo adhibere nil attinet.* Unde etiam *Quintil.* Declam. VIII. Cap. IX. *Fato vivimus, languemus, convaleſcimus, morimur.* Paulo poſt: *Non Medicina ſanat, ſed quidquid videtur ſanaſſe, medicina eſt.* Quod tamen idem *Quintil.* in fine Declam. CCLXXXVI. retractavit. Ac *Cic.* de Fato Cap. XII. jam iſtud *ignavum atque iners* vocavit *dictum.* Videatur de eo diſputans *Lucian.* in Mortuor. Dial. pag. 155. Merito itaque de horum hominum veſania conqueritur *Hipp.* in Ep. ad Democr. Tom. II.

II. pag. 933. *Artis Medicae recta facta o Democrite, plerique e vulgo hominum non omnino laudant, verum Diis ſaepe attribuunt. Si vero natura reluctata perdiderit eum, qui curatur: Medicos reprehendunt, Numen praetereuntes.* Ita ſtulta quadam religione affirmant Medicinae opera neceſſaria non eſſe, quod ſanitas & morbus, vita & mors penes Dei voluntatem ſint; ita ut nulla arte poſſit evitare homo, quod de eo Deus O. M. decreverit & apud ſe habuerit ſtatutum. Quam quaeſtionem libenter omiſiſſem, quia illa ad Theologos magis, quam ad Medicos pertinere videtur; unde etiam pauci Medicorum eam attigerunt, ſi excipias *Codronchum, Henr. Smetium, Minderum, Valleſium & Cardanum.* Quibus annumerari merentur tum Phyſicus Thorunienſis *Franc. Tidicaeus*, qui jam A. MDXCII. in Tract. de Abus. Medic. a pag. 141. uſque ad pag. 149. pro viribus Medicinae neceſſitatem, non obſtante fato, oſtendit; cum etiam Poliater Annaemontanus *Martinus Panſa*, qui in Lib. de Proroganda Vita tam in *parte generali* Cap. III. diſputat, *quod vitae termini Arte Medica prorogari poſſint*, quam *in parte ſpeciali* Lib. III. Cap. IV. in hoc examen ſe dimittit; *num mors uſu medicamentorum inhiberi ac terminus vitae retardari poſſit, ac debeat ab homine Chriſtiano?* Omnium tamen optime hanc quaeſtionem

nem

nem eleganti ſtylo fere ad umbilicum perduxerunt *Beverov.* in Lib. de Term. Vitae. & *G. a Reies* Elys. Camp. Quaeſt. XVIII. Quibus ultimo jungitur loco *G. Dethardingius* in Diſput. de Neceſſitate Medicinae ex natura termini vitae, habita Roſtock. A. MDCCXIX. In qua oſtendere conatus fuit neminem infra ſexageſimum annum ex vitae termino perire. quod tamen ſuo relinquimus auctori. Ne vero in hiſce Amoenitatibus haec quaeſtio deſideraretur, cum de iis, quae ad Neceſſitatem Medicinae ſpectant, agimus, eam praetermittere nolui neque debui.

VII. Tota igitur haec argumentatio ſponte cadit non ſolum ex iis, quae memorati auctores laudatis habent locis; verum etiam, ſi dummodo obſervemus Deum plerumque decreta ſua perficere per cauſas naturales, atque per manus hominum: nam cui uſui caeteroquin omnes inſervirent herbae atque medicamenta à Deo creata, niſi Medicinae, uti conſtat ex *Ezech.* Cap. XXXVII. ℣. 12. *Ad flumen autem aſſurgunt in ripa ejus hinc & inde omnes arbores eſculenti fructus, quarum folia non decidunt, & quarum fructus non conſumuntur, menſibus ſuis praeſtantiſſimos fructus edunt quia aquae earum e Sanctuario prodeunt: ideo ſunt fructus earum cibo & folia earum curationi.* ſive contuſione, quia folia plerumque in

prae-

praeparatione medicamentorum contunduntur atque franguntur, ut tanto melius vires eliciantur, veluti teſtantur *Docti Commentat.* ad hunc locum. Confer. etiam *Valles.* Cap. LXXIV. de Sacr. Philos. pag. 379. *Zacch.* Quaeſt. Med. Leg. Lib. VI. Tit. III. Quaeſt. IV. §. 9. *Salm.* ad *Panciroll.* Lib. II. Rer. Memor. pag. 48. & Clar. ac Reverendiſſimus Senex *Gisb. Voet.* in Diſſert. Epiſt. de Term. Vitae ad Ampl. Beverov. pag. 256. ubi inter alia etiam aſſerit hinc Medicos *Dei manus vocatos fuiſſe.* Imo ipſa Medicamenta ea de cauſa Deorum manus vocari videntur ap. *Galen.* de Medic. Comp. Sec. Loc. Lib. VI. pag. 173. & *Scrib. Larg.* in Ep. ad Caj. Jul. Calliſtum: *Inter maximos quondam habitus Medicos Herophilus fertur dixiſſe medicamenta Deorum immortalium manus eſſe.* Male enim quibuſdam in Editionibus pro Manus Deorum legitur Munus Deorum, uti obſervarunt *Barth.* Lib. XLVIII. Advers. Cap. IX. & *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 14. Conf. *Rhodig.* Lib. XXIX. Ant. Lect. Cap. XI. Hinc quoque reperiuntur Medicamenta, quae proprio nomine *Manus Dei* vocantur ap. *Alex. Trallian.* Lib. IX. Cap. IV. & *Nic. Myreps.* Sect. I. de Antid. Cap. CDLXVII. Quippe dum ultima latet hora, & nos arcana Dei fugit voluntas, officium praeſtandum eſt, ſer-

vandaque, quam diu licet, vita; dumque de implendo decreto diſponit Altiſſimus, de ſalute cogitandum: nam ſic D. Paulus, cum per Angelum a Deo certior factus, neminem periturum, quos ſecum in navi portabat, ingruente tamen tempeſtate, qui ex navi effugere vellent, retinere juſſit, ne reliqui omnes perirent. Vid. *Act. Apoſt.* Cap. XXVII. ℣. 23. ſeq.

VIII. Verum enim vero quis ipſorum calumniatorum eſt adeo ſtolidus atque demens, qui morbo correptus Medicinae reſpuat adjumentum, & eadem deliria non ſomniat? Quis, ſi crus fregerit, aut membrum luxaverit, ſi vulnus acceperit, obligari recuſet? Quis angina pene ſuffocatus, diro aut duro calculo gemens, & ſub colico impatienter ingemiſcens dolore, vertigine rotatus, aut irrequieto alvi murmure diarrhaea confectus, Medicum non exorat ſupplex, & auxiliatrices exoptat illius manus, obſervat mandata, & totus in vitae ſpe, horridam licet potionem & exoſam conatur ebibere? & hinc *Seneca* etſi fatis maxime addictus, tamen lumine rationis & veritate compulſus, ſic locutus fuit Lib. II. Nat. Quaeſt. Cap. XXXVIII. *Cum ſanitas videatur eſſe de fato, debetur & Medico: quia ad nos beneficium fati per hujus manus venit.* Porro quid bonum fabrum ad ope-

ra-

ra quaeris? Quid ad conſtruendam domum optimum Architectum? Quid in lite peritum Advocatum? Quid ad vitam conſervandam cibum & potum? An non ſufficit fatum aut Deus? Quid hominum favorem imploramus? Dormi ergo in utramque aurem.

IX. Tandem ſic Deum decreta ſua perficere per media, id eſt, per cauſas naturales conſtat, quod quoties populo ſuo certam praedixerit victoriam, *Tradam eos in manum veſtram*, toties illi ab omni bellico apparatu non abſtinuerint, uti ex pluribus S. S. locis patet. Inſuper Deus aliquem ad ſanitatem reſtituturus, id plerumque cum ſolo ſuo nutu aut verbo facere potuiſſet, efficere maluit cauſa quadam naturali, id eſt, Medicina, qua palam oſtendebat ſe Medicinam ut valde neceſſariam probare. Nonne enim ſic Hiskiam ſanavit ficis? quemadmodum conſtat Lib. II. *Reg*. Cap. XX. ℣. 7. quae naturalis, ſicuti diſſerit *Barthol*. de Morb. Bibl. Cap. X. Hiskiae morbum per anginam explicans, fuit curatio: fici enim diſcutiunt, emolliunt, & ad ſuppurationem faciunt *Dioſcor*. Lib. I. Cap. CXLV. Conf. *Valles*. de Sacr. Philos. Cap. XXXIX. pag. 199. Imo nonne ita Deus opera ſui Prophetae Eliſae aquam, antea valde nocivam, poſtea admodum hominibus aptam reddidit ſale injiciendo? Lib. II. *Reg*. Cap.

 II,

II. ℣. 21. Sic quoque aqua indulcata eſt ligno, quod a Deo Moyſi indicatum, naturali ſua vi, in aquas miſſum, omnem earum amaritudinem pro tempore auferret. *J. Syrach.* Cap. XXXVIII ℣. 5. & *Exod.* Cap. XV. ℣. 23. Quae aquae eandem poſtea habuerunt amaritiem, uti patet ex *Plin.* Lib. VI. Hiſt. Nat. Cap. XXIX. Quin imo ſic Rachel venuſta, ſed ſterilis Jacobi uxor, non prius concipere potuit, quam poma Mandragorae a ſorore Lea deguſtaſſet, *Joſeph.* Lib. I. Antiq. Cap. XXVIII. Cum enim triticeae meſſis tempore Ruben in rus digreſſus Leae matri attuliſſet Mandragoras, Rachel ſterilis ac ſororiae foecunditatis aemula, eas ſibi concedi offerrique poſtulavit. Lea exaſperata importuna interpellatione, poma illi denegavit: tandem ſopita altercatione hac lege ac conditione res transacta eſt, ut Lea ſubſequente nocte mariti concubitu frueretur (nam id alternis vicibus, duabus ſororibus uni marito dedicatis, perſici videtur, teſte *Pfeiffer.* loco mox nominando) Rachel vero potiretur Mandragoris, quas ea mente atque animi intentione a ſorore eblandita creditur, ut amabili ac gratioſo cum viro Jacobo congreſſu, eſu illius pomi, conceptui effici poſſet idonea, ſterilitatiſque probrum a ſe ita depelleret. Maximo enim dedecori ſterilitas erat, uti conſtat ex Lib. I. *Samuel.*

Cap.

Cap. I. ℣. 6. & *Luc.* Cap. I. ℣. 25. propter expectationem Meſſiae ex ſemine Abrahami. Conf. *Doct. Comm.* ad *Genes.* Cap. XXX. ℣. 23. & *Barth.* Lib. XXXII. Advers. Cap. III. Caeterum an Mandragora fetificandi vim mulieribus conferat, atque utero retinendi ſeminis efficaciam conciliet, hic a quibuſdam in dubium vocari poſſet. Cum enim ſoporifero effectu praedita ſit, & impenſe frigida, ut *Dioſcor.* & *Gal.* variis in locis docent, haec qualitas ad tale quiddam prorſus inefficax cenſeri ſolet & inidonea, ut patet ap. *Pfeiffer.* Centur. I. Difficil. ſcript. locor. Cap. LIX. At intelligendum, quod in frigidis humidiſque regionibus, atque in utero humido & algido tale quiddam perficere nequeat; ſed in torrido aeſtuantique, ut Africa, Judaea, AEgypto, in quibus fere regionibus mulieres ardentes fervidoſque habent uteros; non incommode hoc pomum adhibeatur. Siquidem ejus eſu corpus ad temperiem reduci poſſe exiſtimo, cum poſt amplexum & congreſſum maritalem ſoluto in ſomnum corpore, uterus ſeminis retinendi vim adſciſcat, ne ſemen evaneſcat, ut in calido aeſtuantique utero ſolet, quod multis uſu veniſſe quoque obſervatur noſtris in regionibus, quae ob plus ſatis calidam uteri intemperiem effetae exſtiterunt, tametſi mariti ſedulo illis ſuam praeſtaverint operam, ſuoque officio alacriter functi fuerint. Hu-

juſmodi mulieribus, quae fere ſunt indomitae libidinis ob ignitos urenteſque locos, poma Mandragorae inoffenſe, imo magno commodo exhiberi poſſunt, ut & pepones, cucumeres, melones, lactuca, ſolanum, aliaque refrigerantia, quibus intenſus ille fervor ac vitioſa illa uteri qualitas retunditur. Plura reperire licet ap. *G. a Reies* Elys. Camp. Quaeſt. XLIII. *Fromm.* de Faſcinat. pag. 674. & *Dougt.* Anal. Sacr. Excurs. XIX. Part. I. Sed in viam redeamus. Tobias quoque monitu Dei a caecitate liberatus fuit, oculis ſuis felle piſcis illiniendis. *Tob.* Cap. VI. ℣. 10. Conſtat enim optimum contra oculorum affectus remedium eſſe fel piſcis Callionymi dicti, ut docet *Galen.* Lib. X. de Simpl. Medicam. facult. pag. 74. *Porro quorundam animalium ſingulariter bilis a Medicis extollitur tanquam aciem exacuat oculorum, & ſuffuſionum initia digerat, velut piſcis, quem vocant Callionymum.* & *Plin.* Lib. XXXII. H. N. Cap. VII. *Callionymi fel cicatrices ſanat, & carnes oculorum ſupervacuas conſumit. Nulli hoc piſcium copioſius, ut exiſtimavit Menander quoque in comaediis. Item piſcis & Uranoſcopos vocatur ab oculo, quem in capite habet. Et Coracini fel excitat viſum.* Vid. *Keuchen.* ad *Q. Seren. Samm.* in Proleg. pag. 53. Tandem ſic quoque Chriſtus oculos natura

tura caeci, non verbo, ſed ſputi linimine terrae commixti illuſtrare voluit. *Johann.* Cap. IX. Certe hodie adhuc a Medicis ſaliva hominis jejuni lippitudini oculorum optimum habetur remedium, ut etiam teſtatur *Plin.* Lib. XXVIII. H. N. Cap. IV. *Credamus ergo lichenas lepraſque jejunae* (ſalivae ſcil.) *illitu aſſiduo arceri: item lippitudines matutina quotidie velut inunctione.* Quod & muliercu-lis noſtris pernotum eſt. Qui vero in luto aliquod volunt caecitati quaerere medicamentum, illi ſemper, ni fallor, in luto haerebunt. Videri merentur *Barthol.* de Morb. Bibl. Cap. XX. *Albert* in Specim. Medic. Theol. de Medic. Chriſti divina & miracul. pag. 676. *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 291. Antequam manum de tabula hic monendum duxi, ne haec dicta ita capiantur, quaſi illis aliquid detrimenti S. S. afferre conarer; nam profecto e diverſo egregie mihi allubeſcit hoc Magni *Scaligeri* effatum. *Neſcire velle, quae magiſter maximus te ſcire non vult, erudita inſcitia eſt.* Attamen ſi humanis ratiunculis habenas non nihil laxare permiſſum ſit, haec quidem exercitationis gratia in medium proferre liceat.

X. Porro vero Medicinam a Deo ut rem, qua hominis ſanitas & conſervaretur & inſtauraretur, creatam fuiſſe patet ex *J. Syrach.* Cap

Cap. XXXVIII. *Affice Medicum honoribus ſuis propter neceſſitatem ipſius, etenim ipſum creavit Dominus.* Ac quid noſter ΣΩΤΗΡ Chriſtus ipſe dixiſſet: *Iis, qui valent, non eſt opus Medico, ſed iis, qui male ſe habent. Matth.* Cap. IX. ℣. 12. Si valetudo opera Medicinae non poſſet ſervari ac recuperari. Imo ap. *Jerem.* Cap. VIII. ℣. 22. rogat Deus: *An opobalſami nihil eſt in Galhade? An Medicus nullus eſt ibi? Nam cur non convaluit filia populi mei?* Sic *Exod.* Cap. XXI ℣. 18. & 19. lege Moſaica praecipitur, eum, qui alterum vulneraverit operas & impenſas in Medicos reſtituere; haec ſunt verba: *Item quum altercantibus hominibus, percuſſerit unus alterum lapide aut pugno, ita ut non mortuus ſit, ſed decumbat in lecto: ſi ſurgens ambulaverit foras nixus ſcipione ſuo, tum impunis erit percuſſor: tantummodo ceſſationem ejus reddito, & plenam curationem ejus praeſtato.* Quam legem Deus ſuo non impoſuiſſet populo, ſi Medicina neceſſaria non eſſet. Hinc ſaepe Medicorum mentio in S. L. occurrit, ut Lib. II. *Reg.* Cap. VIII. ℣. 29. & Cap. IX. ℣. 15. Lib. II. *Chron.* Cap. XVI. ℣. 12. & *Tob.* Cap. II. ℣. 10. Denique vero huc etiam facere poſſunt, quae *ſup.* Sect. I. Cap. I. §. 2. in medium tulimus, ad probandum Medicinam a Deo ortam atque inſtitutam fuiſſe.

Nec

Nec non conſulendus eſt *R. a Caſtro* Lib. I. Med. Polit. Cap. VII. ubi plura alia adverſariorum argumenta evertit atque disjicit. *Hipp. Obic.* de Nobil. Medic. pag. 65. *Land.* in Praetermiſſ. ap. Cl. *Otto.* Tom. III. Thes. Jur. pag. 1460. *Lang.* Lib. II. Med. Epiſt. II. pag. 496. *Zacch.* Quaeſt. Med. Leg. Lib. VI. Tit. III. Quaeſt. IV. §. 7. & *Ten Rhyne* de Antiq. Chem. pag. 266.

CAPUT. III.

De Medicinae Uſu.

I. His de Medicinae Neceſſitate viſis ad ejus Uſum accedimus, quem tanti habeo, ne me exclamare quidem pudeat nullam ſcientiam, nullam artem, nullam doctrinam utiliorem, nullam hominibus magis neceſſariam, nullam vitae conducibiliorem; quin imo nullius ferme ſcientiae utilitatem uſumque latius patere. Nullum enim eſt hominum genus, nullus civitatis ordo, nullus ſexus, nulla aetas, quae non utilitatem ex Medicina petat; ſummi, medii, infimi, viri, faeminae, liberi, ſervi, infantes, pueri, adoleſcentes, juvenes, ſenes, & ſi quae praeterea aetas, quotidie aegrotent. Verum igitur eſt, quod ſola ſit Medicina, qua opus eſt omnibus; nam licet reliquis artibus nec ſemper nec omnes egeamus, hujus utilitate mortali-

um

um conſtet omnis vita. Unde *Quintil.* Decl. CCLXVIII. ita ſcribit: *Quaeritur quis omnibus proſit. Sit Philoſophia res ſumma: ad paucos pertinet. Sit Eloquentia res admirabilis: non pluribus prodeſt, quam nocet. Sola eſt Medicina, qua opus ſit omnibus.* Paucis interjectis ita pergit: *Ergo & aequaliter ad omnes Medicina ſola pertinet, & nulla tam neceſſaria eſt, omni generi hominum, quam Medicina.* Quare in Decl. VIII. Cap. XXI. Medicinam vocavit Artem pro vita inventam. & Imper. *Julianus* in Lege, quae exſtat ap. *Gothofred.* ad L. IV. *Cod. Theod.* de Med. & Prof. Tom. V. pag. 30. & *Mercur.* Lib. I. Art. Gymn. Cap. I. circa finem, ſic loquitur: *Medicinae ſcientiam hominibus ſalutiferam eſſe, patens ejus uſus atteſtatur, & ideo hanc e coelo delapſam Philoſophi merito praedicant, ſiquidem cum naturae noſtrae imbecillitas, tum morbi quotidie incidentes per hanc corrigantur. Valentinianus* in L. XIV. *Cod. Theod.* de Med. & Prof. Medicinam vocat *Salutarem ac Neceſſariam Artem.* Praeterea ex *D. Hieronym. ad Paulin.* Medicinam mortalibus ſcientiam eſſe utiliſſimam notat *Coler.* ad *Auſon.* Edyll. II. ℣. 67. & Cap. II. Parerg. ap. Cl. *Ott.* in Thes. Jur. Tom. I. pag 365. Ideoque recte Medicos ſalutaris ac neceſſariae Artis Profeſſores dictos docet *Gothofr.* Comm. ad *Cod. Theod.*

tit

Tit. de Med. & Profeſſ. Tom. V. pag. 22. Quare ſanitatem ſine Medicina periclitari probat *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 391. Vid. *Beroald.* ad *Apul.* Aſin. Aur. Lib. X. pag. 499.

II. Nam cum plurium morborum ea vis ſit, ut certa mors ſit, niſi praeſens adſit Medicus, qui hominem jamjam moriturum Arte ſua ſervat, ejusque animam in corporis latibulis deliteſcentem ab ipſo limine mortis revocat, veluti in ſtupore, quae mulieribus potiſſimum ſolet accidere, ſyncope profunda, paralyſi, apoplexia, aliisque prope infinitis morbis, quos Medicus Arte ſua depellit vitamque ſubito oppreſſam reſtituit: imo quot hodie mortalium millia vivunt valentque, qui ne nati quidem eſſent, niſi haec Ars & tot naſcendi diſcriminibus remedia & obſtetricandi rationem reperiiſſet, quemadmodum exemplo Magni *Fernelii* probabo. Cum aliquoties in Aula Gallica deliberatum eſſet de repudianda Catharina Medicaea, annos complures ſterili matrimonio Henrico Valeſio, poſtea Gallorum Regi, juncta, & ob pacem publicam, quae, regno ad aliam ſtirpem delato, vacillare plerumque ſolet, tantum non res ſuas ſibi habere juberetur, commodiſſime & veluti Deus e machina adfuit Clar. Medicus *Joannes Fernelius*, qui *quod*

a na-

a natura negatum eſſe videbatur (Scaevolae Sammarthani verba ſunt) *inviſam ſterilitatem a domo Regia repulit, Valeſiumque nomen optata generoſae prolis acceſſione propagandum curavit.* Plures hanc hiſtoriam narrantes ſcriptores recenſet *Bayl.* Lex. Crit. in Voce *Fernelius.* Cui igitur debuit Regina hoc nomen? Nonne Fernelio? Cui Rex ipſe uxorem, cui liberos? Nonne Fernelio? Cui florentiſſimum Galliae regnum tres Reges Franciſcum II. Carolum IX. & Henricum III. Nonne Fernelio. Adeoque ſtatim in ipſo vitae limine & pariens ſimul & naſcens ſalutarem Medicorum opem miſerabili voce implorat, & horum Arti vitam debet, qui nondum vitam accepit, dum per eam prohibentur abortus, dum mulieri ſeminis recipiendi retinendique vis confertur, dum pariendi facultas datur; & hinc ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον *homo homini quaſi deus* videtur. Unde merito *Homer.* Odyſſ. Δ. ℣. 231. dixit:

> Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
> Ἀνθρώπων ἦ γάρ Παιήονός εἰσι γενέθλης.

> *Medicus vero unusquisque peritus ſupra omnes*
> *Homines: ſane enim Paeonis ſunt generis.*

III. Haec forſitan quoque ratio fuit, cur veteres ſibi perſuaderent, Medicos mortuos

(quod

(quod ſolius Dei proprium eſt) ad vitam revocare poſſe, qualia paſſim occurrunt exempla, veluti de AEſculapio ap. *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. *Quoniam Tyndariden revocaviſſet ad vitam. Nec tamen ceſſavit narrare alios revixiſſe opera ſua.* De quo *ſup.* Sect. I. Cap. I. §. 14. latius egimus. Empedocles quoque maximam conſequutus fuit gloriam, quod mulierem defunctam vitae reſtituerit, teſte *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. 67. Simile quid de Aſclepiade praeter *Cels.* Lib. II. Cap. VI. refert id. *Plin.* Lib. VII. Cap. XXXVII. hiſce verbis: *Summa autem* (ſcil: fama eſt) *Aſclepiadi Pruſienſi, condita nova ſecta, ſpretis legatis & pollicitationibus Regis Mithridatis, recepta ratione, qua vinum aegris medetur, relato e funere homine & ſervato.* Quae hiſtoria eleganter refertur ap. *Apul.* Lib. IV. Floril. pag. 362. Conf. *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. § 22. 23. 35. & 36. *Lang.* Lib. III. Med. Epiſt. VI. pag. 933. *Beroald.* ad *Apul.* Aſin. Aur. Lib. I. pag. 46. *Kormann.* Part. II. Mirac. Mort. Cap. XXII. & *Kirchmann.* Lib. I. de Funer. Rom. Cap. XIII. Hinc quoque Medicus dicitur vitam dare ap. *Senec.* Lib. III. de Benef. Cap. XXXV. *Solet enim & Medicus vitam dare.* & Lib. VI. de Benef. Cap. II. *Emis a Medico rem inaeſtimabilem vitam ac valetudinem bonam.*

IV.

IV. Verum enim vero ab hocce diverticulo illuc, unde divertimus, redeamus; nimirum ad Uſum Medicinae, cujus elegans refertur hiſtoria ap. *Camer.* Cent. I. Oper. Subcis. Cap. LII. Illius etiam quam maxime ipſi indigent JCti; cum in jure multa Medicorum judicio relinquantur, Ex. Gr. An vulnus ſit lethale, nec ne; & utrum quis vere ſit furioſus, an vero furorem ſimulet, ut impune delinquat; imo an valetudo militis ejusmodi ſit, propter quam is dimittendus eſt; & an aegrotus ſit ſanae & integrae mentis, ut hinc ſciatur, an poſſit teſtari, imo quanta obſecro de Poſthumis contentio & dubitatio urget JCtos? Et niſi a Medico ſigna conceptus & tempora enixus edocti fuerint, hanc litem aegre poſſunt dirimere, quin puerum nothum vel ſubditicium, cum avitae ſtirpis dedecore, pro legitimo haerede inſtituant. Ut paſſim docent JCti, quos laudat *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 398. *Lang.* Lib. I. Med. Epiſt. V. pag. 25. *Canonher.* Prol. in *Hipp.* Aphor. pag. 10. *Zacch.* Quaeſt. Med. Legal. Lib. II. Tit. I. Quaeſt. I. §. 1. & Lib. V. Tit. I. Quaeſt. I. §. 7. & Tit. II. Quaeſt. I. §. 2. *Bohn.* de Renuntiat. Vulner. pag. 2. & *Hertius* in Diſſ. de Inſpect. Ocul. §. 5. 10. & ſeq. Unde exclamandum, Nova Medicinae Dignitas! agitur de capite hominis,

nis, & Judicis ſententia pendet ex Medici praejudicio.

Caput IV.

De Praemiis Medicorum.

I. Idcirco recte veteres, Medicinae Utilitatem conſiderantes, curarunt, ut in quacunque civitate certus Medicorum numerus eſſet, quemadmodum patet ex Epiſt. *Antonii Pii* ap. *Modeſt.* in L. VI. §. 2. D. de Excuſat. *Minores quidem civitates poſſunt* V *Medicos immunes habere, &* III *Sophiſtas, & Grammaticos totidem*: *Majores autem civitates* VII, *qui curant*, IV, *qui doceant utramque doctrinam*: *Maximae autem civitates* X *Medicos, & Rhetores* V *& Grammaticos totidem. Supra hunc autem numerum ne maxima quidem civitas immunitatem praeſtat.* Cujus ſtatuti numeri etiam meminit *Ulpian.* in L. I. D. de Decret. ab Ord. faciend. *Medicorum intra numerum praefinitum conſtituendorum arbitrium non Praeſidi provinciae commiſſum eſt, ſed Ordini, & poſſeſſoribus cujuſque civitatis: ut certi de probitate morum, & peritia Artis eligant ipſi, quibus ſe liberoſque ſuos in aegritudine corporum committant.* Sic quoque Imp. *Anton.* in L. I. C. de Prof. & Med. Impp. *Dioclet.* & *Maxim.* in L. V. C. eod. tit. & *Juſtinian.* §. 15. Inſtitut. De

Excuſat. Tutor. Vid. *Menag.* Amoenit. Jur. Civ. Cap. XXXV. pag. 267. Ideoque Cyrus ſapientiſſimus Perſarum Rex ap. *Xenoph.* de Inſtitut. Cyri Lib. I. p. m. 29. recte dixit: *Urbes Medicis indigere; quibus & bene valere opus eſt.* & *Stobaeus* in Sentent. Serm. II. p. m. 32. ex *Plat.* Lib. III. de Legib. ita ſcribit: *Igitur malae & turpis diſciplinae in civitate nullam majorem potes conjecturam capere, quam ſummis Judicibus ac Medicis indigere.* Unde Indi nullas artes praeter Medicinam exquiſite diſcebant, affirmante *Strab.* Lib. XV. Geogr. pag. 1027. Conf. *Rhodig.* Lib. XVIII. Ant. Lect. Cap. XXXI.

II. Imo haec neceſſitas atque utilitas Medicinae quoque cauſa exſtitit, cur veteres ex publico Medicis ſtipendia victumque concederent. Ante primo, quam hoc probamus, notandum eſt, quod, quemadmodum Doctor Juris non tenetur gratis conſulere L. I. §. 4. D. de Poſtulando. Nec Advocatus poſtulare L. I. §. 10. D. de Extraord. Cognit. Multo minus gratis mederi Medicus coactus (e)rit, quoniam juſtior ejus videtur cauſa, cum hic ſalutis hominum, ille ſtudiorum tantum curam gerit L. I. §. 1. D. de Extraord. Cogn. Sicque honorarium Medico magis ad hono-randum, quam ad mercedis ſatisfactionem o-fertur, *Menag.* Amoenit. Jur. Civ. Cap. XXXIX. pag. 348. Nam quod Medicus a-cipi

cipit, ei non pro reſtituta ſanitate, ſed pro labore datur, ſicuti Profeſſor ſalarium conſequitur pro labore ſuo, non vero ſcientia, quae pretio nummario non aeſtimanda, nec dehoneſtanda, ut L. I. §. 5. D. de Extraord. Cogn. dicitur. Adeoque recte eo ſenſu pro vocabulo merces adhibetur vocabulum honorarium. Ita honor pro munere variis in locis occurrit, ut ap. *Cic.* Lib. XVI. ad Famil. Ep. IX. Curt. Lib. IX. Cap. I. §. 6. & *Tibull.* Lib. III. El. I. ℣. 5. Quidni pro labore aliquod acciperent honorarium? Nobilitati enim nil detrahit: quippe aeque & Milites & Duces & Imperatores merent. Unde Apoſtolus illi, qui ſervit altari, vitae ſubſidium ex altari deberi ſtatuit. *J. Syrach* quoque dixit: *A Rege accipiet donationem.* Imo ipſe Deus Medicum remunerari voluit Exod. XXI. ℣. 18. & 19. Nam ibi praecipit, ut ſi quis proximum ſuum percuſſerit, operas ejus & impenſas in Medicos reſtituat: adeoque Medicorum ſalarium juſtum & antiquiſſimum concludo. Plura autem de Advocatorum ſalario diſputant *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXIX. §. 55 *Conring.* Antiq. Acad. pag. 376. *Pag. Gaudent.* Lib. Jur. Expos. Cap. LV. ap. Cl. *Otto.* Tom. III. Thes. Jur. pap. 396. *Deſid. Herald.* Lib. II. de Reb. Judicat. Auctor. Cap. VI. ap. Eund. *Ott.* L. L. Tom.

L 2 II.

II. pag. 1183. *Voet.* ad §. 6. D. de Poſtu-
lando. *Brummer.* ad L. Cinciam pag. 49, 76 &
172. *Heinecc.* Lib. I. Ant. Rom. Tit. II. §.
29. & *Baſſenn.* de Jurejur. Veter. Cap. IV.
§. 19. Ideoque ſummo jure annonae ex pu-
blico Medicis conceſſae fuerunt, quod de
AEgyptiis probat *D. Sic.* Lib. I. Cap.
LXXXII. De Romanis *Lamprid.* in Alex.
Sever. Cap. XLII. Praeterea Medicos quo-
que olim publice conductos fuiſſe ſtipendia-
que accepiſſe teſtatur *Strab.* Lib. IV. Geogr.
pag. 273. *Nam & privatim & publice a ci-
vitatibus ut Medici, ita etiam ſophiſtae con-
ducuntur.* Ad quem locum id confirma
Magn. *Caſaub.* Sic quoque Democedem annu
mercede ab AEginetis Talento, ab Atheni-
enſibus Minis centum, a Polycrate Talen-
tis duobus conductum affirmat *Herodot.* Lib.
III. Cap. CXXIV. Conſ. *Lampr.* in Alex.
Sever. Cap. XLIV. *Gul. Forner.* Lib. III.
Select. Cap. XXVIII. ap. Cl. *Otto.* in Tom.
II. Theſ. Jur. pag. 118. & *Menag.* A-
moenit. Jur. Civ. Cap. XXXV. pag. 27

III. Porro & ſic Caeſares Romani, quum
Rempublicam ſine Medicorum opera & con-
ſilio conſiſtere non poſſe viderent, ſingulo
in annos Medicis impendebant ducena &
quinquagena ſeſtertia, (Quae ſumma 625
efficit aureos, ſi *Budaeo* Lib. II. de Aſſe pag.

3

;5. credamus; ſed ſi *Drelincurt.* ſequamur, rit ſumma 5000. Philippaeorum, uti ex xactiſſimo *Gron.* de Seſtert. Libro teſtatur n Apol. Med. pag. 23.) affirmante *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. *Mulſos praetereo Medicos, Celeberrimoſque ex iis Caſſios, Calpi-anos, Aruntios, Albutios, Rubrios* ccI. H-S *nnua mercede iis fuere apud Principes.* Ad quem locum notari meretur omnium reliquarum diſciplinarum Profeſſoribus centena antum numerata fuiſſe, quemadmodum docet Magn. *Caſaub.* ad *Suet.* in Veſpas. Cap. XVIII. & *Lang.* Lib. III. Med. Epiſt. VI. pag. 954. Inſuper Q. Stertinius, qui tunc emporis ſummus in re Medica Romae habitus fuit, a Caeſaribus ſingulis annis accepiſſe dicitur quingena ſeſtertia ap. *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. *Q. vero ſtertinius imputavit Principibus, quod H-S. quingenis annuis contentus eſſet: ſexcena enim ſibi quaeſtu urbis fuiſſe numeratis domibus oſtendebat. Par & fratri ejus merces, a Claudio Caeſare infuſa eſſet.* Plura autem videantur ap. *Lips.* Lib. IV. Magn. Rom. Cap. X. *Mercur.* Lib. IV. Var. Lect. Cap. I. *R. a Caſtro* Lib. III. Med. Polit. Cap. XXII. *Almel.* Inv. Nov. Ant. pag. 55. Nam de hiſce annuis ſtipendiis non latius excurram, cum animus mihi ſit, adhuc quaedam donaria

Medicis extra ordinem data commemorare. Quippe nullus apud Magnos Reges & Clariſſimos Principes munerum honorumque in Medicos modus aut finis fuit.

IV. Ita memoriae proditum eſt, Eraſiſtratum ex Ariſtotelis filia genitum, Medicum perquam ſolertem, donatum fuiſſe centum talentis, id eſt, ſexaginta millia aureorum teſte *Budaeo* Lib. II. de Aſſe pag. 49 a Rege Ptolomaeo, quia patrem ſuum, Regem Antiochum in ultimo vitae periculo conſtitutum, Artis ſuae dexteritate conſervaſſet, *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. Hic (ſc. Eraſiſtratus) *Antiocho Rege ſanato centum talentis donatus eſt a Rege Ptolomaeo filio ejus.* Quod tamen, ut obiter moneam, id. *Plin.* Lib. VII. Cap. XXXVII. Cleombroto Ceo adſcribit. Verum de illis ſententiarum divortiis conſuli merentur *Tiraq.* de Nobilit. Cap. XXXI §. 54. *Harduin* ad *Plin.* L.L. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II Lib. I Cap II. & *Fabrit.* Tom XIII. Biblioth. Graec. pag. 152. Galenus cum Boëthi Cos. Rom. uxorem a muliebris haemorrhagia ſanaſſet, quadringentis aureis ab eo donatus fuit, ſicuti ipſe Cap. VIII. de Praecogn. ad Poſthum. dicit: *Cum itaque menſe tranſacto, & bene colorata mulier adeo foret, ut ad naturalem habitum nihil penitus deſiderari poſſet, nec amplius fluxu:*

xus indicium aliquod ſupereſſet, quadringentos aureos ad me Boëthus miſit & nobilium Medicorum invidiam auxit: nam me apud eos laudibus ſummis extollebat. Conf. *Schott.* Lib. II. Nod. Cicer. Cap. X. *Seidel.* de Morb. Jncurab. pag. 119. *Caſtell.* Vit. Ill. Med. ap. *Gron.* Tom. X. Ant. Graec. pag. 885. & *R. a Caſtro* Lib. III. Med. Polit. Cap. XXIII.

V. Sic quoque ſingulare luculentiſſimi doni exemplum refertur ap. *Zahn.* de Orig. & Progr. Med. pag. 89. quod ita ſonat. Comes Henricus Luxenburgenſis, poſtea Imp. Romanorum in aula ſua famigeratiſſimum habuit Medicum Petrum ab Aichsſpalt Trevirenſem, obſcurae proſapiae & tenuis fortunae. Poſtquam Gerhardus Archi-Epiſcopus Moguntinus A. MCCCIV. fato ceſſiſſet, omnes intendit nervos Comes Henricus, ut frater ejus Balduinus in defuncti locum ſuccederet, quo fine mittit Petrum, facundia & quibuſcunque ingenii dotibus inſtructiſſimum ad Papam Clementem V. Pictavii tum temporis agentem, oratum cauſam Balduini pro obtinendo Epiſcopatu, Papa inflexilis alium fovens, aut minus huic favens, nullis precibus exorandus, nullum relinquit Legato locum ulterioris inſtantiae: Quid fit? In limine diſceſſus ipſius Able-

gati, gravi morbo corripitur Pontifex, ut omnes ſpem regreſſus ad ſanitatem Purpurati, & quicunque alii abjicerent; & nihil amplius deeſſe videretur, quam extrema unctio, ritus Romanae Eccleſiae deſperatis jam rebus ſatis ſolennis, Petrus omiſſo legationis munere Medicam adhibet operam, & quicquid in Artis poteſtate ſitum eſt, ut Pontificem ab Orci faucibus revocaret, actuque revocat, Pontifex miraculoſe periculo ſuo jam defunctus, nec ingratus, confert Medico in donum luculentiſſimum, ipſum Archi-Epiſcopatum, quem non ita pridem ambiens efflagitarat in gratiam Balduini, neſciens quid petierat.

VI. Caeterum ex Avorum noſtrorum memoria etiam ſcimus Thaddaeum Medicum Florentinum ſingulos in dies quinquaginta aureos, cum peregre proficiſceretur, accepiſſe; & ab Honorio IV. Summo Pontifice ſanato decem aureorum millia reportaſſe, teſte *Tragagnota* Part. II. Lib. XV. Hiſt. Mund. Cap. XI. Philippus II. Hiſpaniarum Rex Valleſio Archiatro ſuo ob febrem intra VII. dies curatam, praeter ampliſſimum annuum ſalarium, ſex millia Ducatorum numerari juſſit *R. a Caſtro* Lib. III. Med. Pol. Cap. XXII. Cujus Valleſii jam plus vice ſimplici mentionem fecimus, ejus Sacr.

Phi-

Philoſoph. ad partes vocantes. Imo quod omnem poſteritatis fidem exſuperare videri poſſet, ni *Cominaeus* Lib. VI. Cap. XII intaminatae illibataeque famae hiſtoricus, regiique comitatus aſſecla, teſtimonium diceret, ſingulis menſibus, praeter alia lauta munera Ludovicum XI. Galliarum Regem Archiatro ſuo Jacobo Cotterio annumeraſſe decem aureorum millia, ita ut Medicus ille intra V. menſium ſpatium acceperit circiter L. millia aureorum, praeter Epiſcopatum Ambianenſem ejus nepoti, & munera publica propinquis & amicis ejus donata.

VII. Aſt ut noſtra ac recentiorum attingamus tempora & praemia paucis abhinc annis alter Ludovicus XIV. Galliarum Rex Archiatro ſuo ſeptuagenario majori, cum ſibi calculum exſcindi feciſſet, ut Maecenati ſuo velocior adeſſe, ac promptior inſervire poſſet, abſoluta cura, ampliſſimum tantoque Regi digniſſimum miſit munus, quo omnibus innoteſceret, quam cara & exoptata ſibi fidelis ac exercitati Medici tum vita tum praeſentia forent. Vid. *Hemſterh.* in Orat. de Med. Neceſſ. ac Dignit. pag 27. Tandem Ludovicus XV, qui impraeſentiarum vaſti iſtius Imperii habenas moderatur, ante ſex admodum annos a fideli Medico Helvetio Juniori gravi morbo liberatus, annuum MMMMMM.

florenorum donarium dedit: hinc non abſque re verſiculo illo pervulgato dicitur:

Dat Galenus opes, dat Juſtinianus honores.

Unde quoque legimus olim quoſdam Medicos adeo divites fuiſſe, ut propriis ſuis impenſis totas quaſi urbes exſtruxerint: nam ita Crinas Maſſilienſis tanta pollebat auctoritate, atque divitiis crevit, ut muris patriae reliquerit centies H S. moenibus quoque aliis pene non minori ſumma exſtructis. Plura de Medicis multas opes poſſidentibus habentur ap. *Lipſ.* Lib. II. de Magn. Rom. Cap. XV. *Mercur.* Lib. III. Var. Lect. Cap. XXII. & *Du Mont.* in Itinerar. per Europam pag. 82.

CAPUT V.

De Honoribus Medicorum.

I. Verum enim vero in hiſce praemiis veteres, Medicinae Praeſtantiam Uſumque percipientes, non ſubſtiterunt, ſed ſimulac ejus Neceſſitas innotuerit, eos ita incitavit, ut, qui eam artem profitebantur, ſummis, imo Divinis honoribus affecerint, quare recte *Senec.* Lib. I. de Clem. Cap. II. dixit: *Sicut Medicinae apud aegros uſus,*

ita

ita etiam apud ſanos honor eſt. Si honores unius duntaxat Hippocratis evolvere vellem, ex illis integram componere Diſſertatiunculam haud difficile eſſet. Quippe huic ſoli tot, quot uni mortali unquam honores decreti fuerunt. Quanti eum aeſtimavit Magnus ille Perſarum Rex Artaxerxes, ex Epiſtolis (quae ſubjunguntur *Hippocr*. Oper. Tom II pag. 8,8 ſeq.) ab eo ad vel de Hippocrate ſcriptis abunde conſtat. Ex iis enim notum eſt, Artaxerxem illi conceſſiſſe, ſi eum adire vellet, tantum auri, quantum voluerit, & reliqua abunde, quibus opus haberet: imo ei promiſit Optimatibus Perſarum aequalem eſſe, quod optime ſciret, non facile eſſe invenire viros, qui conſilio praeſtant. Inſuper ipſe Hippocrates in Epiſtola ad S. P. Q. Abderitarum teſtatus fuit, ſibi, ſi ad Magnum acceſſiſſet Perſarum Regem, totae civitates humanis opibus refertae obtigiſſent: verum haec omnia magnanimiter Hippocrates recuſavit, dicens ſe & victu & veſtitu & domo & omni ad vitam ſufficienti opulentia frui, atque ſe tantummodo Patriae, non vero barbaris hominibus, qui ejus Patriae erant hoſtes, inſervire velle; *Plut*. in Cat. Maj. Cap. XLVI. Hinc vero Rex Artaxerxes, cum admodum iratus eſſet, a Cois petiit, ut ſibi Hippocratem traderent, ſin minus

minus ſe eorum urbem devaſtatam, & inſulam diſtractam ita in pelagus converſurum, ut in poſterum tempus nemo ſciret, an in hoc loco fuiſſet Inſula aut Urbs Cos. Verum enim vero fideliſſimi hi Coi, ejus Viri virtutem utilitatemque probe percipientes, reſponderunt, ſe Hippocratem non daturum, etiamſi peſſima morte eſſent interituri. Caeterum eidem Hippocrati Abderas ſanandi Democriti cauſa proficiſcenti univerſa civitas non viri tantum, ſed & mulieres, inſuperque ſenes & pueri obviam ante portas proceſſerunt, illumque ſummis ac honoratiſſimis titulis proſequentes, *Servatorem Patriae, Patremque appellaverunt.* Tota etiam Epidaurus ipſi una cum AEſculapio univerſos lucos, multa templa & neſcio, quae non ſolennia conſecraverunt. Imo ei a S. P. Q. Athenienſi is honos eſt habitus, eaque relata eſt gratia, ut propter Graeciam a truculentisſima peſte ſervatam, cujus meminerunt *Varr.* Lib. I. de Re Ruſt. Cap. IV. *Plin.* Lib. XXXVI. H. N. Cap. XXVII. & *Aëtius Tetrab.* Lib. II. Serm. I. Cap. XCIV. ei ludi decreti ſint, Magniſque Myſteriis initiatus fuerit. Atqui non fuit, uti male *Soran.* in ejus vita. & *Eraſm.* in Adag. pag. 676. voluerunt, ſecundus ab Hercule; nam ante Hippocratem alii quoque hiſce ſacris initiati fue-

fuerunt, veluti Bacchus & Dioſcuri, docente *Meurs.* in Eleuſin. Cap. XIX. apud *Gron.* Tom. VII. Ant. Graec. pag. 148. Inſuper aurea corona mille aureorum regio plane inſigni donatus, civiſque conſcriptus fuit, atque in Prytaneo alimenta tum ipſi tum poſteris ejus data ſunt, qui honos in Graecia maximus fuit, *Meib.* ad Jusjur Hippocr. Cap. XXI. §. 7. Tandem ab iiſdem Athenienſibus omnibus Coorum liberis conceſſum fuit, ut Athenis pubeſcant, quemadmodum liberi Athenienſium: quandoquidem Patria ipſorum hujusmodi Virum genuerit. Ut haec omnia breviter comprehenduntur in *Decreto Athenienſi*, quod exſtat ap. *Hippocr.* Tom. II. pag. 936. & ap. *Soran.* in ejus vita etiam ap. *Hipp.* L. L. pag. 951. qui ibidem auctor eſt, Coos illi quotannis, XXVII die menſis Agriani (de quo menſe conſulatur Fabrit. Lib. II. Bibl. Graec. Cap. XXIV. §. 1.) parentaſſe. Sicuti autem ex his, quae jam vidimus, conſtat Hippocrati Divinos illatos fuiſſe honores, ita etiam illud docet *Plin.* Lib. VII. H. N. Cap. XXXVII. *Hippocrates Medicina: qui venientem ab Illyriis peſtilentiam praedixit, & diſcipulos ad auxiliandum circa urbes dimiſit: quod ob meritum honores illi, quos Herculi, decrevit Graecia.* Quotannis illi quo-

quoque ſacrificatum fuiſſe conjici poteſt ex his *Luciani* verbis in Philopſeud. pag. 836. *Et mihi, o Eucrates, eſt aereus Hippocrates, magnitudine ferme cubitali, qui duntaxat extincta lucerna, totam domum in orbem ambit, ſtrepens, & pyxides evertens, & pharmaca commiſcens, & oſtium ſubvertens, inprimis ſi ſacrificium differamus, quod ei quotannis facimus. Poſtulat ergo, inquam ego, etiam Hippocrates Medicus jam ut ſibi ſacrificetur, indignaturque, niſi in tempore juſtorum ſacrificiorum epulis accipiatur? quem boni conſulere oportebat, ſi quis ei libaret, aut mulſum infunderet, aut caput coronaret.* Vid. *Rhodig.* Lib. XXIX. Ant. Lect Cap. XI. *Meib.* ad Jusjur. Hipp. Cap. XXI. & *Salm.* ad *Panciroll.* Lib. II. Rer. Memor. pag. 47. Poſtremo denique in aeternam Hippocratis memoriam Coi nummos D Senis imagine ſignarunt, teſte *Suares.* Diſſ de Numm. Antiq. Cap. X. Quorum unus aereus ex Regis Galliarum theſauro in fronte harum Amoenitatum conſpicitur. Effigies ejus ex Codice vetuſto Bibliothecae Regiae aere expreſſa & paulo diverſa ab illis, quas alii dedere, quoque exhibetur ab *Joh. Boivino* in Not. ad Nicephorum Gregoram pag. 777. & a *Gron.* Tom. II Thes Ant. Graec. Tab. 58. Conf. *Fabrit.* Tom. XIII. Biblioth. Graec. pag. 247.

II.

II. Caeterum, ne in honoribus uni Hippocrati illatis ſubſiſtamus, etiam pauca quaedam aliorum exempla in medium proferre eſt animus: plurima in Catalogo Nobiliſſimorum Virorum, qui rei Medicae operam navarunt, invenientur *inf.* Sect. III. Cap. I. ſeq. Adeoque nunc exordiemur a Machaone, quem veteres tanti fecerunt, ut illi ſacrificia obtulerint, templa condiderint, aeneamque ſtatuam appoſita etiam corona erexerint, quemadmodum refert *Paus.* in Lacon. pag. 278. *Gereniae Machaonis (AEſculapii filii) monumentum, & ejuſdem religione nobile fanum viſitur. nam & ab ipſo Machaone morbis hominum medelas monſtrari putant. Sacram ei regiunculam Rhodon nuncupant. Simulacrum eſt ex aere ſtatu erecto: caput corona cingitur, quam Ciphos patria lingua vocant Meſſenii.* & in Meſſen. pag. 284. Melampodi templa erecta feſtaque ſolennia ſtatuta conſtat ex eod. *Paus.* in Attic. pag. 107. *AEgiſthaenis Melampodis Amythaonis filii templum eſt, & in eo non magni utique viri ſignum columnae inſiſtit. Melampodi ſacrum faciunt & feſtum diem quotannis celebrant.* Galenum poſt mortem quoque Deum habitum tradit *Euſeb.* Lib. V. Eccles. Hiſt. Cap. Ult. Unde ſola omnium ſcientiarum Medicina gloriari poteſt, ſuos Profeſſores Coelum meritos teſte *Barth.*

ad

ad *Rutil.* Itiner. Lib. I. ✠. 75. & ad *Claudian.* in III. Conſul. Honor. ✠ 62. Nec non Lib. XLI. Advers. Cap. XXV. Quippe propter Artis peritiam veteres Medicis, quales Diis debebant, egerunt gratias, ut colligi poteſt ex *Plut.* Lib. III. Symp. Quaeſt. I. §. 3 *Tyrii enim Agenori, Chironi Magnetes primitias offerunt, quod ii primi Medicinam feciſſe exiſtimantur.* & *Curt.* Lib III. Cap. VI. §. 17. *Nec avidius ipſum Regem, quam Philippum intuebatur exercitus, pro ſe quiſque dextram ejus amplexi grates habebant veluti praeſenti Deo.* Vid. etiam *Freinsh.* ad hunc locum. *Rhodig.* Lib. XXIX. Cap. XI. & *Gutberl.* Lib. II. Orig. Mund. Cap. XXXV.

§. 21. Porro Theſſalus Hippocratis filius ab Athenienſibus ita honorabatur, ut eum aeque ac patrem Hippocratem Cereris ſacris initiarent, ſicuti patet ex illis, quae occurrunt ap. *Hippocr.* Tom. II. pag. 946. Imo apud Locros Epizephyrios tanta olim Medicorum veneratio fuit, ut lege Zaleuci cautum fuerit, ſi quis Locrenſium aegrotans vinum merum bibiſſet, niſi jubente Medico, etiamſi ad priſtinam valetudinem rediiſſet, mortis ei ſupplicium eſſet conſtitutum, ut docet *Athen.* Lib. X. Cap. VII. *AElian.* Lib. II. Var. Hiſt. Cap. XXXVII. *Rhodig.* Lib. XXVIII. Cap. VI. & Clar. *Ott.* in

Praef.

Praef. Tom. III. Thes. Jur. pag. 7. Apud AEgyptios Ars Medica quoque tanto in pretio fuit, ut inter ſacras diſciplinas haberetur, nec non niſi ſelectis ingeniis concrederetur, affirmante *Conring*. Diſſ. II. de Antiq. Acad. pag. 51. & Diſſ. IV. pag. 106.

III. Inſuper tam inſignis apud Smyrnaeos Medicis habebatur honos, ut mihi ſane graculer, hanc mihi oblatam eſſe occaſionem, qua llius notitiam ex Antiquitatis tenebris in lucem proferre poſſum; honos enim, quem dico; is erat, quo communiter cum Praetoribus, Summis nimirum urbis Magiſtratibus, ornabantur, ut nomen eorum nummis imprimeretur. Quin imo quo magis oſtenderent Smyrnaei, quanto in pretio eſſet apud eos Ars Medica, Medicorum nomina Deorum Salutàrium imaginibus adjungi volebant; uti ex nummo *ſup*. Sect. I. Cap. I. § 17. allato colligi poteſt: nam ibi AEſculapio adjungitur nomen Zeuxis, qui urbis Smyrnae fuit Medicus. Confer. *Mead*. de Numm. a Smyrn. in honor. Medic. percuſſ. pag. 50 & 51. Tab. I. n. 1. & 4. Tandem ſic quoque apud Darium Hyſtaspis filium Perſarum Regem magno in honore fuit Democedes Crotonienſis; quippe Darius, qui, dum ab equo deſiliret, pedem intorſerat, vehementerque luxaverat,

 (talus

(talus enim e juncturis amotus erat) ab Democede tunc temporis ſanatus fuit: de ratione, qua Darii luxationem curavit, inquirit *Mercur.* Lib. IV. Var. Lect. Cap. III. Hinc Rex ipſi plurima dona largitus fuit: vinculis enim, quibus ab Oroete Satrapa oneratus fuerat, liberatum, duodus aurearum compedum paribus donavit: deinde ad ſuas conjuges eum deduci juſſit per Eunuchos, qui ſanitati redditum, ejus beneficio, Regem nuntiantes, his verbis uſi ſunt: *Hunc eſſe, qui animam Regi reſtituiſſet.* Cujus officii remunerandi cauſa Regis uxores Democidi phialam ſtateribus, id eſt, aureis nummis refertam cum theca dono dederunt, tam largo munere, ut nummos, qui ex phiala, mulieribus ſuccutientibus, exciderant, Democedis aſſecla Sciton colligens, magnam inde pecuniarum vim reportarit. Praeter haec omnia ipſi amplae aedes Suſis habitandae conceſſae fuerunt, familiariſſime deinde Dario Rege uſus fuit, Regiae menſae accubuit, affatimque ei omnia praebita ſunt, ut late docet *Herodot.* Lib. III. Cap. CXXIV. ſeq. Quam magnus autem ille apud Perſas cum Rege ad menſam accumbendi fuerit honos; inde patere poteſt, quod id nullis, quamvis ſummi Viri ac Principes imperii eſſent, licuerit, ut conſtat ex *Briſſon.* de Regn. Perſar. Lib. I. §. 10.

Ho

Hodieque adhuc Perſae Medicum tanti faciunt, ut *Aragol Abama*, id eſt, Patrem Nobilem vocent, auctore *Pier. Valer.* in Embl. Med. pag. 128.

IV. Ulterius tanti olim habebantur Medici, ut Ducibus ac Vicariis, quae dignitates inter maximas imperii recenſentur, aequipararentur, uti palam fit ex L. Unic. C. de Comit. & Archiat. S Palatii, ubi haec habentur: *Archiatros intra Palatium militantes, ſi Comitivae primi ordinis militaverit gradus, inter Vicarios taxari praecipimus, ſive jam pridem depoſuerunt militiam, ſive poſtea depoſuerint: ita ut inter Vicarios & Duces, qui adminiſtraverint, & eos, qui Comitivam primi ordinis meruerint, nihil interſit, niſi tempus, quo quis adminiſtraverit, vel Comitivae adeptus eſt inſignia.* Ad quam L. videre eſt *Peirezius*, qui plura habet. Ita Archiatros Ducibus ac Vicariis pares haberi quoque docet *Gothofr.* ad L. Unic. *Cod. Theod.* eod. tit. Tom. II. pag. 106. Conf. *Fileſac.* Lib. I. Select. Cap. XVII. & *Zacch.* Quaeſt. Med. Leg. Lib. VI. Tit. III. Quaeſt. IV. §. 26. Ac hodie quoque in Saxonia Doctorem Medicinae in ſeſſione, ſtatione, proceſſione, praeferri Quaeſtori Electorali. etiamſi hic litteras vocationis nomine Electorali, Me-

dico exhibuerit, teſtatur Deciſio & Sententia Dnn. Scabinorum Electoralium Lipſienſium ap Valent. Tom. I. Pandect. Med. Leg. pag. 520. Cui additur *Itter.* de Gradib. Academ. Cap. X. pag. 392. Quin imo Medici ipſis JCtis in Academia Oxonienſi praelati fuerunt, uti *Hofmann.* ex aliquo ſtatuto A. MCCCLXXXIV. promulgato indicat in Lex. Univ. in voce *Doctor.* Verum enim vero hanc meam non facio litem, ne crabrones irritare videar; ab utraque parte non deſunt pondera, quibus ſuam quiſque defendere poſſet cauſam, adeoque de hoc honoratiori loco potius inſpiciantur ex JCtis *Col. Pier. Salutat.* in Libello de Nobilit. Legum & Medicinae, *Tiraq.* de Nobilit. Cap. XXXI. §. 359. Rhodig. Lib. XVIII. Cap. XIX. & *Camer.* Cent. II. Oper. Subcis. Cap LV. Ex Medicis *Hippol. Obic.* de Nobilit. Medici pag. 49. *R. a Caſtro* Lib. I. Med. Pol. Cap. XII. *Canonh.* Prol. in *Hipp.* Aphor. pag. 34. & 91. *G. a Reies* Elys. Camp. Quaeſt. II. Quibus annectitur *Fred. Movius* in Diſſ. Jurid. de Medicis pag. 12. quae exſtat in *J. Fred. Rhetii* Diſput. Vol. I. diſp. II. Qui *Movius* L. L. etiam oſtendit, Medicos privilegiis Nobilium gaudere, portando in Inſignibus ſuis galeam apertam fruendoque aliis Nobilitati conceſſis dignitatibus & juribus. Nam

Nam ita & Medicis jus gladii geſtandi vindicat Tabor. Tom. I. Oper. pag. 451.

V. Recte ideoque veteres Praeſtantiam hujus Artis Profeſſorum pernoſcentes, ab ea non tantum relegarunt foeminas & ſervos *Hyg.* Fab. 274. *Nam Athenienſes caverant, ne quis ſervus aut foemina Artem Medicinam diſceret.* Conſul. quoque *Petit.* ad Leg. Attic. Lib. III. Tit. VIII. Verum etiam ad eam non admiſerunt ſpurios aut aliqua infamiae macula notatos, utpote dignitatis ac honoris minime capaces teſte *Auguſt. Anconit.* Lib. de Poteſtat. Eccles. ap. *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 76. Vid. etiam *Valent.* Tom. I. Pandect. Med. Leg. pag. 438. Ante vero quam pergo, mihi hic paululum ſubſiſtendum duxi ad haec *Hyg.* & *Auguſt. Anconit.* loca inquirenda. De ſervis vero Medicis *infra* Sect. III. opportunior erit agendi locus. Quod vero ad foeminas attinet, ex hac ſapientiſſima Athenienſium lege apparet, eos initio, cum viderent ſexum ſequiorem profeſſioni Medicinae ſe immiſcuiſſe, ab omni praxi Medica ſolemniter mulieres arcere omni modo adnixos fuiſſe. Poſtea autem pudoris ergo quoque ſolis foeminis ingenuis permiſerunt, ut Artem obſtetriciam facerent, docente *Meurs.* Lib. II. Them. Attic. Cap. IX. ap. *Gron.* Tom. V.

 Ant.

Ant. Graec. pag 1973. At revera ſummo jure primi illi Athenienſes foeminas ab hac Arte repulerunt, quippe probe ſciverunt dignitatem atque praeſtantiam Medicorum ipſiuſque Artis vix pati; ut mulieres, ſecundum *Ovid.* Lib. III. Faſt. ỽ. 817. ad colum culinamque natas, in conſortium ſuum adſciſcerent. Accedit quod mulieres, cum plenae rimarum, hac atque illac perfluentes, plerumque anſerum inſtar garrulae ſint, ac nulla tamen virtus magis decet Practicum Artis, quam taciturnitas, quare eandem merito a Medicinae Candidatis, honoribus Doctoralibus exornandis, in ſolenni juramento ab Hippocrate inſtituto efflagitant Promotores: quia multorum adfectuum ea eſt indoles, ut, ſi praeter neceſſitatem a Medico garrulo propalentur magnum aegrotanti hinc enaſci queat praejudicium. Licetque communiter objiciatur, obſtetricia tamen munera, quamvis reliquum Medicinae exercitium ipſis eripiatur aut interdicatur, rectius ac tutius mulieribus, quam viris committi: Obſtat tamen laudabilis Gallorum, Belgarum ac Helvetiorum conſuetudo, qui publico ſtipendio alunt juratos quoſdam Chirurgos, mulieribus, difficultate V. Gr. partus laborantibus, ſuppetias ferentes, a qua conſuetudine, omni tamen laude digniſſima, niſi tantopere abhor-

rerent

rerent noſtratium muliercularum mores, quis dubitat, fore, ut pluresque illarum ex leti faucibus erepturi aut ſaltem a funeſtis ſymptomatibus praeſervaturi eſſent talium operationum periti chirurgi vel Medici. Ad ſpurios autem quod attinet, de iis res cum diſtinctione expedienda mihi videtur, an paternorum vitiorum quoque haeres ſit, nec ne? illo caſu recte removetur ab honoribus ſeu notatus; hoc vero non, ſi quis ei infamiam dictaret, innocenti poenam infligeret, quod contra omnia jura faſque foret. Unde concludo ſpurium criminis paterni exhaeredem, uti ad alias dignitates L. VI D. de Decur. *Spurii Decuriones fiunt, & ideo fieri poterit ex inceſto quoque natus, non enim impedienda eſt dignitas ejus, qui nihil admiſit.* Nam non ſuo, ſed alieno laborat malo L. VII. C. de Natur. Liber. Ita, dico, ad hanc quoque admittendum, praeſertim ſi illud dotes animi ejus mereantur, non obſtante ſtatuto, quale aliquibus in Academiis viget. Vid. *Valent.* Tom. I. Pandect. Med. Leg. pag. 438. & *Ridder.* de Erudit. Hiſtor. pag. 393. Quod neminem ad dignitatem Doctoris vel Licentiati admittit, niſi qui legitimitatem natalium ſuorum exacte poſſit docere; verum iſte rigor Principis ſingulari gratia facile poteſt molliri, idque amore litterarum ſaepius impetra-

tratur. Sic memoriae proditum Carolum IV. Romanorum Imp. Bartolum, qui vulgo JCtorum Lumen atque Fons Veritatis vocatur, extra conjugii ſchema natum non tantum natalibus reſtituiſſe, ſed & inſuper Nobilitate decoraſſe, uti docet *Movius* in Diſſ. Jurid. de Med. pag. 9.

VI. Sed ad Medicorum honores redeamus. J. Caeſar quantae utilitatis in Repub. Medici forent animadvertens, eos jure Civitatis donavit, teſtante *Suet.* in Caes. Cap. XLII. *Omnes Medicinam Romae profeſſos & Liberalium Artium Doctores, quo libentius & ipſi urbem incolerent, & caeteri appeterent Civitate donavit.* Quod inſignis honos, nec niſi virtutis pretium erat, ut apparet ex *Alex. ab Alex.* Lib. IV. Cap. X. *Divus poſtea Caeſar Medicinam profeſſos & Liberalium Artium Doctores praecipui muneris loco Civitate donavit.* Adeoque recte *Marc. Donat.* ap. *Grut.* Tom. VI. Thes. Crit. pag. 413. aſſerit Civitatem Rom. raro niſi praemium virtutis datam fuiſſe. Quod etiam colligitur ex *Suet.* in Aug. Cap. XLVII. ita ſcribente: *Urbium quaſdam foederatas ſed ad exitum licentia praecipites libertate privavit, alias aut aere alieno laborantes levavit, aut terrae motu ſubverſas denuo condidit, aut merita erga populum Rom. allegantes Latinitate vel Civitate dona-*

donavit. & *Cic.* Lib. I. de Leg. Cap. IV. Hinc *Lipſ.* Lib. IV. Magnit. Rom. Cap. X. dixit: *Eum honorem nulla pecunia aeſtimandum eſſe.* Tandem illud etiam pluribus evincit *Chr. Falſter* in Quaeſt. Rom. pag. 181. Imo non ſolum unius Romae, verum etiam variarum civitatum ſimul jus illis conceſſum fuiſſe conjici poteſt ex hac Inſcriptione:

C. CALPURNIUS. ASCLEPIADES
PRUSA. AD. OLYMPUM. MEDICUS
PARENTIBUS.ET SIBI.ET.FRATRIB
CIVITATES. VII. A. DIVO. TRAJANO
IMPETRAVIT.
&c.

Quae occurrit ap. *Reines.* Cl. XI. Inſcr. 4; uti me docuit *Vir Eruditiſſimus*, *Amicus ſingularis J. Arntz.* in elaborata Diſſ. de Civit. Paul. Cap. IV. Quare a parte Clar. *Sponii* ap. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. III. Cap. X. quod pace tanti viri dixerim, ſtare non poſſum, qui hanc Inſcriptionem ita intelligebat, ut ipſae civitates Aſclepiadi, ejuſque parentibus & fratribus a Trajano donatae eſſent. Conf. *Rupert.* ad *Pomp.* de Orig. Jur. Cap. I. pag. 13. *V. D.* ad *Strab.* Lib. XII. Geogr. pag. 850. & Ill. *Spanh.* Orb. Rom. Cap. IV. pag. 29.

VII. Porro ſic Medicis publicae erectae

fuerunt ſtatuae, veluti non ſolum ex *Barthol.* de Tibiis Veter. pag. 159. *Figrel.* de Stat. Illuſtr. Roman. pag. 112 & *Almel* Inv. Nov. Ant. pag 53. Verum etiam Machaonis exemplo conſtat ap. *Paus.* in Lacon pag. 2;8. D. Galeno illud teſtatur *Gothofr* ad L. V. *Cod Juſt* de Prof. & Med. Denique notiſſimum Antonii Muſae exemplum hoc confirmat, cui, quoniam opera & induſtria ejus valetudinem gravi & periculoſo morbo afflictam recuperaſſet Auguſtus, ſtatuam juxta AEſculapii ſignum poſitam fuiſſe docet *Suet.* in Aug. Cap. LIX *Medico Antonio Muſae, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat ſtatuam aere collato juxta ſignum AEſculapii ſtatuerunt.* Vid. *Briſſon.* Lib. II. Sel. Ant. Cap. III. Quin imo eandem ob rem ei etiam ingens adhuc donata fuit pecuniae copia, atque & ipſi & omnibus eandem Artem exercentibus in poſterum tempus Immunitas conceſſa fuit, uti teſtatus eſt *D. Caſſ.* Lib. LIII. pag. 517. Conf. *C. van Eck.* Vindic. Jur. Academ. pag. 53. Ex quo *Dionis* loco etiam apparet cum ipſi tum reliquis Medicis jus aurei annuli datum fuiſſe, quod ſolum Senatoribus ac Equitibus conceſſum erat. Conſul. *Rhodig.* Lib. VI. Ant. Lect. Cap. XII. *Fer. Adducens.* Lib. I. Explicat. in Tit. de Jur. Aur. Annul. ap. *Cl. Otton.* Tom. II. Thes. Jur.

Jur. pag. 547. *Salmas.* ad *J. Capitol.* in Opil. Macrin. Cap. IV. *Barth.* ad *Stat.* Lib. III. Sylv. III. ℣. 144. *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 180. *Conring.* Diſſ. IV. de Antiq. Acad. pag. 111. *Salm.* ad *Panciroll.* Lib. I. Rer. Memor. pag. 313. & *Kirchm.* de Annul. pag. 137. Qui tamen ex *Ariſtot.* docet, priſcos Medicos jam annulos geſtaſſe. Ita & plurima privilegia ac honores Medicis conceſſa fuiſſe docet *Lucian.* in Med. Abdic. pag. 457. *Atqui medendi Ars, quanto eſt honoratior, vitae conducibilior, tanto convenit eſſe liberiores, qui eam exercent: ac juſtum eſt, ut Ars in exercendi facultate aliquod privilegium habeat; nec cogatur, nec imperio ſubjiciatur res ſacra, Deorum Doctrina, ſapientum hominum ſtudium; nec ſervituti legis ſubmittatur, neque timori poeniſque Tribunalium, neque ſuffragiis, neque patris minis, neque indocti hominis irae ſit obnoxia.* Paulo poſt haec addit: *Immunis eſt Ars ipſa quandoquidem etiam civitates publicitus honores, praeeminentias, immunitatesque, privilegia Medicis tribuunt.* Qui plura de Medicorum Honoribus ſcire cupiat, evolvit *Canonh.* Proleg. ad *Hipp.* Aphor. pag. 5. & *Goldaſt.* de Medic. Honor. Francof. A. 1620. 4to.

Caput VI.

De Privilegiis Medicorum.

I. Illi honores, quos in Medicos collatos eſſe modo ex *D. Caſſii* atque *Luciani* locis vidimus, non tanquam ſingularia privilegia in gratiam unius alteriusve conceſſa cenſeri debent, cum ipſi Arti, & omnibus illis, qui hanc profiterentur, dati fuerint. Prius vero quam inquiramus, quaenam amplius hae immunitates atque privilegia fuerint, in tanſitu ortum & progreſſum privilegiorum Medicis ab Imperatoribus conceſſorum videbimus. Ita omnium primus J. Caeſar Medicos civitate donavit, *Suet.* in Caes. Cap. XLII. Auguſtus opera Antonii Muſae ſanitati reſtitutus jus aureorum annulorum addidit, atque a muneribus civilibus immunitatem univerſo dedit ordini, *D. Caſſ.* LIII. pag. 517. Quae immunitas deinde Veſpaſiani, Hadriani, Antonini aliorumque Imperatorum reſcriptis confirmata fuit, L. Ult. §. 30. D. de Muner & Honor. & L. VI. §. 8. D. de Excuſat. Tutor. Quibus etiam placuit, ut ne qui intra eum numerum eſſent invito ordine immunitatem haberent. L. V. C. de Prof. & Med. Porro Alexander Severus Medicis annonas atque ſalaria

ſalaria ex publico conceſſit, *Lampr.* in Ejus vita Cap. XLIV. Haec tot beneficia Conſtantinus, Honorius & Theodoſius deinceps confirmarunt, uti ex *Cod. Theod.* Tit. de Med. & Prof. colligitur. Poſtremo Julianus, qui niſi nomini maculam inuſſiſſet hoſtile erga Chriſtianos odium, inter Sapientiſſimos Imperatores merito cenſeretur, non ſine honorifico utilitatis Artis noſtrae teſtimonio, ſuperiorum Principum decreta de Medicis lege lata ſancivit & ab operibus municipalibus Graeca conſtitutione eos liberavit, quae reperitur inter ejus Epiſt. XVI. Vid. *Briſſon.* Lib. II. Sel. Ant. Cap. III. *Gothofr.* ad L. VI. *Cod. Juſtin.* de Prof. & Med. & *Heinecc.* L. I. Ant. Rom. Tit. XXIX. §. 19.

II. Haec ita in brevi tabella depingere volui (quamvis partim jam dicta & partim adhuc dicenda ſunt) ne Medicorum privilegiorum progreſſus turbatus videretur traditus. At videamus quaenam haec immunitas iis ab Imperatoribus conceſſa fuerit, quod percipere poſſumus, ſi obſervemus hoc immunitatis nomine in univerſum comprehendi poſſe omnem vacationem tam munerum perſonalium quam patrimonialium, quae unicuique ſine ullo perſonae reſpectu praeſtanda incumbebant. Quaenam vero haec munera perſonalia & patrimonialia fuerunt docent

JCti, ut *Hermogenianus* in L. I. §. 1. D. de Muner. & Honor. & *Arcadius Chariſius* in L. Ult. §. 1. & 18. eod. tit. Inſpiciatur quoque *Voet*. ad §. 3. D. de Muner. & Honor. Ab hiſce jam muneribus tum perſonalibus cum patrimonialibus Medicos liberos fuiſſe oſtendit *Gothofr*. ad L. I. *Cod. Theod*. de Med. & Prof. Quippe ſic Medicus non poterat invitus cogi, ut tutor vel judex fieret, quemadmodum docet *Modeſtinus* in L. VI. §. 1 D. de Excuſat. Tutor. *Grammatici Sophiſtae, Rhetores, Medici, qui* περιοδευταὶ, *id eſt, Circulatores vocantur, quemadmodum a reliquis muneribus, ita & a tutela & a cura requiem habent*. & Imp. *Juſtinianus* §. 15. Tit. XXV. Inſtitut. eod. tit. *Item Romae Grammatici, Rhetores, & Medici, & qui in patria ſua has artes exercent, & intra numerum ſunt a tutela & cura habent vacationem*. Sic etiam ab hoſpitibus recipiendis liberi fuerunt, ut Imperatores *Veſpaſianus & Hadrianus* reſcripſerunt L. Ult. §. ult. D. de Muner. & Honor. *Magiſtris, qui civilium munerum vacationem habent, item Grammaticis, & Oratoribus, & Medicis, & Philoſophis, ne hoſpitem reciperent, a Principibus fuiſſe immunitatem indultam* & Impp. *Honorius & Theodoſius* L. XVI. *Cod. Theod*. de Med. & Prof. *Grammaticos, Oratores, atque Philoſophiae praeceptores, nec non etiam*

etiam Medicos, praeter haec quae retro latarum ſanctionum auctoritate conſecuti ſunt privilegia immunitatesque, frui hac praerogativa praecipimus, ut univerſi qui in Sacro Palatio inter Archiatros militarunt, cum Comitivam primi ordinis, vel ſecundi adepti fuerint, aut majoris gradum dignitatis aſcenderint, nulla municipali, nulla Curialium Conlatione, nulla Senatoria, vel Glebali deſcriptione vexentur: ſeu indepta Adminiſtratione, ſeu accepta Teſtimoniali meruerint miſſionem, ſint ab omni functione, omnibusque muneribus publicis immunes: nec eorum domus, ubicunque poſitae, militem, ſeu Judicem ſuſcipiant hoſpitandum. Quae omnia filiis etiam eorum & conjugibus inlibata praecipimus cuſtodiri; ita ut nec ad militiam liberi memoratorum trahantur inviti. Haec autem & Profeſſoribus memoratis eorumque liberis deferenda mandamus. Praeterea vero ſic non ſolum a militia, ſed etiam a vectigalibus tributisque pendendis liberi fuerunt Medici, veluti Imperator *Commodus* ex Antonini Pii Epiſtola ſcribit in L. VI. §. 8. D. de Excuſat. Tutor. *Conſimiliter autem his omnibus Divus pater meus mox ingrediens principatum, conſtitutione exiſtentes honores & immunitates firmavit ſcribens* Philoſophos, Rhetores, Grammaticos, Medicos *immunes eſſe gymnaſiis ſacerdotii ſtantes, & neque ad frumenti, & vini,*

&

& olei emptiones & praepoſitiones, & neque judicare, neque legatos eſſe, neque in militia numerari nolentes, neque ad alium famulatum eos cogi.

III. Quemadmodum ex jam allatis, ita etiam ex adhuc adducendis apparebit, uti Medicis, ſic quoque eorum filiis & conjugibus has immunitates conceſſas fuiſſe, affirmante *Conſtantino* in L. III. *Cod. Theod.* de Med. & Prof. *Beneficia Divorum retro Principum confirmantes, Medicos, & Profeſſores Litterarum, uxores etiam & filios eorum ab omni functione & ab omnibus muneribus publicis vacare praecipimus, nec ad militiam comprehendi, neque hoſpites recipere, nec ullo fungi munere; quo facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant.* & *Valentiniano* in L. X. *Cod. Theod.* eod. tit. *Medicis & Magiſtris urbis Romae ſciant omnes immunitatem eſſe conceſſam, ita ut etiam uxores eorum, ab omni inquietudine tribuantur immunes, & a caeteris oneribus publicis vacent: eoſdemque ad militiam minime comprehendi placeat, ſed nec hoſpites militares recipiant.* Imo Imperatores Medicos ſuos tot tantiſque privilegiis atque honoribus ornarunt, ut quaſi Sacro-Sancti fuerint, veluti colligitur ex L. I. *Cod. Theod.* eod. tit. Ubi Imp. *Conſtantinus* ita praecipit: *Medicos, Grammaticos & Profeſ-*

ſores

ſores alios Litterarum immunes eſſe cum rebus, quas in civitatibus ſuis poſſident, praecipimus; & honoribus fungi, in jus etiam vocari eos, vel pati injuriam prohibemus: ita, ut ſi quis eos vexaverit, centum millia nummorum aerario inferat, a Magiſtratibus, vel Quinquennalibus exactus, ne ipſi hanc poenam ſuſtineant. Servus eis ſi injuriam fecerit, flagellis debeat a ſuo domino verberari, coram eo, cui fecerit injuriam: vel ſi dominus conſenſit, viginti millia nummorum fiſco inferat: ſervo pro pignore, donec ſumma haec exſolvitur, retinendo. Mercedes etiam eorum & ſalaria reddi praecipimus. Quoniam graviſſimis dignitatibus vel parentes, vel domini, vel tutores eſſe non debent, fungi eos honoribus volentibus permittimus, invitos non cogimus. Ad quam L. inſpiciendus eſt *Gothofr.* Huc etiam facere videtur L. VI. *Cod. Juſt.* de Prof. & Med. *Medicos & maxime Archiatros, vel ex Archiatris, Grammaticos, & Profeſſores alios Litterarum & Doctores Legum, una cum uxoribus & filiis, nec non & rebus, quas in civitatibus ſuis poſſident ab omni functione, & ab omnibus muneribus vel civilibus vel publicis immunes eſſe praecipimus: & neque in provinciis hoſpites recipere, nec ullo fungi munere, nec ad judicium deduci, nec eximi, vel exhiberi, vel injuriam pati: ut ſi quis eos vexaverit, poena arbitrio Judicis plectatur.*

tur. Mercedes etiam eis, & ſalaria reddi jubemus, quo facilius liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant. Ad hanc vero L. operae pretium duxi adducere, quae *Cellar.* in Antiq. Med. Cap. VI. §. 6. annotavit, forte ita edoctus a *Conring.* Diſſ. IV. Antiq. Acad. pag. 115. Nimirum quod lex: haec VI. *Cod. Inſt.* de Prof. & Med. eadem ſit, quae L. I. *Cod. Theod.* de Med & Prof. at tantummodo a Triboniano ex aliis conſuta atque interpolata; in qua Lege Tribonianus, *& Doctores legum*, quos Conſtantinus poſt- habuerat, adjecit: contra ea privilegia, quae Conſtantinus omnibus Medicis conceſſerat, ad ſolos pene Archiatros reſtrinxiſſe videtur: *Medicos*, inquit, *& maxime Archiatros, vel ex Archiatris.* etiam addidit *Una cum uxoribus & filiis, nec non.* &c. Sed quidquid hujus ſit, ortum habet ex confuſione trium diverſarum legum I, II, & III. *Cod. Theod.* de Med. & Prof; ſub diverſis Conſulibus latarum, quas in unam conflavit Tribonianus, quaſi uno tempore latas, quum, caeteris Conſulibus praeteritis, ſolos primae legis nominaverit, quod ei ſolenne eſt, veluti hinc ſaepius caſtigatur ac reprehenditur a *Gothofr.* ad L. I. *Cod. Theod.* eod. tit. & *Conring.* Diſſ. VI. Antiq. Acad. pag. 166. Viris non minus hiſtoriarum & antiquitatum quam le-

gum

gum Romanarum conſultiſſimis. Qui autem plura ad Medicorum privilegia facientia deſiderant, adire poſſunt praeter *Cod Theod.* & *Juſt.* tit. non raro laudatis, L. I. *Cod. Juſt.* de Decr. Decur. ſup. immun. quibusd. conced; & *Forner.* Lib. III. Select. Cap. XXVIII. ap. *Cl. Ott.* Tom. II Thes. Jur. pag 118. *Conring.* Diſſ. IV. Antiq. Acad. pag. 112. *Menag.* Amoenit. Jur. Cap. XXXV. circa finem, Tabor. Tom. I. Oper. pag 90. & Tom. II. pag. 676. C. *van Eck* in Vindic. Jur. Acad. pag. 37, & 53. & *Otto* ad Inſtitut. Lib. I. Cap. XXV. Qui & egregia collegit Cap. VI. §. 7. de AEdilib. Colon. & Munic. Poſtremo denique hiſce omnibus ſubjungere placet legem, qua Imp. *Julianus* ſuperiorum Principum decreta ſanxit: *Medicinae ſcientiam hominibus ſalutiferam eſſe, patens ejus uſus atteſtatur, & ideo hanc e coelo delapſam Philoſophi merito praedicant, ſiquidem cum naturae noſtrae imbecillitas, tum morbi quotidie incidentes per hanc corriguntur. Itaque nos ſecundum juſtitiae rationem ſuperioribus Regibus conſona obſervari pracipientes, humanitate noſtra mandamus Vos in reliquis temporibus ab omnibus miniſteriis immunes vivere.* Haec Lex reperitur inter *Julian.* Epiſt. XXVI. & ap. *Mercur.* Lib. I. Art. Gymn. Cap. I. in fine.

IV. Verum enim vero praeter haec omnia jam memorata Medicis etiam conceſſum fuit

jus aliquod ipſos in Reges ac Imperatores; ſicuti patet ex *Caſſiod.* Lib. VI. Var. Ep. XIX. *Indulge te Palatio noſtro, habeto fiduciam ingrediendi, quae magnis ſolent pretiis comparari; nam licet alii ſubjecto jure ſerviant, tu rerum Domino ſtudio praeſtanti obſerva. Fas eſt tibi, nos fatigare jejuniis: fas eſt contra noſtrum ſentire deſiderium, & in locum beneficii dictare, quid nos ad gaudia ſalutis excruciet. Talem tibi denique licentiam noſtri eſſe cognoſcis, qualem nos habere non probamur in caeteros.* En quantum auctoritatis ac imperii olim Reges Medicis ſanitatis ſuae ſolliciti largiebantur. Hinc etiam Medici aegris, tanquam Duces militibus & Reges ſubditis imperare dicuntur, teſte *Zacch.* Quaeſt. Med. Leg. Lib. VI. Tit. III. Quaeſt. IV. §. 12. Ita ipſis Imperatoribus imperare dicuntur ap. *Plin.* Lib. XXIV. H. N. Cap. I. De hac autem locutione hic non latius exſpatiabor, quum *inf.* Sect. III. Cap. VI. §. 3. de ea agendi opportunior erit locus. Praeterea eos jus vitae ac necis habere dicit *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. Quale ferme exemplum de Jacobo de Cotterio Medico Ludovici XI. Gallorum Regis refert *Comin.* Lib. VI. Cap. XII. Ratio autem cur haec omnia Reges Medicis indulgebant, haec eſſe videtur, vel quia probe noverant ſe ab illis rem inaeſtimabi-

mabilem vitam ac valetudinem bonam emere, *Senec.* Lib. VI. de Benef. Cap. XV. Vel quia ſciebant nullam ſibi ſpem ſalutis ſupereſſe, ſi non per omnia Medicis obtemperarent, ut loquitur *D. Caſſ.* Lib. XLII. pag. 365. Quae enim ſpes ſanitatis aegrotantibus, ſi non per omnia Medicis obtemperent? Quam tuta navigatio, ſi nautae gubernatoris juſſis non pareant.

SECTIO TERTIA

CAPUT I.

Quinam inter Hebraeos Medicinae operam dederunt.

I. Quum igitur tot honores & privilegia Medicis, ut praecedentibus vidimus, fuerint conceſſa, in animum inducere non poſſum olim Medicinam Romae tantum fuiſſe Artem illiberalem, quae ſolos ſervos, non vero liberos aut ingenuos homines deceret. Non deſunt enim, qui hanc Artem tot tantiſque titulis ac nominibus adornatam vellicare & inter artes ſordidas, mechanicas, minimeque honeſtas reponere conan-

nantur. Verum cum haec omnia duntaxat mera ſint convitia ab iniquiſſimis hujus Nobiliſſimae Artis obtrectatoribus prolata, ad Vos provoco, Vos appello, B. L. judicate ipſi, an aequum ſit, ut tali modo de hac praeſtantiſſima Arte cenſeatur, cujus Inventores omni antiquitas ſemper Deos habuerit, de cujus Praeſtantia tot celeberrima exſtant teſtimonia, cujus Neceſſitas atque Uſus omnibus ſit tam optabilis, cujusque Profeſſores tot Praemiis munerati, tot Honoribus affecti, tantisque Privilegiis donati fuerint, ac inſuper quaenam ars aut ſcientia eſt, quae tot Nobiliſſimos Scriptores, tot Clariſſimos Profesſores, tot denique Celeberrimos Tractatores habuerit, & nulla certe; nec ſi cunctas ſimul conjunxeritis, vix unam Medicinam numero aequabunt; nam hanc Artem Summi Reges, Imperatores, Principes, & plurimi alii longe Celeberrimi Viri callere laudi ſibi duxerunt. Ex quibus paucos huc adſcribere vobis, ut opinor, nec res inutilis, nec injucunda erit.

II. Ita inter *Hebraeos* (ut ordinem ſervemus) primum ſibi vindicat locum SALOMON omnium Regum Sapientiſſimus, qui Medicinae adeo fuit peritus, ut libros compoſuerit de natura lignorum, herbarum, jumentorum, volucrum, reptilium & piſcium

um, uti ex apertiſſimo, quod occurrit Lib. I. *Reg*. Cap. IV. ℣. 33, conſtat teſtimonio; ubi haec habentur: *Eloquutus etiam eſt de plantis a Cedro, quae eſt in Libano, uſque ad Hyſſopum, quae prodit e pariete; denique eloquutus eſt de jumentis, & de volucribus, & de reptilibus, & de piſcibus.* Et ipſe *Salomon* Lib. Sapient. Cap. VII ℣. 20. fatetur: *Deum ſibi dediſſe facultatem cognoſcendi naturas animantium, & animos beſtiarum, ſpirituum vires, & cogitationes hominum, differentias plantarum, & radicum facultates.* Ita Salomonis herbarium Arabica lingua conſcriptum memorat *Morhof*. Polyhiſt. Lib. I. Cap. VI. pag. 49. De Chemia ſcripſiſſe fertur a *Mercklin*. Linden. Renovat. pag. 953. quia ſub ejus nomine Libellus de Lapide Minerali, quem Philoſophorum nominant, reperitur in Decad. 2. Harmon Chem. Philos. *Joh. Rhenano* collectae, & Francof. A. 1625. in 8. editae Conf. quae habentur ap. *Manget*. Tom. I. Bibl. Chem. pag. 472. Caeterum Salomonem magnum ac ſummum fuiſſe Medicum etiam affirmat *Joſeph*. Lib. VIII. Antiq. Cap. II. paulo poſt initium docens eum hanc ſcientiam ſcriptis reliquiſſe. Horum librorum meminiſſe videtur *Henr. ab Sypeſt*. in Epiſt. de Plagiar. ap. *Almelov*. pag. 55. Quae ſcripta Ezechias abſtuliſſe dicitur, quoniam populus multo magis herbarum viribus,

quam

quam Deo credebat, teſte *Suid.* in voce Ezechias. *Fertur etiam tale quiddam. Fuit Salomonis liber, remediorum cujusvis morbi veſtibulo templi inciſus. Eum revellit Ezechias, quod populus, neglecto Deo, nec invocato, ſanationem malorum inde peteret.* Plura habent *Camer.* Cent. III. Oper. Subcis Cap. XXX. *Selden.* de Libris pag. 196. *R. a Caſtro* Lib. II. Med. Pol. Cap. VI. *Salm.* ad *Panciroll.* Lib. II. Rer. Memor. pag. 39. *Lomeier.* de Biblioth. pag. 45. & *Ten Rhyne* de Antiq. Chem. & Botan. pag. 237. Quare recte *Euſeb.* Lib. XI. Euang. Praep. Cap. V. teſtatur Salomonem fuiſſe ſummum Phyſiologum. Atque eum exactiſſimam Oeconomiae animalis ſive functionum corporis humani notitiam habuiſſe videtur colligi ex *Eccles.* Cap. XII. a ℣. 1. ad ℣. 7. *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuae, antequam veniat tempus afflictionis & appropinquent anni, de quibus dices, non eſt mihi in iſtis delectatio. Antequam obtenebreſcant Sol & Lux & Luna & Stellae, & poſt pluviam denſae revertantur nubes. Quo tempore cum cuſtodes domus tremiſcent, & nutabunt fortiſſimi: & otioſi erunt molentes numero minuto: & tenebreſcent videntes per foramina. Claudenturque valvae foro, dejecta ſonora molitione, & ſurget ad vocem avicularum, & obſurdeſcent omnes cantatrices. Excelſa quoque timebunt & formidabunt in via, florebit amygda-*

dalus, quando locuſta gravabitur, & omnis delectatio peribit, quando homo ibit in domum ſuae aeternitatis, & circumibunt in plateaplangentes. Antequam reſolvatur funiculus argenteus, & conſumatur fons aureus, & frangatur hydria ad ſcatebram, & diſrumpatur rota ad ciſternam. Atque revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Evidens enim eſt Salomonem vitia & incommoda aetatis ſenilis Allegorice his verbis delineare ac depingere voluiſſe. Quippe *Senectus*, ut cum *Phormione Terentiano* loquar Act. IV. Sc. I. ℣. 9. *Nil niſi morbus eſt.* Unde *Ovidius* quoque aegram dixit ſenectutem Lib. XIV. Metam. ℣. 142.

- - - - - *Sed jam felicior aetas*
Terga dedit, tremuloque gradu venit aegra ſenectus;
Quae patienda diu eſt.

Miſerrimus ſenum ſtatus etiam eleganter depingitur a *Lucian.* in Mortuor. Dial. pag. 119. Vid. etiam *Duret.* in *Hippocr* Coac. Praenot. pag. 175. & 306. *Rhodig.* Lib. XIII. Cap. XXVII. & *Barth.* ad *Claud.* Lib. II. de Laud. Stilic. ℣. 222. & de Bello Gildon. ℣. 115. Quare totam hanc Senectutis deſcriptionem, cum ex intima Artis eruditione deprompta ſit, digniſſimam cenſeo, ut ulteriori illuſtratione proſequamur.

III. Nam I. ad haec verba, *Antequam obtenebreſcant Sol, & Lux, & Luna, & Stellae*, notandum, quod per haec intelligatur hilaritas ſeu amoenitas vultus, quae in ſenio amittitur, cujus loco ſuccedit obſcuritas, pallor, & tetricitas; nam tota ſenum cutis fit rugoſa & arida, praecipue circa oculos & frontem, quae prius tam levis & explicata exſtitit, unde totius hominis facies mire deturpatur. Ratio vero hujus rei vel videri poteſt, quod propter conſolidata & abolita vaſcula cutanea, quae prius humoribus impleta erant, partes exſiccentur, & hinc propter auctam contrahendi vim, rugas intermedias formant: Toroſitas enim illa, quae prius ob repleta vaſcula aderat, jam receſſit. Vel hujus ariditatis cauſam quis ſtatuere poſſet defectum pinguis illius exſudantis ex folliculis vel glaudulis cutaneis, cuti liniendae, & flexilem retinendae, deſtinati: nam in ſenio omnes glandulae minores fiunt. imo tandem evaneſcunt, ut Anatomica ſenilium cadaverum diſſectio docuit. Ad quam vultus mutationem Corn. *Gall.* ſive auctor ſub iſto nomine latens reſpicere videtur, quum ſcite ita cecinerit Eleg. I. ỹ. 134.

Pro niveo, rutiloque prius, nunc inficit ora
Pallor, & exſanguis, funereuſque color.

Arte

Aret ſicca cutis, rigidi ſtant undique nervi.
Et lacerant uncae tabida membra manus.

& ℣. 208.

Hae ſunt primitiae mortis; his partibus aetas
Defluit, & pigris greſſibus ima petit.
Non habitus, non ipſe color, non greſſus euntis;
Non ſpecies eadem, quae fuit ante, manet.

Ac inſpici poteſt *Ovid* Lib. I. ex Pont. Epiſt. IV. ℣. 1. Vel per ea verba deſcribitur intellectus, imaginatio, memoria & judicium, quae in iis debilitantur, juxta illud *Bis pueri ſenes*. Cujus labaſcentis in ſenibus memoriae cauſa mihi videtur minor ſyſtematis nervoſi mobilitas, adeoque & ſenſorii communis, qua fieret, ut idem illud minus vivide afficeretur a quacunque cauſa, hinc conditio ei impreſſa, quae ibi tantum eſt Mechanica diſpoſitio, per actionem alicujus objecti, tam debiliter inhaeret, ut actione aliorum objectorum, facile & brevi deſtrui poſſit; unde ſic menti nulla amplius memoria idearum, prius perceptarum, reſtaret. At unicuique in hiſce cogitandi libertatem relinquo. Hinc etiam aliquomodo intelligitur, unde fiat, quod ſenes ratiocinatione atque judicio minus valeant? Judi-

Judicium enim tantummodo eſt, propoſitionum ex ideis compoſitarum juſta concatenatio: unde videmus ad judicium requiri, I. Clarum rerum repraeſentamen; II. Memoriam rerum propoſitarum: ſed utrumque labaſcit, ergo & judicium ut vacillet, neceſſe eſt. Adeo ut, quoad ad ſenſus hoſce, parum a puerorum natura differre decrepiti obſerventur. Unde nunc vacillatio imaginationis, attentionis &c. proveniant, ex dictis quiſque facile intelliget. His intellectis ſi rogatur, cur illa, quae in juventute memoriae imprimuntur, plerumque optime ei inhaereant, & contra, quae in provecta valde aetate, non diu memoria retineantur; an dico hujus rei ratio haec dari non poſſet, hoc ſcilicet inde fieri, quia in prima aetate ſenſorium facile afficitur, hinc impreſſiones diu retinere poteſt; in ſenio vero ſummo illud difficulter afficitur, inde impreſſiones non diu valde retinet: & ſimul quia tum jam multis aliis perceptionibus gravatum eſt. Ideoque tandem concludimus uti quatuor verſus ſequentes ad corporis partes ſpectant, quemadmodum mox videbimus, ita hunc verſum ad mentem refero, cujus, tanquam partis principis, infirmitates, quae ſenibus plerumque obtingunt, hic a Salomone omitti neutiquam probabile. Ergo hisce verbis mor-

bos

bos mentis in ſenibus ſignificat.

II. *Poſt pluviam denſae revertantur nubes.* Elegans inſtituitur comparatio inter pluvias macrocoſmi & ſtillicidia catharralia in ſenibus: quemadmodum enim copioſas poſt pluvias nemo eſt, qui non metuat nubes foecundas, a quibus nova metuenda pluviarum ſtillicidia: ita etiam ſenectus continuis quaſi defluxionibus catharralibus expoſita, *Hippocr.* Tom. I. de Aëre &c. pag. 343. § 27. ſuperato uno catharro mox ingruentem novum metuere debet. Hinc notum proverbium *Nubes poſt imbrem*, de malis ſibi cito ſuccedentibus; & econtrario, *Poſt nubila Phoebus*, de gaudio triſtitiam ſequente. Senes enim in eo pueris aequiparandi, quod ſaepius variis laborent morbis, ut ſunt catharri, ſubinde etiam ſuffocativi pulmonum, tuſſis, praecordiorum anguſtiae & anxietates, aſthma crebra & anheloſa, quae huic aetati admodum ſolennia, *Hippocr.* Sect. III. Aphor. XXXI. Cauſa horum ſaepe obtinentium in ſenibus morborum non improbabilis videtur ariditas atque conſtrictio cutis, propter quam excrementa evacuari ſolita facillime intro pelluntur, & intra corpus retinentur; quo ſaepe tunc fit, ut materia illa ad partes delata, dicta ſymptomata excitet; ſi ad pulmones, & quaedam acrimonia ei juncta ſit, vellicando ner-

nervos ibi excitat κατάῤῥȣς Βηχώδεες: pulmones infarciendo, δησπνοιαν: ſi vero ad aſperam arteriam deferatur, facit Βραγχȣ̃ς: ſi ad nares, κορύζας, &c. Praeterea cum corpus noſtrum tam interne, quam externe ſit perſpirabile & probabile valde ſit, ſimiles ariditates etiam obtinere in partibus internis, quales in externis, hinc memoratos morbos etiam oriri poſſe propter ipſas has partes nimis exſiccatas & imperſpirabiles redditas, nihil obſtare video. Huc accedit, quod ſenilia corpora multis cruditatibus, humoribuſque frigidis & lentis ſint obſeſſa, propter labefactatas coctiones, & deficientem calorem; quibus omnibus fit, ut hi morbi facile producantur, qui tunc etiam, monente *Hippocr.* Sect. II. Aphor. XL. coctionem non admittunt.

III. *Cuſtodes domus tremiſcent.* Id eſt, manus & brachia, quod haec totum corpus ab incommodis defendant, unde illis in S. L. etiam protectio ſive defenſio tribuitur, ut ap. *Job.* Cap. XXXI. ℣. 21. & *Pſalm.* XLIV. ℣. 3. Confirmat hoc Anatomica harum partium conſideratio. V. Gr. quod ſcapula in robuſtiſſima dorſi parte collocatur, ubi ut luxationi caveatur, craſſiſſimo ligamento munitur & latis tendinibus quatuor magnorum muſculorum, nec non clavicula: eadem articulatur & aptatur humero per Arthrodiam;

in

in qua cavitas eſt impar capiti humeri, ut facilius & liberius qualibet parte moveri poſſit. De qua articulatione inſpiciatur *Palſyn* in Oſteolog. Nov. pag. 352. Plura huc ſpectantia notari poſſent de humero, de muſculis, nec non de oſſibus extremae manus, imprimis de pollice, qui firmiter aliquid tenendo & armis utendo, toti manui ſuppar eſt; unde victis abſciſſi ſunt pollices, *Judic* Cap. I. ỳ. 7. Conf. *Rhodig*. Lib. XV. Cap. XXVII. & V. D. ad *C. Nep.* in Alcib. Cap. VIII. Quae omnia plane indicant his partibus defenſionem hominis & domus merito tribui. Porro his imprimis partibus, praeterquam quod huic reſpondeat, quod ſequitur de pedibus, convenit tremor. Quae vox licet omnes includit harum partium debilitates & impotentias, ſive externas, ut rigorem, contractionem, rugoſitatem; ſive internas, ut dolores, ſtupores, paralyſes &c. praecipue tamen reſpicit graviſſimum illud ſymptoma, tremorem artuum: qui oritur, quod praecipua movente deſtituantur cauſa, nimirum ſpiritibus; nam qui ſuperſunt adhuc, inordinato & inaequali ad partes determinantur motu.

IV. *Nutabunt fortiſſimi.* Sub nomine fortiſſimorum procul dubio pedes intelliguntur: hi enim ſunt inſtar totidem columnarum, qui-

quibus tanquam totidem Athlantibus tota corporis moles inniti debet: hinc in illis robur hominis collocatur *Pſalm.* CXLVII. ℣. 10. & *Cantic.* Cap. V. ℣. 15. His vero ob virium imbecillitatem fatiſcentibus totum corpus incurvari, & caput contremiſcere, neceſſe eſt: nam pedes inter gradiendum veluti diſtorquentur, quare ſcipionem in ſubſidium poſcunt. *Ovid.* Lib. VIII. Metam. ℣. 693.

Membra levant baculis; tardique ſenilibus annis
Nituntur longo veſtigia ponere clivo.

Adde *Claudian.* Epigr. XXIV. de Sene Veronenſi ℣. 3. Quae vitia cuncta partim a tono & robore partium muſculoſo-fibroſarum, partim vero a functionibus viſcerum laeſis, indeque oriunda vitioſa humorum ſaburra originem ſuam trahunt.

V. *Otioſi erunt molentes numero minuto.* Id eſt, dentes, qui ex paucis ſuperſunt, minus molunt ſolito, ob defectum tum virium in ſe tum appetitus in ſtomacho. Deſignantur itaque hiſce verbis negotium maſticationis admodum turbatum ac labefactatum. Senes enim cum ſint edentuli ac proinde primario ciborum comminuendorum inſtrumento deſtituti;

tuti: unde alimenta ſemicruda ad ventriculum dimittendo cruditatibus anſam ſuppeditant. Hinc eſt quod E. *Bellinus* de Febrib. Propoſit. XXII. pag. m. 382. dixit, in infantibus & ſenibus, quia ambo dentibus carent, fieri chylum minus coctum, verum magis crudum & frigidum; eoque magis, quia hi humoribus minus vividis & diſſolvendo aptis praediti ſunt. Vitia enim primae concoctionis, quae in ore per legitimam ciborum maſticationem peragi debet, vix ab illis emendantur in ſecunda ac tertia. Unde cachexia, ciborum inappetentia ſenibus uſque adeo familiaris, aliaque vitia iſtis affinia enaſcuntur.

VI. *Tenebreſcent videntes per foramina.* Id eſt, per intervalla palpebrarum, quae in viſu ſicuti feneſtrae aperiundae ſunt; vel 2. Per orbitas oculorum, quae ſex oſſibus conſtantes fornicem conſtituunt, per quam oculi proſpiciunt; vel 3. Per nervos opticos, qui ut ſpiritus animales contineant, cavi & perforati ſunt; quibus obſtructis, ut in gutta ſerena, totalis ſequitur coecitas; vel 4. Per pupillam oculi, quae nihil aliud eſt, quam foramen in tunica uvea; vel 5. Ut quidam volunt, per vitra conſpiciliorum; ſed male, nam 1. Incertum eſt, num illa tunc temporis inventa fuerint; & 2. Sunt haec extra li-

mites Allegoriae, neque ſunt partes domus, quae hic deſcribitur, ſcilicet corporis humani. Unde autem fiat, quod inter morbos ſeniles haud ultimum occupet locum caligo ſeu obtenebratio oculorum, qua vel obſcurius vident objecta, vel ſimplicia ebriorum inſtar judicant duplicia, jam inquirendum reſtat. Cujus phaenomini ratio an non arrideret haec: quod ſcilicet tenerrima retinae expanſio facta ſit minus ſenſilis, ob nervorum conſolidationes & ariditates; unde requiſitus ille in retina pruritus evaneſcit ſenſim, quo tunc fit, ut haec a lucis radiis minus vivide afficiatur, hinc impreſſio facta non ut ante ſenſorio communi offeretur; unde tunc ſimul menti excitetur idea, rei viſae minus vivida? An vero quis hujus imminuti viſus cauſam potius attribueret humoribus oculi, antea diaphanis valde, nunc vero minus pellucidis, & deficere incipientibus, an eorum tunicis opacis & exſiccatis corrugatiſque, quo fieret, ut lucis radii non tam vivide & diſtincte oculum tranſirent? Certe humores illos in ſenibus incraſſari immeabileſque reddi propter ſubtiliorum defectum minime eſt dubitandum. Unde apparet ab eadem hac cauſa naſci & vitium illud, ſenibus quoque frequentiſſimum, quod *Hippocr.* Sect. III. Aph. XXXI. vocat γλαυκώσιν, malum in lente cry-

cryſtallina proprie haerens. Depravatur & inſigniter vitus per vitium illud, ſenibus adeo moleſtum, quod *Hippocr.* L. L. audit ὀφθαλμῶν ὑγρότητες, eſtque duntaxat fluxio humorum acrium rodentium in ſenilibus corporibus abundantium, per quos oculi tam externae quam internae partes mire labefactantur & excoriantur. Aliud adhuc circa viſum phaenomenon in ſenibus examinandum occurrit, πρεσβυωπία ſcil. vitium omnibus fere ſenibus proprium, & incipientis ſenectutis ſignum: quo fit, ut objecta non niſi remotiora ab illis cerni queant. Cujus rei ratio haec videtur, quod nim. propter vaſorum minimorum defectum, humores ſubtiliores etiam in oculo deficere incipiant; unde tunc humor aqueus, ſubtilis ſatis etiam copia minuitur; interim partes ſolidae oculi interiores ſe ſenſim magis contrahunt, propter auctum ſolidorum robur; contrahit & ſe cornea tunica, cujus ſuperficies magis nunc applanatur, quibus omnibus tunc fit, ut radii lucis incidentes nimis divergentes fiant, hinc illi in retina non colliguntur, ſed poſt illum quaſi adhuc divergunt, unde tunc objecta confuſe repraeſentantur. Cui malo illud remedium humana excogitavit induſtria, ut ſcil. hi homines utantur vitro dioptrico convexo, quod facit, ut lucis radii magis convergentes

in retinam incidant. Ex hujus quoque phaenomeni conſideratione credo intelligere eſt, quare homines, qui oculos in juventute habuere valde, prominentes, id eſt, qui Myopes fuere, cum reliqui ſenſus jam ſeneſcere incipiant, πρεσβυώπια tamen non laborent. Conf. Clar. *Boerhav.* Vir tantae certe penetrationis tum in Medicina cum in Phyſica, ut ultimos humani ingenii limites tranſiiſſe videatur; in Inſtit. Med. §. 37. ſeq.

VII. *Clauduntur valvae foro, dejecta ſonora molitione.* Vel valvae, id eſt, labia *Job.* Cap. XLI. ℣. 5. hic dicuntur clauſae, quia ſenes taciturni ſunt, & pauca loquuntur; imo piget ipſos os vel labia aperire, quod vox plane rauca, muſſitans, & depreſſa eſt: quod nemo mirabitur, qui conſiderat, quod dentes, quibus ſenes jam carent, cum reliquis organis ad ſonum, in faucibus editum, mutandum & varie determinandum valeant. Vel per haec verba indicatur, quod ſenes inter maſticandum os nec aperiant, nec ſonum niſi exilem edant. Senes enim, cibis oblatis, os vix pàtefaciunt, nec dentes ob eorum diminutionem inter maſticandum ſtrident, ceu in juventute; ubi cruſtas, oſſicula &c. fortiter ac ſonore confringimus: quod econtrario dentibus carentes facere non valeant. Porro alii, quamvis forte minus recte, his verbis

verbis defectum ſeminis productionis ſignificari volunt; & molitionem duplicem eſſe contendunt, 1. Externam inter duo dura corpora &c. de qua *ſup*. N. 5. diximus. 2. Internam, quam actiones noſtri corporis naturales praeſtant: Quae merito molitio vocatur, quia idem, quod mola, melius aſſequitur, & dura perfectius comminuit, minoreſque in partes dividit. Quarum molitionum ſpecies quinque hic tantum notabo, 1. Chylificationem 2. Sanguificationem, 3. Aſſimilationem, 4. Lactationem, & 5. Denique ſeminis productionem: quae, quia maxime miranda eſt, plures requirit praeparationes & mutationes, quam omnes praecedentes, unde tot ei deſtinantur vaſa, ut praeparantia, deferentia, varicoſum &c. Ideoque per hanc vocem molitionem hoc loco ſeminis praeparationem deſignare contendunt, quum ita quoque occurrat ap. *Job*. Cap. XXXI. ℣. 10. *Uxor mea alteri molat.* Nam eodem ſenſu verbum molere reperitur ap. *Petron*. Cap. XXIII. *Super inguina mea diu multumque fruſtra moluit.* Et permolere ap. *Horat*. Lib. I. Sat. II. ℣. 34.

Nam ſimul ac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes aequum eſt deſcendere, non alienas
Permolere uxores. - - - - -

Sic molere inter Venerea vocabula eſſe etiam annotat *Cl. Burmann.* ad *Petron.* L. L. Am vero locus *Judic.* Cap. XVI. ℣. 21. ubi de Sampſone legitur: *Quod molens eſſet in ergaſtulo*, „ eo ſenſu quoque exponendus ſit, propter ſententiae abſurditatem non facile crederem, „ quamvis *D. Hieronym.* ad *Jeſaiam* Cap. XLVII. ℣. 2. Rabbinos ſequutus, id iſto ſenſu interpretari non veritus fuerit: Philiſtaeos enim credebat, prolis giganticae cupidos, ſelectiſſimas ac robustiſſimas ſuas virgines ad Sampſonem adduxiſſe, ut eas ex Sampſone haberent gravidas. Sed huic expoſitioni obſtat, quod in eadem hiſtoria legatur, robur illi iſtud inuſitatum in capillitio, quod intonſum, ut Nazaraeus geſtabat, ſitum fuiſſe, periturum ſi detonderetur, ut revera accidit. Nam cum arcanum illud puellae, quam deperibat, importunius inſtanti aperuiſſet, ab ea non multo poſt per ſomnium toto capite attonſus, ad modum communem humani roboris redactus fuit. Hoc cum ita proditum ſit de eo Heroe; neque ignorarent Philiſtaei, valde ſtultum fuisſet id conſilium de prole propaganda ex homine, quo tempore vires illi una cum capillis ademptae eſſent. Statim quippe in piſtrinum fuiſſe detruſum expreſſe ſcriptum eſt: *Quem cum apprehendiſſent Philiſtaei, ſtatim erue-*

eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam, & clauſum in carcere molere fecerunt. Praeterea non fuiſſe illi a natura id robur, ſed ſingulari & extraordinario Dei munere tributum haud obſcure S. S. teſtatur: miracula autem non tranſire in ſobolem palam eſt. At quomodo huic actui vincula aenea congruere potuerint, neſcio, & revera illud Sampſoni ſexui adeo dedito poena non fuiſſet. Adeoque potius ſimpliciter hic locus eſt intelligendus: captivos enim in carceribus ad molas volvendas tum apud Romanos cum apud alios populos adactos fuiſſe quis neſcit, qui vel Plautum vel Terentium legerit? Recte igitur, ne vertigine corriperentur, & ſic a labore impedirentur, hi ſervi etiam oculis orbabantur. Videantur *Polus* in Synops. Crit. ad *Eccles.* Cap. XII. ℣. 4. *V. D.* ad *Petron.* Cap. XXIII. *Rabus* Ling. Delic. Cap. XII. in fine. *Bayle* Dictionair. Hiſtor. & Critiq. in voce *Samſon. Petit.* Lib. III. Obſerv. Miſcell. Cap. II. & *Pfeiff.* Cent. II. Diffic. ſcript. locor. Cap. LXI.

VIII. *Surget ad vocem avicularum.* Tentatur perfrequenter ſenectus moleſtis pervigiliis, *Cels.* Lib. II. Cap. I. circa finem & *Barth.* ad *P. Stat.* Lib I. Theb. ℣. 434. Adeo ut a leviſſimo ſaepe ſtrepitu & cantu galli gallinacei excitentur, & reliquam noctem tra-

hant inſomnem, cujus rei cauſae in nimias curas atque ſollicitudines, quibus eorum cor angitur ac miſere ſaepe torquetur, rejiciendae videntur.

IX. *Obſurdeſcent omnes cantatrices.* Sicuti, ut *ſup.* N. 6. vidimus, caligine oculi, ita tinnitu & gravitate auditus occupantur aures in aetate ſenili: qui affectus, Βαρυηκοΐα dictus ab *Hippocr.* Sect. III. Aph. XXXI. praeſentis ſenectutis eſt comes. Cujus cauſam nemo mirabitur, ſi conſideret ſubtilitatem hujus organi, & multitudinem organorum huic ſenſui inſervientium; e quibus ſi quoddam a naturali conformatione aut ſtatu deviarit, ſtatim moleſtia quaedam percipitur; adeo ut millenis hic ſenſus modis deturbari poſſit. Quippe hujus laeſi ſenſus cauſa in ſenibus eſſe poteſt, quod nervi acuſtici portiones durae & molles, per internam hujus organi cameram diſtributae, factae ſint calloſae & aridae, unde tunc radii ſonori membranis trementibus communicati, ope horum nervorum concuſſorum, nunc exſiccatorum, ad ſenſorium commune deferri impediuntur, vel ſaltem illud minus vivide afficiunt, & ſic ibi ideam ſoni minus vividam excitant. An vero hujus vitii cauſam potius attribuendam quis putaret ligamentis, & muſculis malleum, incudem, ſtapedem nectentibus,

moven-

moventibuſque rigidis factis, quemadmodum in ſenio ſaepius obtinet? Lubetne laeſum hunc ſenſum, membranis tympani, ovalis, rotundae, calloſis factis imputare? Media enim tympani lamella tota vaſculoſa eſt; unde per horum vaſculorum in ſenibus abolitionem tale quid accidere poſſet: certe ſi haec omnia rite perpendamus, nihil obſtare video, cur ſimilia horum laeſorum ſenſuum cauſae exiſtere non poſſent; praecipue ſi attendamus ad ea, quae diſſectio ſenilium cadaverum conſpicienda dedit: narrat enim *Baglivius* ſe, in cadaveribus viri cujuſdam nonagenarii, & alterius octogenarii majoris, non modo nervos, verum ipſum cerebrum tam durum aridumque inveniſſe, ut cultro inter ſecandum ejus duritiem perciperet. Quid nunc ex tali cerebri nervorumque conſtitutione ſequi debeat, unicuique judicandum relinquo.

X. *Excelſa quoque timebunt.* Id eſt, loca alta, ut ſcalas, colles, altas turres &c. conſcendere non audebunt, vel ob laſſitudinem, quia non poſſunt attollere crura, vel ob difficultatem ſpirandi, vel ob vertiginem, ne inde decidant.

XI. *Formidabunt in via.* Quia diffidunt poplitibus ſuis: atque hinc timent viam ingredi, quod illis plana via aſpera ſit futura,

 par-

parvaeque aſperitates magni colles aut montes: quo reſpicit *C. Gall.* Eleg. I. ℣. 218.

Fitque tripes, prorſusque quadrupes, ut parvulus infans.
Et per ſordentem flebile ſerpit humum.

& ℣. 222.

Hinc eſt quod baculo incumbens ruitura ſenectus,
Aſſiduo pigram verbere pulſat humum,
Et numeroſa movens certo veſtigia paſſu,
Talia rugato creditus ore loqui.

XII. *Florebit amygdalus.* Per amygdalum florentem canitiem ſenum intelligimus, qua tempeſtive monentur, ut rationes vitae anteactae prudenter exigant, & de emigratione in aliam mature cogitent. Inſeperabile enim ſenectutis ſignum merito habetur canities; per quam ubique ſenectutem deſcriptam vidimus, nam ita *Ovid.* Lib. XV. Metam. ℣. 212. ſenectutem hyemi comparat:

Inde ſenilis hyems tremulo venit horrida paſſu;
Aut ſpoliata ſuos, aut quos habet, alba capillos.

& Lib. II. Art. Am. ℣. 117. & *Propert.*
Lib.

Lib. III. El. XXIII. ℣. 33. *Menag.* ad *Diog. Laert.* Lib. I. Segm. 85. Quin imo canities ſenibus magno ſemper fuit honori, ut patet ex *Levit.* Cap. XIX. ℣. 32. ubi hoc modo praecipitur: *Coram canitie aſſurgito, ut honorem habeas faciei ſenis.* & *Proverb.* Cap. XVI. ℣. 31. *Canities digniſſima vocatur corona* Unde *Ovid.* quoque cecinit Lib. V. Faſt. ℣. 57.

Magna fuit capitis quondam reverentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.

& *Juven.* Sat. XIII. ℣. 54.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non aſſurrexerat. . . . .

Inde honorati cani ap. *Ovid.* Lib. VIII. Metam. ℣. 8. Venerandi ap. *Senec.* Herc. Furent. ℣. 1248. Canities, honor capitis appellatur a P*lin.* in Paneg. Cap. IV. Sancta canities legitur ap. *Claud.* Epigr. XXV. de Piorum Fratrum Statuis ℣. 30. Conf. *Delrium* ad *Senec.* Herc. Oetaeo. ℣. 925. part. poſt. & *Barth.* ad *Claud.* Lib. IV. de Laud. Stilic. ℣. 460. Attamen in re amatoria albi iſti capilli nunquam tanti fuerunt pretii, quare etiam venerei hi amatores alium, & quidem nigrum, colorem illis inducere ſolebant, ut tali

tali modo frigidam tegerent ſenectutem, & ſe operi venereo bene aptos mentirentur. Vid. quae habet *Kuhn* ad *AElian.* Lib. VII. Var. Hiſt. Cap. XX. & Clar. *Arntzen.* in pereleganti Diſſ. de Color. Com. Cap. VII. §. 8. Plura de honore aetati ſenili habito reperiuntur ap. *A. Gell.* Lib. II. Cap. XV. & *Val. Max.* Lib. IV. Cap. V. Haec ſenum canities nil aliud eſt, niſi pilorum, cujuſcunque etiam antea fuerint coloris, in canum mutatio, quae eorum ſenium arguit. Cujus phaenomini cauſa haec videtur, quod propter humorum ſubtilium defectum, ipſi pili iis deſtituantur, unde quoque eorum cava non amplius irrigantur, quo tunc ſit, ut color pilorum antea varius, pro varietate iſtius liquidi pilos diaphanos antea replentis, tandem evaneſcat, & pili exſucci & aridi in colorem canum permutentur, qui color omnibus noſtris ſolidis partibus, omni humido deſtitutis, videtur proprius. Succedit canitiei ipſum calvitium; adeo ut hominis caput, quemadmodum pleraſque plantas hyberno tempore frondes, & nonnullas aves pennas amittere videmus, capillorum ornamento privatum cernamus. Cauſa procul dubio haec eſt, quod nim. pili omni omnino deſtituantur alimento, hinc tunc fit, ut radicibus ſive bulbis aridis & contractis red-

redditis, ipſi pili mortui defluant: quamvis multae aliae hic concurrere videantur cauſae, ad hunc pilorum defluxum producendum, ut ſiccitas & ariditas cutis, cui inhaerent, unde pili deſtituuntur tunc oleo ſive pingui hos flexiles conſervante: hoc enim deficiente, ſimiles capillorum defluxus in junioribus contingere ſcimus. Plura de Calvitiei cauſis reperiuntur ap. *Aët. Tetrab.* Lib. II. Serm. II. Cap. LV. *Actuar* Lib. II. Meth. Med. Cap. V.

XIII. *Locuſta gravabitur.* Incurvatio dorſi his verbis inſinuatur, quae iis potiſſimum ſolenne eſſe conſuevit: ita ut terram perpetuo intueri cogantur, adeoque recte cecinit *Corn. Gall.* Eleg. I. ℣. 215.

Contrahimur miroque modo decreſcimus ipſi,
Diminui noſtri corporis oſſa putes:
Nec coelum ſpectare licet, ſed prona ſenectus
Terram; a qua genita eſt, & reditura videt.

Locuſta autem hac locutione multas ob vertebras, quae in utraque apparent ſpina, dorſi ſpinae comparatur. Ac quia plerumque aeque ſenum ac locuſtarum corpus exhauſtum eſt, hinc poëtae Tithonum fingunt extrema in ſenectute mutatum in locuſtam ſive cicadam animal ſicciſſimum maximeque garrulum. Unde

Unde vero ſit, quod ſenum corpora ita in-
curvari ſenſim incipiant, ut ad terram, e qua
producta ſunt, magis magiſque iterum ac-
cedere videantur, (unde ſenes ſilicerni quaſi
ſilices ſepulcri cernentes dicuntur. V. D.
ad *Terent.* Adelph. Act. IV. Sc. I. ℣. 48.)
cum tamen antea capite erecto, ut coelum
adſpiciant, incedere conſuevere? a nulla cer-
te alia cauſa illud dependere videtur, quam
ab accurtatione ligamentorum, vertebras ad
ſeſe invicem magis magiſque adducentium,
ſicque ad anteriora flectentium & figentium:
quo tunc fit, ut corporis ſtatura ſenſim im-
minuatur, ſic ut ſenes tunc decreſcere iterum
dicantur. Praeterea non ſolum ligamenta ſic
contrahuntur omnia, unde totum corpus im-
minutum apparet, ſed etiam reliquae ſolidae
partes molliores, propter ariditatem, expul-
ſis & repulſis liquidis, totam corporis molem
minuunt: hancque imminutionem haud in-
concinne *Verulamius* comparat cum exſicca-
tione & imminutionenucleorum in nucibus;
qui ſiccati non amplius totam teſtam implent
ſed contracti corrugatique iis includuntur.
Caeterum prae frigore ſenilium corporum
haec contractio etiam aliquomodo fieri poſ-
ſet, uti probari poteſt chalybe, qui frigore
glaciali ſeſe contrahit, atque iterum exten-
ditur, ſi manu calida continuo fricetur. Ut
haec

haec omnia inter plura egregia huc ſpectantia in Lectionibus Domeſticis exponit, de morbis viſcerum fortium & rigidorum agens Praeceptor meus maxima cum reverentia ſemper ſuſpiciendus, Clar *Boerhav.* in Aphor. § 55.

XIV. *Omnis delectatio peribit* Hac phraſi exprimuntur pruritus ſenum, & reliqui affectus ſcabioſi, veluti illis ſenectus obnoxia dicitur ap. *Corn. Gall.* El. I. ℣. 246.

Hinc miſerum ſcabies hinc tuſſis anhela fatigat.
Continuos gemitus aegra ſenectus habet.

Nam puerorum inſtar his morbis ſenes vexantur, unde nonnunquam ita defatigantur & ad impatientiam proritantur, ut omnis delectatio pereat: & hinc ſenes perpetuo queruli, temporumque praeteritorum intempeſtivi laudatores pluribus taedio ſunt. Unde *Terent.* in Hec. Act. IV. Sc. III. ℣. 13. de ſenectute verba faciens ita loquitur:

. . . . . *Odioſa haec eſt aetas adoleſcentulis.*

& *Horat.* de Arte Poet. ℣. 173.

Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, caſtigator, cenſorque minorum.

Macrob. Lib. VII. Saturn. Cap. VI. Conf.

Barth.

Barth. ad *Claud.* Lib. I. in Rufin. ℣. 135 & *Torrent.* ad *Horat.* Lib II. Od. XI. ℣. 6. Origo illius per univerſum corpus pruritus, de quo ſenes tam ſaepe conqueruntur videtur haec, quod nim. multi humores propter ſegniorem circulationem, & excretiones impeditas, ſtagnando acres fiant, qui ad exteriora corporis nonnihil propulſi, propter vaſorum conſtrictiones & conſolidationes illi haerentes, pruritum illum excitant.

XV. *Antequam reſolvatur funiculus argenteus.* Per funem intelligimus ſpinalem medullam, nervoſque inſtar filamentorum ex eadem prodeuntes; a cujus praeternaturali reſolutione tonica oritur vel hemiplegia vel paralyſis univerſalis, qua plerumque vitae ſuae finem inveniunt ſenes. Egregie enim medulla ſpinalis ſpeciem prae ſe fert funis, nam a cerebro incipiens ad nates uſque per omnes dorſi concavitates ſeu juncturas & nodos protenditur. Argenteus autem merito dicitur 1. Ob colorem, qui albus eſt, pulcer & ſplendidus, etiam in corpore mortuo, nedum in vivente, dum ſpiritibus plenus eſt. *Fallopius* affirmat ſe nihil unquam his duobus pulcrius vidiſſe, nervis ſcilicet, & humore cryſtallino oculi 2. Ob ejus profundum & tutum ſitum in corpore noſtro, ſicut argentum eſt in profundis terrae 3. Ob ſummam ejus

praec

ſtantiam, quam in corpore praeſtat.

XVI. *Conſumatur fons aureus.* Nulla textui ſacro vis inferetur, ſi per fontem aureum intelligamus, quamvis alii malunt cerebrum cum ſuis meningibus, arteriam magnam una cum vena cava, per quarum viarum primam ſanguis ex corde tanquam communi oceano amandatur verſus omnes partes pro earundem nutritione, augmento, ſecretione & excretione humorum: Per alteram vero, poſteaquam hiſce muniis ſanguis perfunctus eſt, verſus communem iſtum alveum macrocosmicum revehitur. Unde, annon Salomon de circulatione ſanguinis, quod alii diſerte adſerunt, aliquid ſuboluerit, judicent periti? Videri poteſt *G. Paſchius* in Inv. Nov. Ant. Cap. VI. §. 3. pag. 311.

XVII. *Confringatur rota ſuper ciſternam.* Vix ulli dubio locus relictus eſſe videtur Salomonem hiſce ultimis verbis organa, ſecretioni & excretioni urinae dicata, renes nim, ureteres, atque veſicam urinariam in univerſa ſtructura & connexione deſcribere voluiſſe. Labefactatur enim vel ceſſat interdum penitus, & quidem multis de cauſis naturalis ciſternae rotaeque actio, & vel iſchuria, dyſuria & ſtranguria laborant ſenes, ob nimiam horum organorum ſtricturam, vel oppoſitam nimiam relaxationem ob muſculi

ſphincteris atoniam, unde incontinentia urinae ſequitur

Haec ſunt, L. B. ex quibus ſatis evidens conſtare exiſtimo, Salomonem exacta hac ſenectutis deſcriptione ſatis ſuperque probaſſe, ſibi corporis humani Oeconomiam ſive hiſtoriam partium humani corporis tam externarum quam internarum percognitam fuiſſe. In qua demonſtratione forte nimis longus, quam res exigebat, fui: ſed illius prolixitatis me facile veniam a L. B. impetraturum ſpero. Plura qui deſiderat, inſpiciat *Valles.* de Sacr. Phil. Cap. LXVI. pag. 327. *Petit.* Lib. IV. Obſ. Miſc. Cap. VIII. Erudit. *Nieuwent.* Cap. XII. §. 7. ſeq. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. II. Cap. III.

IV. In viam ideoque redeamus, ubi ſtatim nobis obviam venit EZECHIAS Rex Judae, qui librum medicamentorum conſcripſiſſe dicitur, uti teſtatur *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 119. ex *Rabi Moiſe* Lib. III. Perplexor. Cap. XXXVIII.

V. AGRIPPA Judaeorum Rex etiam Medicinae peritus fertur, a quo unguentum ejus nominis inventum narrant *Nicolaus & Arnaldus Villonovanus* in ſuis Antidotariis. Et hic forte eſt idem, quem plerique ſcriptores Medici, praeſertim *Meſue & Raſis* nomine *Judaei* ſaepius citant. Docente *Fabrit.* Bibl. Graec. Vol. XIII. pag. 43.

VII

VI. MOISES magnus Propheta & Reipub. Hebraeae Conditor Medicus nuncupatur a *Chryſoſtomo* in Homil. VI. in Marc. & *Huëtio* Demonſtr. Euangel. pag. 189. Ut Medicinae peritus citatur *a Galen.* Lib. XI. de Uſu Part. Corp. Hum. Cap. XIV. Lapidum vires eum apprime calluiſſe teſtatur *Euſeb.* Lib. IX. Praep. Euang. Cap. XIX. Illum Medicinam ab ipſis AEgyptiis edoctum docet *Clem. Alex.* Lib. I. Stromat. pag. 98. Quod etiam colligi poteſt ex *Act. Apoſt.* Cap. VII. ℣. 22. ubi omni AEgyptiorum ſapientia eruditus legitur; cujus haud infima pars Medicina fuit. Confer. *Philo Judaeus* Lib. I. de vita Moiſis Cap. VI. Quod autem attinet ad libros remediorum, quorum auctor Moiſes perhibetur ap. *Forner.* Lib. III. Select. Cap. XXVIII. in *Cl. Ott.* Tom. II. Thes. Jur. pag, 119. Fatendum tamen eſt *Fornerium* eo loco paululum a via aberraſſe; nam *Joſeph.* Lib. VIII. Cap. II. cujus auctoritatem affert, non recte conſuluit, quippe *Joſephus* ibi non memorat libros Moiſis ſed Salomonis veſtibulo templi inciſos, quos deinde Ezechias ex uſu tolli praecepit, uti *ſup.* §. 2. cum de Salomone ageremus, vidimus. Imo plerique credunt, quod etiam Chemiae, quae ſalutaris Artis haud ignobilem conſtituit partem, peritus fuerit: cujus rei mani-

 feſtiſ-

ſeſtiſſimum poteſt eſſe argumentum, quod vitulum aureum, quem Aaron juſſu populi confecerat, combuſſerit, in pulverem minutiſſimum redegerit, & populo Iſraëlitico poſtea bibendum dederit. Hiſtoria refertur *Exod.* Cap. XXXII. ℣. 20. *Deinde accipiens vitulum illum, quem fecerant, exuſſit igne, commoluitque donec minutus eſſet: diſpergenſque in ſuperficiem aquarum, juſſit bibere filios Iſraëlis.* & *Deuter* Cap. IX ℣. 21. *Peccatum autem veſtrum, ipſum quem feceratis vitulum, accipiens combuſſi igne. & contrivi eum molendo optime, donec comminutus eſſet in pulverem, & projeci pulverem ejus in torrentem, qui deſcendit ex illo monte.* Hinc fuere, qui collegerunt, Moiſin abſque ſecretiori metalla tractandi fundendique peritia illud nunquam praeſtare potuiſſe. Videatur *Pfeiffer.* Cent. II. Diffic. ſcript. locor. Cap. II. Nam aurum non facile ita dividitur, ut in pulviſculum in aquis ſolubilem attenuetur, atque ſic bibi poſſit. Omnes vero illos hoc ſtatuentes ridet, & inter commenta vel fabulas recenſere non dubitat, quidquid ea de re dicitur, quamvis nullas affert rationes, quibus id confirmat Magn. *Conring.* (cui omnia Hermetica antiqua ſuſpecta, veluti *ſup.* Sect. I. Cap. I. §. 5. vid.) in Addendis ad Lib. I. de Hermet. Med. Cap. III. pag. 21. cum ita ſcribat:

bat: *Multo minus eſt, quod moremur nonnullorum fabulas, quaſi Moiſes vitulum aureum comminuens in pulverem chemicum egerit.* Sed hinc ab acerrimo ſuo adverſario Celeb. *Borrich.* in Lib. de Herm. AEgypt. & Chem. Sapient. Cap. IX. §. 4. & de Ort. & Progr. Chem. ap. *Manget.* in Bibl. Chem. Tom. I. pag. 11. digne refutatus eſt. Non immerito enim urget, hanc principem veluti circumſtantiam hic minime negligendam eſſe, cineres iſtos aureos tantae fuiſſe levitatis, ut vel ipſi aquarum ſuperficiei innataverint, vel ſaltem aquis interſperſi ita fluctuaverint, ut commotione facta ebibi ſimul potuerint. Conf. *Wedel.* Diſſert. de Moiſe Chem. Tandem praeter Conringium huic opinioni ſuum quoque ſubſcribere voluit nomen *Sennert.* de Conſ. ac Diſſ. Chem. ac. Galen. Cap. III. pag. 22. dicens, quod vix ullo evidenti documento probari queat, Moiſem fuiſſe chemicum, quum verbum Hebraicum, quod *Exod.* & *Deuter.* L. L. occurrit, non ſolum notet *comburere*, ſed etiam *fundere*, *liquare* & quocunque modo in pulverem comminuere. Demus hoc *Sennerto* (quanquam non tantum LXX. *Interpretes*, tum illud *Exod.* Cap. XXXII. ℣. 20. diſerte reddant, κατέκαυσεν αὐτὸν ἐν πυρὶ, tum *Deuter.* Cap. IX. ℣. 21. κατέκαυσα αὐτὸν ἐν πυρὶ, & *Buxtorfius*, aliique

explicent, *exurere*, *incendere.*) adeo tamen id nodum non ſolvit, ut liget arctius: neque enim quisquam fundendo, eliquando, urendo ſimplici igne, ita intima auri viſcera exenteraverit, ut poculentum evadat, & non ſtatim projectum in fluvium, ſidat in fundum, niſi Chemia & quidem arcaniori Duce. At praeterea cum aliis recte urgere poſſumus verba illa, quae *Exod.* & *Deuter.* L. L. leguntur, tria innuere 1. Combuſtionem vituli aurei igne factam. 2. Contritionem in pulverem tenuiſſimum. ac denique 3. Inſperſionem in aquam ſeu torrentem. Frigida proinde nonnullorum eſt objectio vitulum lima conteri & in pulverem ſubtiliſſimum redigi potuiſſe. *Polus* in Synops. Crit. ad *Exod.* Cap. XXXII. ℣. 20. Reddatur, ſi vacat, pulvis ille auri tenuiſſimus ſive elimando, ſive tundendo, terendove, uratur vel decies, mox aquae infundatur, petet e veſtigio fundum & hiatum potantis eludet. Ergo nihil aliud mihi videtur ſupereſſe, quam ut concludamus Moiſem quidquid in eburendo ac diſſolvendo vitulo aureo praeſtiterit, ſolo Artis Chemiae auxilio praeſtitiſſe. Poſtremo denique cum *Pfeiff.* Cent. II. Diffic. ſcript. locor. Cap. II. ridiculum quoque rejiciendum putamus commentum, quod communiter fabulantur Hebraeorum Doctores,

nim.

nim. quod filii Israëlis aquam iſtam bibentes colorem aureum in barbis acquiſiverint, ſicque hoc ſigno ab aliis diſtincti, tanquam criminis Idololatriae rei fuerint interfecti. An vero, quod alii ſomniant, aqua pulvere iſto impraegnata eis inflationem ventris pepererit, innocentibus vero ſaporem dulcem praebuerit, res eſt incerta, quia S. L. ejus circumſtantiae ne verbo quidem meminerunt. Plura de Moiſis Medicina vid. ap. *Ten Rhyne* de Antiq. Chem. pag. 237. *Paſch*. Inv. Nov. Ant. Cap. VI § 12. pag. 336. & *Clercq*. Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. V.

VII. ELISAEUS Propheta Medicis a *Tiraq*. de Nobil. Cap. XXXI. §. 82. propterea accenſetur, quia Lib. II. *Reg*. Cap. II. ỳ. 20. dicitur, cum habitaret in urbe Hiericho, precibus incolarum motus ſanaſſe aquas eorum peſſimas, idque Arte Medica, miſſo in eas vaſe novo fictili cum ſale, uti affirmat *AEgeſipp*. Lib. IV. Hiſt. Judaic. Cap. XVII. Nam vitium illud aquarum forte fuit corruptio putrida, haec enim ut aliis omnibus in rebus ita etiam in aqua ſalis admiſtione corrigitur, hinc enim nautae quoque affirmant aquas nonnihil ſalſas, aptas vero adhuc potui, utiliores eſſe navigantibus, quod diutius incorruptae ſervari poſſint, ac proinde ſuas ex puteis mari vicinis haurire ſolere. Vid.

O 4 *Vallet.*

Valles. de Sacr. Philos. Cap. XXXIV. pag. 193. Caeterum ſic Lib. II. *Reg.* Cap. IV. ℣. 40. eodem modo Colocynthidas farina addenda ſcite emendaſſe fertur. Nam ſicuti ex Medicina conſtat Colocynthidas imprudenter ſumtas prae acredine maxima tormina atque exulcerationes ventris imo & mortem afferre; ita etiam ſcimus, quod Medici inter Colocynthidas emendantia recenſeant, quae lenta ſunt & glutinantia. *Dodon.* in Herbar. pag. 624. Cujusmodi eſſe conſtat amylum, quod ex tritico conficitur, atque poſt hoc, etiam farinam triticeam, haec enim ſuae ſubſtantiae modo lento & glutinoſo & ſapore grato, atque ut ita dixerim, cibali, praeſentem jam dyſenteriam ſanant & imminentem antevertunt, ejusque cauſis & efficientibus & jam paratis obſiſtunt, mordacitatem & amaritudinem aut acrimoniam hebetantia & membranas internas ventris oblinientia. Confer. *Sorbait.* Oper. Med. pag. 768. Porro Lib. II. *Reg.* Cap. V. ℣. 10. Naaman Principem militiae Syriae leproſum ſanaſſe legitur, cum, ejus juſſu ſepties in Jordano ſe lavasſet. Jam vero notum eſt, quod deſcendere in fluviales aquas crebro, innatareque, praecipue ad rapidos aquarum vortices, plurimum faciat ad eluendam omnem cutis immunditiam, atque ſanandum omne genus ſcabiei.

Bor-

Borrich. de Hermet. AEgypt. ac Chem. Sapient. Cap. VII. §. 9. Neque quidem ſolum ſcabiei ſimplicioris, ſed etiam leprae & lychenum; nam cum haec ſint cutis quaedam ſordities, naſcanturque a ſalſa pituita, lotio eluendo fortiter expurgat, atque adeo epidermidem ipſam ſeu cuticulam evellit ſaepe: aqua vero ipſa humiditate & frigore & naturali illa dulcedine, temperat & ſalſuginem pituitae diluit & diſſolvit. Cons. *Valles.* de Sacr. Philos. Cap. XXXVIII. pag. 199.

VIII. ESAIAS Propheta quoque Medicus appellatur a *Chryſoſtomo* in Homil. VI. in Marc. cum dicit: *Moiſem & Eſaiam Medicos fuiſſe: Chriſtum autem Archiatrum*, id eſt, *Medicorum Principem.* Ita *ſup.* Sect. II. Cap. II. §. 9. vidimus Hiskiam cura Eſaiae Artem Medicam adhibentis ſanitati reſtitutum. Imo *Serapio* Eſaiam, aut ut nonnulli ſcribunt, Iſaiam Medicum citat, Antidotorum Cap. XVII. Inſpice *Tiraq.* de Nobilit. Cap. XXXI. §. 83.

IX. ESDRAM praeterea Medicinae fuiſſe peritum nemo negabit, qui legerit ap. *Nicolaum* in ſuo Antidotario, *Antidotum Eſdrae*, ab ipſo Propheta inventore dictum; Imo expreſſe iſtius Eſdrae, aut Prophetae Doctoris Antidoton memoratur ap. *N. Myreps.* Sect. I. Antid. CXXXVIII, CXL, & XLI. &

Aët Tetrab. Lib. IV. Serm. I. Cap. CI. Plura de Eſdrae medicamento etiam reperiuntur ap. *Paul. AEginet.* Lib. III. de Re Med. Cap. XXXII. Lib. VII. Cap. XI. *Actuar.* Lib. V. Meth. Med. Cap. VI. & *Aët. Tetrab.* Lib. II. Serm. IV. Cap. XXVII. & XXXII. Conf. *Canonher.* Prol. in *Hipp.* Aphor. pag. 6. *P. Caſtell.* in Optim. Med. Sect. XII. pag. 56. (quod opuſculum hodie etiam reperitur in ultima *Conring.* Introd. in Medic. Editione.)

X. JESUS filius *Syrach*, vir apud Hebraeos honoratiſſimus, Medicinae ut amans, ita peritus fuit, veluti colligitur ex multis ejus Libri locis; nam ita Cap. XXXI. ℣. 22, & 23. optimum remedium praeſcribit ſtomachum gravanti, cum dicit: *Laborioſae vigiliae & cholera torminaque adſunt viro inſaturabili. Quod ſi coactus fueris in epulis exſurge deambulans vome & quieſcens.* Quod idem tali in caſu praeſcribit *Cels.* Lib. I. de Re Med. Cap. III. paulo poſt initium Caeterum apud Eundem *Jes. Syrach* Cap. XXXVII. haec habentur: *Ne eſto inſaturabilis omnibus deliciis neque projectus eſto ad eſcas. Nam multis cibis adhaeret morbus & inſatiabilis voracitas proxime accedit choleram.* Quae omnia ex ipſis hujus Artis penetralibus dicta eſſe nemo peritus negabit.

XI.

XI. LUCAS Antiochenus, unus quatuor Euangeliſtarum, ex celebri ſecundum quosdam proſapia natus, quamvis *Grot.* in Annot. in *Lucam* contrarium aſſerere videatur, in patria ſua Medicinam feciſſe legitur ap. *Cave* Antiq. Apoſt. in Vita Luc. pag. 632. Ita ejus quoque tanquam Medici meminerunt *Euſeb.* Lib. III. Hiſt. Eccles. Cap. II. & *Hieronym.* in Eſaiam Cap. VI. Unde illum Medici ſibi patronum adoptarunt, teſte *Barthol.* Hiſt. Paral. tert. ap. *Cren.* Faſc. V. pag. 371. Hic autem omittere nequeo, quod fuerint, qui dubitarunt, an *D. Paulus* in Ep. ad Coloſſ. Cap. IV. ℣. 14. *Salutat vos Lucas Medicus ille dilectus.* de noſtro Euangeliſta locutus fuerit, praeſertim quod articulum addiderit, Λȣκᾶς ὁ Ιατρὸς, veluti discernendi cauſa; verum e contrario hunc fuiſſe Lucam Euangeliſtam ac unum ex XII. Apoſtolis jam luculenter docuerunt *Doct. Interpr.* aliique Viri Celeb. ad hunc Pauli locum. Nam Euangeliſta Lucas, cujus nomine D. Paulus fideles Coloſſenſes ex carcere ſuo Romano ſalutat, inſeparabilis Pauli comes in hoc itinere Romano fuit; quemadmodum ipſe cum Paulo ſe Romam profectum dicit in *Act. Apoſt.* Cap. XXVII. ℣. 1. & Cap. XXVIII. ℣. 14. Plura de Luca Medico habet *Drelinc.* in Oper. Med. pag. 72. &

Vejel.

Vejel. de Dignit. & Praeſt. Studii Med. pag. 5. qui & pag. 20. affirmat Patres olim ſtudio Medico apprime prae caeteris diſciplinis faviſſe, veluti etiam apparet ex *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 96.

XII. PAULUS Apoſtolus etiam Medicinam intellexiſſe fertur ap. *D. Gregor.* Homil. IV. Nam *Timotheo* ad ſtomachi imbecillitatem fulciendam, modicum vini praeſcripſiſſe uſum in Ep. I. Cap. V. ℣. 23. *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates.* In quo Paulus haud obſcure Medicum ſe eſſe profeſſus fuit: ſicuti etiam annotat *Tertull.* de Coron. Milit. Cap. IX. & *Iſiodor.* Lib. IV. Etymolog. Cap. IX. Sed & ipſe Paulus potionem inveniſſe dicitur, quae ab ejus nomine *potio Sancti Pauli* appellatur *Nicolao* & *Arnaldo* in ſuis Antidotariis. Pauli Antidoton deſcribit *N. Myreps.* Sect I. Antid. CCXX. Hinc quoque potuiſſet videri ſuſpectum, quod ipſe *Paulus* Ep. I. ad *Corinth.* Cap. XII. ℣ 9. non ſemel Apoſtolicas inter dotes recenſuit ſanationis donum, tanquam ſua id cauſa feciſſet, quia videlicet eſſet ſanare peritus. Niſi ejus fides ſatis approbata fuiſſet a Deo O. M. qui eum *vas electionis* nominat *Act. Apoſt.* Cap. IX. ℣. 6. Denique *Gilbertus Anglicus* Lib. VII. morborum, deſcribit *Emplaſtrum*

Divo-

Divorum Petri & *Pauli* ad ſanandas plagas pectoris, hepatis, ſplenis, renum, lumborum, nervorum, podagrae, & totius quoque corporis accommodatiſſimum. Ex quo intelligere poſſumus Divum quoque Petrum Medicinae haud imperitum fuiſſe: cujus curationes habentur *Act. Apoſt.* Cap. III. ℣. 7. Cap. IX. ℣. 34. & Cap. XIV. ℣. 10. Vid. &. *Uſſer.* Annal. ad Ann. Chr. XXXVIII. pag. 616.

Haec vero Hebraeorum Medicorum exempla ſatis ſunto: caeteroquin enim adhuc varia hiſce ſubnectere poſſemus, & quidem ipſius noſtri ΣΩΤΗΡΟΣ J. Chriſti, at potius inſpiciantur *Hippol. Obic.* de Nobil. Med. pag. 95. *Lang.* Lib. II. Med. Ep. II. pag. 496. *Canonh.* Prol. in *Hipp.* Aphor. pag. 7. *Zacch.* Quaeſt. Med. Leg. Lib. VI. Tit. III. Quaeſt. IV. §. 28. *Sorbait* Oper. Med. pag. 768. *Vejelius* de Dignit. Studii Med. pag. 37. & *Auguſt. Calmet* Monach. Benedict. in Diſſert. II. praemiſſa commentario in *Eccleſiaſt.* Paris. MDCCXIV. 4to.

Caput II.

Medici AEgyptii.

I. Cum pervenerimus ad *AEgyptios* ea, quae *ſup.* Sect. I. Cap. I. de Iſide, Serapide &c. qui etiam AEgypti Reges fuerunt, diximus, non repetam; ſed ab HAMMONE exordiar, qui inter primae Dynaſtiae Reges AEgypti numeratus, Medicinae peritus creditur, quia Synhalus ab eo omnem, quam poſſidebat, Artem Medicam, in telis extrahendis vulneribuſque ſanandis conſiſtentem, accepiſſe fertur ap. *Sil. Ital.* Lib. V. ℣. 357.

Ipſe olim antiquo primum Garamanticus Hammon
Scire pater dederat Synhalo, morſuſque ferarum
Telorumque graves ictus ſedare medendo.

Vid. *Clercq.* Hiſt. Med Part. I. Lib. I. Cap. V.

II. ATHOSTAS primus primae Dynaſtiae Rex huc etiam refertur, qui non ſolum Medicinam exercuiſſe, ſed & libros Anatomicos ſcripſiſſe dicitur, veluti *Euſeb.* ex Manethonis excerptis in Chron. pag. 12. docet.

Verum

Verum hic Athoſtas a *Voſſ.* de Philos. Cap. II. §. 4. vocatur Athothis, & ſecundus Rex primae Dynaſtiae Thinitarum apud AEgyptios perhibetur.

III. ZOROASTER Bactrianorum Rex, non minorem, quam alii, Medicinae reportavit famam. Quod vero ad ejus Magiam, cujus pleriſque accuſatur, pertinet, notandum, quod tota quanta ejus Magia naturalis, atque a diabolica illa & obſcoena prorſus aliena exſtiterit, uti multis probat argumentis *Gabr. Naudaeus* in Apolog. pro Viris Doctis Magiae falſo ſuſpectis Cap. VIII. Cum hac jam Magia priſcis temporibus Medicina arctiſſime fuit conjuncta, docente *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. V. Conf. quae nos *inf.* Cap. V. §. 3. adduximus. Inter vicies centum millia verſuum, quos conſcripſiſſe perhibetur, etiam occurrunt Libri de Natura & de Lapidibus Pretioſis, *Plin.* Lib. XXX. H. N. Cap. I. Quos tamen verſus Ninus Aſſyriorum Rex cremari curavit, teſte *Pictorio Villingenſi* ad *Marbodeum* de Lapid. Pretios. Cap. XX. Ut Botanicus laudatur ab *Apul.* de Virib. Herb. Cap. XIV. & LXXIX. Chemiam quoque intellexiſſe apparet, quod *Liber Chemicus*, qualis eſt *Margarita Philoſophorum*, ſub ejus nomine Arabice ſcriptus reperiatur Romae. Vid. *Labb.* Bibl. Nov. Mſſ.

pag.

pag. 259. AEtas ejus Eudoxi Ariſtotelisque auctoritate ſex millibus annorum ante Platonis mortem incideret ſecundum *Plin.* L. L. Ita ut tali modo inter Praeadamitas referendum eſſet. At illi ullo abſque dubio in annorum ſupputatione lapſi fuerunt; nam *Plut.* de Iſid. & Oſir. Cap. LIII. eum bello Trojano duntaxat ſexcentis annis antiquiorem dicit, & Xanthus Lydius ap. *Diog. Laërt.* in prooem. Segm. II. & *Suid.* in Voce *Zoroaſter.* eum tantum quingentis annis antiquiorem volunt. Plura de ejus aetate habentur ap. *Humelb.* ad *Apul.* de Virib. Herb. Cap. IV. *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib. I. Segm. II. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. V. *Pridaux.* Connex. Sacram inter & Profanam Hiſtor. Tom. I. pag. 352. c. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. I. Cap. XXXVI. §. 4. Illius de Lapidibus pretioſis libellum reſpexiſſe videntur *Plin.* Lib. XXXVII. Cap. X. *Solin.* Polyh. Cap. XXXVII. & *Marbodeus* in Lib. de Lapid. Pretios. Cap. XX. nam ibi de Lapidibus pretioſis agentes Zoroaſtrem auctorem laudant. Scripta, quae, hodie Zoroaſtris nomine circumferuntur, an ſint genuina, an vero ſuppoſititia docent *Scip. Gentil.* in *Apul.* Apol. pag. 149. *Ouzel.* ad *M. Fel.* Octav. pag. 245. *Mercklin.* Linden. Renov. pag. 1056. *Drieberg.* in Annot. ad *Prid.* L. L, pag. 327, *Stanl.*

Hiſt.

Hiſt. Phil. Orient. Lib. I. Cap. III. *Prideaux* L. L. pag. 354. & *Drieberg.* in Annot. ad *Prid.* L. L. pag. 327.

IV. SESORTHUS vel Seſorthros ſecundus tertiae Dynaſtiae, quae erat Memphitarum, Rex non minus, quam caeteri, inter Medicos ſuum tuetur locum; quippe ob ſingularem ſuam Medicinae peritiam AEgyptiorum AEſculapius dictus fuit. Vid. *Syncell.* Chronogr. pag. 55. *Conring.* de Herm. Med. Cap. IX. pag. 81. *Voſs.* de Philos. Cap. XI. §. 4. qui, praeterquam quod pro Seſortho legat Toſorthros, ex ſoceri ſui Junii conjectura credit nomen Ασκληπιȣ non male arceſſi posſe ab Oriente; ubi Aſchalapho eſt mutare, transformare.

V. NECEPSUS, vel ut alii ſcribunt Nechepſus vel Neapſus AEgypti Rex, qui ab *Jul. Firmic.* Lib. IV. Aſtronom. Cap XVI. & *Rhodig.* Lib. XXIV. Cap. III. Iuſtiſſimus AEgypti Imperator vocatur, ita Medicinae ſeſe applicuit, ut nonnulla ſcripta Medicinalia, quae apud AEgyptios ſumma in exiſtimatione fuerunt, edidiſſe dicatur ap. *Conring.* de Herm. Med. Cap. IX. pag. 81. & Cap. XI. pag. 112. Sic ejus, ut Medici, Librum XIV. ad partes vocat *Galen.* Lib. IX. de Simpl. Medicam. Facult. pag. 67. Ex nona Junt. Edit. & ut Medicus ſaepius memoratur ap.

Aët. Tetrab. Lib. I. Serm. II. Cap. XIX. & XXXV. & Lib. II. Serm. II. Cap. XCII. Floruit Olympiade XXVI. ſicuti ex *Euſeb.* Chronic. conſtat. Vid. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. II. Cap. III.

VI. Tandem PTOLEMAEUS EUERGETES AEgyptiorum Rex quoque Libros de re Medica ſcripſiſſe fertur ap. *Marcell.* in Lib. de Medicam. Cap. XIV. & XXXVII. Ejus, veluti Medici, mentionem fecit *Aët.* *Tetrab.* Lib. II. Serm. III. Cap. CX. ut & *Galen.* variis in locis. Hinc herbarum vires atque naturam noſcens, carmen Homeri depravatum correxit: unde inter Homeri commentatores a *Joach. Camerario* recenſetur teſte *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. II. Cap. V. § 98. Scripſerat enim Odyſſ. E. ỷ. 72.

Ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ σίυ ἠδὲ σελίνυ.

Significans *Sion* eſſe paluſtrem plantam, & cum paluſtri apio naſci, ut & docet *Plin.* Lib. XXII. H. N. Cap. XXII. Quod ignorantes quidam Grammatici non σίυ, ſed ἴυ quod eſt violae, legi oportere contendebant: ut & hodie vulgo legitur. At Rex hujus rei peritus contra illos oſtendit, Poëtam voluiſſe *ſia*, non violas, cum apiis in pratis irriguis naſci. Vid. & *Euſtath.* ad hunc *Homeri* locum.

E

Ex quibus omnibus clare patet, quanti AEgyptiorum Reges in altiſſimo olim gloriae faſtigio conſtituti Medicinam fecerint, ita ut ne Reges quidem illam infra ſuam dignitatem aeſtimaverint. Conf. idem affirmantes *Caſtell.* Opt. Med. pag. 36. *Salmuth.* ad *Pancir.* Lib. II. Rer. Memor. pag. 48. *Gurtler.* de Orig. Mund. Lib. I. Cap. XX. §. 46. *Mead* Orat. Anniv. Harvei. pag. 4. & duo praeſtantiſſimi AEſculapii filii Magn. *Boerhav.* & *Albin.* in Praefat ad *Veſalium.*

VII. JUBA utriuſque Mauritaniae Rex Medicus fuit; quippe totum de herba Euphorbio librum compoſuit, quemadmodum probant, *Plin.* Lib. V. H. N. Cap. I. & *Galen.* Lib. IX. de Comp. Pharm. ſec. loc. Cap. IV. Cujus Euphorbii inventio ipſi adſcribitur, teſte eod. *Plin.* Lib. XXV. Cap. VII. & *Dioſcor.* Lib. III. Cap. LXXX. Circa quam tamen inventionem operae pretium duxi monere, quod illa forte non debeatur Jubae Regi, quoniam apud auctorem longe, quam Juba eſt, antiquiorem ejus fit mentio, quippe Meleager, aequalis Menippi Cynici, qui in poëmate inſcripto Στεφανος, in quo poëtas antiquiſſimos, ex quibus collectionem Epigrammatum compilavit, ſingulis floribus ſingulos comparat; is, inquam, Ευφορβης ακανθης meminit eo verſu, quo Archilochi poëmata

Euphorbii ſpinae comparare videtur, ſicuti pluribus docet *Salmas.* in Proleg. ad Homonym. Hyl. Jatric. pag. 4. Conf. *Clercq* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. I. & *Bayle* Diction. Hiſtor. & Critiq. in voce *Juba*. De reliquis hujus Jubae Regis doctiſſimi ſcriptis praeter *Voſſ.* Lib. II. de Hiſt. Graec. Cap. IV. inſpicienda eſt accurata Clar. *Sevini* Diſſert. inſerta Commentariis Academiae Inſcriptionum Regiae Paris Gallice editis Tom. VI. pag. 144. ſeq. Tandem inter ſcriptores de natura Lapidum enumeratur a *Plin.* in Catal. auctor. quos in Lib. XXXVI. H. N. imitatus fuit.

VIII. EVAX Rex Arabum Medicinae notitiam habuiſſe legitur in quibusdam Codicibus *Plinii* Lib. XXV. H. N. Cap. II. ubi de effectibus ſimplicium ad Neronem ſcripſiſſe fertur. haec ſunt verba: *Praeter hos Graeci auctores Medicinae prodidere, quos ſuis locis diximus. Ex his Evax Rex Arabum, qui de ſimplicium effectibus ad Neronem ſcripſit:: Cratevas, Dionyſius, Metrodorus.* An vero haec genuina ſit lectio, merito Docti dubitant Viri, cum variis in *Mſſ.* haec verba, *Evax Rex Arabum, qui de ſimplicium effectibus ad Neronem ſcripſit*, deſiderentur. Sic enim Codex *Chiffletii*, *Voſſii*, nec non Vetus Parmenſis Editio his verbis carent, docente *Voſſ.* de Philos.

Philos. Cap. XII. §. 9. Quod & *Clercq.* in Hiſt. Med. Part. III. Lib. II. Cap. I. ex *Harduino* ad hunc *Plinii* locum confirmat. Merito itaque *Salm.* in Proleg ad Homonym. Hyl. Jatric. pag. 15. hoc modo legendum cenſuit: *Praeter hos Graeci auctores Medicinae prodidere, quos ſuis locis diximus. Ex his Cratevax, Dionyſius, Metrodorus.* Cratevax enim pro Cratevas veteri & vitioſo ſcribendi more ponitur: ſaepius enim indocti Librarii litteras s & x commutarunt, uti Fautor atque Praeceptor meus Eruditiſſimus, *Arnold. Drakenb.* ad *Sil, Ital.* Lib. I. ℣. 209. docet. Cui addas *Reines.* Lib. III. Var. Lect. Cap. XVII. pag. 630. & 693. Ita ut ex illo Cratevax quidam Correctores ſuum illum Evacem eduxerint, cujus caeteroquin mentio nullibi reperitur: unde vero reliqua verba hauſerunt, *Rex Arabum, qui de ſimplicium effectibus ad Neronem Scripſit*, ſilent. Praeterea totam illam de Evace orationem adtextam fuiſſe inde etiam ſatis patere exiſtimat *Salmas.* L. L. quod illa impura locutio *de ſimplicium effectibus*, nec ſit Pliniana, nec illorum temporum, ſed potius infimae aetatis foetutinas olet, qua *ſimplicia* vocantur abſolute omnes herbae Medicae, ſubaudiendo Medicamenta. Quae Graecis dicuntur ἁπλᾶ φάρμακα. Porro de viribus lapidum pretioſorum Graece ſcripſiſſe fertur

 ap.

ap. *Voſſ.* L. L. quem libellum variis in Bibliothecis, carmine Latino hexametro conſcriptum, ſe vidiſſe aſſerit *Geſner.* ap. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib. II. Cap. I. ubi tamen fatetur, auctorem iſtius tranſlationis ſibi ignotum eſſe. Conf. *Mercklin.* Linden. Renov. pag. 264. Iſtius vero auctor hodie habetur *Marbodeus*, cum Annotationibus *Pictorii Villingenſis* Paris. A. MDXXXI. in 8to. ap. *Chriſt. Wechelum* editus. Paucos ante annos eundem libellum iterum inter *Hildeberti* Ceromanenſis & *Marbodei* Epiſcopi Redonenſis opera *Antonius Beaugendre* Monachus Benedictinus in lucem emiſit cum veteri Gallica metaphraſi aetatis non multo, quam qua fuit Marbodeus, junioris, Paris. A. MDCCVIII. Fol. Vid. *Fabrit.* in Append. ad Lib. IV. Bibl. Lat. Cap. XII. pag. 880. Hic *Marbodeus* A. Chr. MCXXIII. aetatis LXXXVIII. obiit. *Voſſ.* Lib. II. de Hiſt. Lat. Cap. XLIV. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Vol. XIII. pag. 155. Plura reperiuntur ap. eund. *Voſſ.* de Poët. Lat. pag. 72. *Reines* Epiſt. IV. ad Chr. Daumium. pag. 13. & ibid. in Add. & Corrigend. ad pag. 315. & *Borrich.* de Poët. pag. 87.

CA-

Caput III.

Graeci, qui Artem Medicam tractarunt.

I. Sequuntur *Graeci*, apud quos maximi omni aevo Viri Medicinam callere laudi ſibi duxerunt. Ita CHIRON Medicinae adeo fuit peritus, ut veteres ipſi inventionem adſcripſerint, ſicuti *ſup*. Sect. I. Cap. I. §. 18. curſim diximus; quoniam de eo fuſiſſime egit *Fabrit*. Lib. I. Bibl. Graec. Cap. III. & Vol. XIII. pag. 111. Hinc Magnetes ipſi primitias herbarum offerre ſoliti fuerunt, *Plut*. Lib. III. Symp. Quaeſt. I. §. 3. *Tyrii enim Agenori, Chironi Magnetes primitias offerunt, quod ii primi Medicinam feciſſe exiſtimantur.* Rationem vero, quare plerumque dimidia anteriori ſui corporis parte tanquam homo, poſteriori autem equus pingitur, docet *Clercq*. Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. X. Cui adjungas licet *Barth*. ad *Claud*. Praef. in Nupt. Honor. & Mar. ℣. 5.

II. Tranſeo igitur ad eos, quos in Arte inſtituit, qui fortiſſimi atque celeberrimi ſui temporis Heroës fuerunt: quorum primus nobis occurrit Nobiliſſimus ille in priſcis hiſtoriis monſtrorum debellator HERCULES,

qui haud levem Artis Medicae notitiam habuit, uti concluditur ex multis ab eo inventis & denominatis herbis, quarum ſaepius mentio fit ap. *Dioſcorid.* & *Plin.* Ita herba *Heraclium*, ſive *Herculanum* dicta, ex genere papaverum occurrit ap. *Dioſcor.* Lib. IV. Cap. LXII. *Nymphaea Heraclea* ap. *Plin.* Lib. XXV. H. N. Cap. VII. Siccum Herculis medicamentum laudat *Aët Tetrab.* Lib. IV. Serm. II. Cap. XXXVI. Quod igitur apud Euripidem legitur, Alceſtin, quae pro Admeto mortem obierat, ab eo cum morte luctato per vim ereptam, & ad maritum reductam fuiſſe, ſic intelligendum, cum graviter aegrotans, & ferme deſperata illa eſſet medendi Arte, qua excellebat, ab Hercule curatam, reddita priſtina valetudine. *Muret.* Var. Lect. Lib. XXIII. Cap. VIII. Propterea quibusdam eodem, quo Apollo nomine, vocatus videtur *Alexiacacos*, quod morbos tanquam mala graviter genus humanum adfligenti apellat, *Lactant.* Lib. V. Div. Inſt. Cap. III. At iſta denominatio ipſi potius tributa fuit devicta ob monſtra, quibus terram liberaverat. In Inſcriptionibus etiam CONSERVATOR dicitur, ut ap. *Grut.* pag XLV. n 9. Tandem ejus ut Medici etiam meminerunt *Pier Val.* Embl. Med pag. 120 & 123. nec non *Aleand* in Tab. Helic. Explicat. ap. *Graev.*

Graev. in Tom. V. Thes. Ant. Rom. pag. 716.

III. Sequitur ACHILLES, Celeberrimus Graecorum Principum, quem Aſtypalinſes poſt mortem divinis proſecuti ſunt honoribus, *Cic.* Lib. III. de N. D. Cap. XVIII. In ſcientia Medica a Chirone inſtructus, teſte *Barth.* ad *Claud.* in III. Conſul. Honor. ℣. 45. & *Humelb.* ad *Apul.* de Virib. Herb. Cap. VIII. & XXXIV. tot progreſſus fecit, ut ipſe herbas invenerit, *Plin.* Lib. XXV. H. N. Cap. V. *Invenit & Achilles diſcipulus Chironis, qua vulneribus mederetur, quae ob id Achilleos vocatur, hac ſanaſſe Telephum dicitur, alii primum aeruginem inveniſſe utiliſſimam emplaſtris.* Conf. *Dioſcor.* Lib. IV. Cap. XXXII. & *Apul.* de Virib. Herb. Cap. LXXXIX. Primus etiam luis, quae Graecos invaſerat, cauſam deprehendiſſe dicitur ap. *Homer.* Iliad. Λ. ℣. 182. Quod reſpicere videtur *Plut.* in Lib. de Aud. Poët. Cap. XXXVIII. ubi ſic loquitur: *Militibus morbo correptis Achilles concionem cogit, vacationem belli aegre ferens, maxime quod ea ſuae in bello gloriae & praeſtantiae officeret. Atque ut erat rei Medicae peritus, poſt nonum diem, quo judicari talia natura fert, ſentiens morbum non eſſe vulgarem, aut ab uſitata aliqua cauſa profectum.* & in Vit. Homer. Cap. CXI. *Is*

P 5 (*Achil-*

(*Achilles nim.*) *enim ut Chironis diſcipulus*, *primus cauſam luis, quae Graecos invaſerat, deprehendit: nimirum ſentiens morbos, qui populum ſimul inficiunt*, (*Epidemicos vocant*) *ab Apolline eſſe, qui idem eſt Sol.* Vid. *Dict. Cretens.* Lib. II. Cap. X. *Apul.* de Virib. Herb. Cap. LXXXVIII. & *Tiraq.* ad *Alex. ab Alex.* Lib. II. Cap. XXV. Sunt etiam, qui Achillem ita nominatum volunt, ἀπό τȣ ἄχος λύειν, id eſt, a ſolvendo dolore, quoniam Medicus fuerit, *Fabrit.* Bibl. Graec. Vol. XIII. pag. 28. Quamquam alii potius aliunde deducunt, *Salmas.* ad *Tertull.* de Pallio pag. 239. Imo tantum in Arte valuit, ut ipſe alios eam docere potuerit, quod teſtatur *Homer.* Iliad. Λ. ỷ. 830. Plura circa hunc *Homeri* locum obſervat Subtiliſſimus *Bayle* Diction. Hiſtor. & Critiq. in voce *Achill.* pag. 73. Sententiam Homeri confirmat *AElian.* Lib. II. Hiſt. Anim. Cap. XVIII. *Patroclum Menoetii filium Achilles Pelei filius Medicinam docet: Achillem vero Chiron erudit.* Ad rationem vero reddendam, cur olim tantos Principes ut Achilles, & Patroclus Medicinae operam dederint, haec ſubjungit: *Diſciplinas nimirum Heroës tantum & Deorum filii exercebant; & radicum naturam, varium herbarum uſum, pharmacoporum temperationem, cantiones tum inflammationibus, tum reprimendo ſan-*

ſanguine propitias & alia quaedamnover ant. Nonnulla etiam his inferiores tempore Heroës ac Dii invenerunt. Quo etiam reſpicit *Galen.* in Med. Cap. I. *Artium inventiones, vel Deorum filiis, vel quibusdam eorum propinquis, quibus Dii primi Artem omnem communicarunt, Graeci ferunt acceptas.* Praeter *Barth.* ad *Pap. Stat.* Lib. II. Achill. ℣. 445. & ad *Claudian.* Epiſt. I. ad Adrian. ℣. 45. & *Broukh.* ad *Propert.* Lib. II. El. I. ℣. 66. videri meretur *Fabrit.* qui ſolus Vol. XIII. Bibl. Graec. pag. 27. ſeq. inſtar omnium eſt.

IV. Porro ex eadem hac Chironis ſchola, plurimi alii fortiſſimi prodierunt heroës Medici V. Gr. *Ariſtaeus* Arcadiae Rex, *Theſeus*; *Jaſon*, cujus nomen haud obſcure indicat, quod celebrem in medendo famam ſibi acquiſiverit, venit enim ab ἰάομαι, fut. ἀσομαι, quod eſt mederi, curare; *Telamon* ejusque filius *Teucer*, a cujus nomine herbam Teucriam dictam ſuam traxiſſe appellationem credibile videtur; *Peleus* pater memorati Achillis, uti haec omnia docent *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 107. ſeq. *Feith.* Lib. IV. Antiq. Homer. Cap. XV. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap X. Quibus denique jungatur laetum illud atque venerandum Litteratis nomen *Burmann.* in Catal. Argonaut. ulti-

ultimae *Val. Flacci* Editione praefixo. ubi omnium fere horum Heroüm hiſtoria Mytholog. erudite pertractata reperitur.

V. Pergimus ad duos Celeberrimos AEſculapii filios MACHAONEM atque PODALIRIUM. *Paus.* in Meſſen. pag. 358. Hi ob ſolertiam Artis Medicae ad bellum Trojanum profecti dicuntur ap. *Dict. Cretens.* Lib. I. de Bell. Troj. Cap. XIV. Ob cujus eximiam, quam Graecis in eo bello praeſtabant, utilitatem, a conflictibus aliisque publicis gravaminibus immunes prae caeteris fuerunt, *D. Sic.* Lib. IV. Cap LXXIII. Verum enim vero hi ſtrenuiſſimi Viri non tantum Arte Medica, ſed etiam Militari, id eſt, armis Graecis prodeſſe voluerunt idque ſecundum conſuetudinem Heroüm iſtius temporis, uti apparet ex *S. P. Q. Abder.* Epiſt. ad Hippocr. quae reperitur Tom. II. ejus Oper. pag. 903. & *Theſſal.* in Orat. ad S. P. Q. Athen. ap. *Hipp.* L. L. pag. 949. Ubi Machaon cum reliquis animoſiſſimis Principibus equo ligneo incluſus urbem Trojam intraſſe fertur. Quod & affirmat *Hyg.* Fab. CVIII. *Archivi cum per* 10. *annos Trojam capere non poſſent, Epeus monitu Minervae equum mirae magnitudinis ligneum fecit, eoque ſunt collecti, Menelaus, Ulyſſes, Diomedes, Theſſander, Sthenelus, Acamas, Thoas, Machaon*

chaon & Neoptolemus. Vid. & *Virg.* Lib. II. AEn. ℣. 260. Hinc recte ab *Homer.* Iliad. Δ. ℣. 200. *Heros* vocatur. qui & Iliad Λ. ℣. 506. bellicam ejus virtutem ſummis extulit laudibus. Ambo inter fortiſſimos, qui aliquot navibus Trojam expugnatum iverunt Duces, recenſentur ab *Homer.* Iliad. B. ℣. 238.

Τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε
Ἰητῆρ' ἀγαθὼ, Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων.
τοῖς δὲ τριήκοντα γλαφυραὶ νέες ἐστιχόωντο.

Horum Duces erant AEſculapii duo filii
Medici Praeſtantes, Podalirius & Machaon.
Cum his triginta cavae naves ordine ibant.

Homerus tamen ibi numero utitur rotundo, nam *Hygin.* Fab. XCVII. etiam enumerans, quinam Duces & quot naves ad bellum profecti fuerunt Trojanum, ſic ſcribit: *Machaon Aſclepii & Coronidis filius, Attica navibus* 20. *Podalirius frater ejus navibus* 9. Id. *Hyg.* Fab. LXXXI. eos etiam inter Helenae procos ponit. Conſul. quoque auctores, quos laudat *Almel.* ad *Celſ.* Praef. Lib. I.

VI. Horum MACHAON natu maximus fuit; quippe huic aſſertioni nihil praejudicii adferre poteſt, quod Homerus de illis verba faciens plerumque ſoleat Podalirium Machaoni

ni praeponere: cum id ſolummodo metri cauſa fecerit, uti ex *Homer.* Iliad. B. ℣. 239.

- - - - - Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων.

probat *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. II. Cap. XVII. Is tantus habitus fuit Medicus, ut per excellentiam pro quovis Medico ponatur ap. *Ovid.* Lib. III. ex Pont. Ep. IV. ℣. 6.

Firma valent per ſe nullumque Machaona quaerunt.

& *Mart.* Lib. II. Epigr. XVI.

Quid tibi cum Medicis? Dimitte Machaonas omnes.

Imo ipſa Medicina ab eo Machaonia opis vocatur ap. *Ovid.* in Rem. Amor. ℣. 545.

Ille Machaonia vix ope ſanus erit.

Ob Artis peritiam ab *Homer.* Iliad. Δ. ℣. 212. vocatur *Vir Deo aequalis.* & Iliad. Λ. ℣. 514. cum dicit *Virum multis aliis aequiparandum.* Tandem a *Virg.* Lib. II. AEn. ℣. 264. Primus appellatur, quia primus, id eſt, Princeps Arte Medica erat, ut *Serv.* ibi docet. Plura collegit Clar. *Arntz.* ad *Aur. Vict.* Orig. Gent. Rom. Cap. I. §. 8. Inter cele-

bre-

bres ab eo peractas curas fuit illa Menelai ſagitta vulnerati ap. *Homer.* Iliad. Δ. ℣. 210. Etiam Philoctetem ſanavit *Propert.* Lib. II. El. I. ℣. 61. qui in inſula Chryſe a ſerpentis ictu graviter laboraverat, *Paus.* in Arcad. pag. 668. Ex his curationibus *Voſſ.* de Philos. Cap. XI. §. 7. concluſionem trahit, quod Machaon magis Chirurgiam excoluerit, Podalirius vero in abditas morborum cauſas magis inquiſiverit. Adeoque veteres, ejus dexteritatem percipientes, Machaonem tanti fecerunt, ut Divinis honoribus proſecuti fuerint, uti oſtendit *Paus.* in Meſſen. pag. 84. *Confirmantur haec, quae de AEſculapii liberis dicuntur, quod & Machaonis monumentum Gereniae oſtenditur, & Pheris fanum Machaonis liberum.* & in Lacon. pag. 278. *Gereniae Machaonis (AEſculapii filii) monumentum, & ejuſdem religione nobile fanum viſitur. nam & ab ipſo Machaone morbis hominum medelas monſtrari putant. Sacram ei regiunculam Rhodon nuncupant. Simulacrum eſt ex aere ſtatu erecto caput corona cingitur.* Quod de ejus filio Polemacrete inſigni Medico, paternae ſcientiae haerede, etiam refert id. *Paus.* in Corinth. pag. 202. *In eo eſt aedes Polemocratis. fuit is & ipſe Machaonis filius, Alexanoris frater. Medelas morborum & hic incolas docet: quare illi accolae honores habent.* Interfectus dicitur

ab

ab Eurypylo Telephi filio ap. *Hygin.* Fab. CXIII. Hinc nefas fuit Pergami in AEſculapii templo Eurypylum nominaſſe, quod abominationis indicium eſt, docente *Paus.* in Lacon. pag. 278. Machaonis effigies reperitur in *Dioſcoridis* Cod. eleganti, qui reperitur in Bibliotheca Auguſt. Vindobon. teſte *Lambec.* Lib. II. de Bibl. Vindob. Cap. VII.

VII. Alter PODALIRIUS non ſolum Dux intrepidus, verum etiam paternae Artis haud imperitus cultor fuit. Cum enim ex bello Trojano in patriam revertendi animus ipſi eſſet, forte fortuna ad Cariae littora adverſis maris tempeſtatibus adpulſus, a quodam caprarum paſtore Bybaſſo dicto ſervatus & hoſpitaliter receptus fuit, deinde vero ad Damaethum Regem perductus, cujus filiam nomine Syrnae ex alto domus prolapſam graviterque decumbentem, tum quibusdam medicamentis, tum Venaeſectione in duobus adornata brachiis perſanavit. idque tam felici cum ſucceſſu, ut mox convaleſceret. Quod Rex admiratus, ac tam ingens beneficium remuneraturus, illum ſibi generum adſcivit: dotis loco Cherſoneſo illi tradita, in qua Podalirius mox duas condidit urbes, alteram Syrnam ex nomine uxoris, alteram vero Bybaſſum de nomine paſtoris, a quo tam humaniter receptus fuerat, uti hanc hiſtoriam refert

Stephan.

Stephan. Byzant. in vocibus Βύβασσος. & Σύρνα. docente *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. XVII. Quo reſpexiſſe videtur *Paus.* in Lacon. pag. 278. *At Podalirium, quum Ilio deleto redirent Graeci, tempeſtate Syron, quae in continenti Cariae urbs eſt, incolumem delatum, ibi conſediſſe tradunt.* De eo tanquam inſigni Medico loquitur *Homer.* Iliad. B. ✠. 238.

Τῶν αὖθ' ἡγείσθην 'Ασκληπιȣ̃ δύο παῖδε
Ἰητῆρ ἀγαθὼ, Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων.

Horum Duces erant AEſculapii duo filii
Medici praeſtantes, Podalirius atque Machaon.

Hinc *Ovid.* Lib. II. Art. Am. ✠. 735. dixit:

Quantus apud Danaôs Podalirius Arte medendi,
AEacides dextra, pectore Neſtor erat.

& in Rem. Amor. v. 313.

Curabar propriis aeger Podalirius herbis,
Et (fateor) Medicus turpiter aeger eram.

Unde illi quoque aeque ac Machaoni delubra fuerunt excitata, *Rhodig.* Lib. XXIX. Ant.

Lect. Cap. XI. Et Calabrum populi Daunii eum ſicuti Deum poſt mortem de valetudine adverſa conſuluerunt, uti teſtatur *Tzetzes* ad Lycophron. ℣. 1047. ſeq. ex quo haec hauſit *Nicol. Leonicus Tomaeus* Lib. Var. Hiſt. Cap. XLVII. Cons. *Cellar.* Ant. Med. Cap. III §. 1. & 2.

VIII. DIONYSIUS Siciliae Rex Medicis accenſetur a *Tiraq.* de Nobil. Cap XXXI. §. 124. Nam non tantum Theoriam, verum etiam Praxin Medicam exercuit, cum & ipſe curationes, ſectiones, uſtiones & reliqua facere ſolebat, quemadmodum indicat *AElian.* Lib. XI. Var. Hiſt. Cap. XI.

IX. ALEXANDER Magnus ille hoſtium terror, Medicinae praecipuum ſtudium operamque dedit, atque ejus Artis non ſolum contemplandae ſtudioſus fuit, verum etiam aegrotantibus amicis opem attulit, & remediis quibuſdam ,ciborumque obſervationibus inſtruxit, ut teſtatur *Plut.* in Alexand. M. Cap. XIII. *Jam quod Medicae rei ſtudioſus Alexander fuit, ejus rei auctorem prae caeteris habuiſſe videtur Ariſtotelem, non enim contemplationibus modo delectatus eſt, ſed & amicis aegrotantibus Medicinam fecit curandique & victus quasdam rationes praeſcripſit.* Conf. Cap. LXXIV. Imo hodie adhuc reperitur Aurea Alexandri Antidotus ap. *N. Myreps.* Sect. I

Antid

Antid. I. & Collyrium Alexandro Regi inſcriptum, cujus meminit *Aët. Tetrab.* Lib. II. Serm. III. Cap. XXXIX. & *Celſ.* Lib. V. Cap. XXVII. in princ. meminit Viridis Alexandrini, cujus auctorem noſtrum Alexandrum putat *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 121. Conf. *Caſtell.* in Opt. Med. pag. 36.

X. LYSIMACHUS Rex Pergami, unus Alexandri M. ſucceſſorum a *Canonh.* Prol. in *Hipp.* Aphor. pag. 8. inter Medicos ponitur; quia, teſte *Plin.* Lib. XXV. H. N. Cap. VII. & *Oribas.* Lib. XV. Med. Collect. Λ. invenit herbam Lyſimachiam, quae ab eo nomen retinet, celebrata Eraſiſtrato Vid. *Salm.* ad *Panciroll.* Lib. II. Rer. Memor. pag. 38.

XI. Sequitur ATTALUS PHILOMETOR ultimus Pergami Rex, qui regni ſui haeredem teſtamento conſtituit Populum Romanum, *Euſeb.* in Chron. Olymp. CLXII. *Flor.* Lib. II. Cap. XX. ad quem locum V. D. uti & ad *Val. Max.* Lib. VIII. Cap. VIII. §. 2. plures adducunt ſcriptores hujus teſtamenti memorantes. Praeter quos videas & Epiſt. Mithridatis Regis Ponti ad Arſacem Parthiae Regem inter fragm. *Salluſtii* Lib. IV. Cap. IV. In qua Epiſt. teſtamentum iſtud vocatur *ſimulatum & impium teſtamentum*. Conf. *Rupert.* Obſerv. in Synops. *Beſold.* Cap. XII. &

Prideaux Connex. ſacram inter & profan. hiſt. Tom. II. Lib. V. pag. 439. Hic, dico Attalus Philometor Medicinae quoque amantiſſimus fuiſſe videtur ex *Juſtin.* Lib. XXXVI. Cap. IV. § 3. *Omiſſa deinde regni adminiſtratione, hortos fodiebat, gramina ſeminabat, & noxia innoxiis permiſcebat. eaque omnia veneni ſucco infecta, velut peculiare munus amicis mittebat.* & *Plut.* in Demetr. Cap. XXIII. *Attalus* Philometor *venenoſas herbas plantabat, non altercum modo & veratrum, ſed cicutam etiam, aconitum, dorycniumque ipſe in regia ſeminans & ſerens, operamque dabat, ut legitimo tempore ſuccos eorum & ſemina legeret.* Ac ei Medicinae parti Attalum maxime incubuiſſe, ut ſciret, quaenam ſimplicia plurimum veneni vi adverſarentur, docet *Galen.* Lib. I. de Antid. Cap. I. *Mithridates enim iſte quemadmodum, & apud nos Attalus, omnium ferme ſimplicium medicamentorum, quae venenis adverſantur, ſedulo vim expertus eſt in illis hominibus, qui morti condemnati fuerant.* Hinc ſaepius ut Medicus citatur a *Plin.* Lib. XXXII. H. N. Cap. VII. & *Galen.* Lib I. de Compos. Med. per gen. Cap. XIII. *Hoc medicamentum non ex eorum numero eſt, quae a me primo auctore compoſita ſunt, ſed jam annis multis a Rege Noſtro Pergamenorum Attalo, viro omnigenorum medicaminum ſtudioſo.* Cur vero *Galenus*

hoc

hoc loco Attalum *Noſtrum* vocat *Regem* inf. explicabimus §. 31. Quin imo de animalibus hunc Attalum ſcripſiſſe *Galen.* indicat Lib. X. de Simpl. Medic. facult. pag. 72. Quod & patet ap. P*lin.* Lib. I. H. N. quippe enumerans auctores, qui ſibi in Lib. VII. & XI. iſtius hiſtoriae componendo profuerunt, inter illos recenſet Attalum Regem ut ſcriptorem parvorum animalium & reptilium hiſtoriae. Praeterea de agricultura eum libros compoſuiſſe concludimus ex *Varr.* Lib. I. de Re Ruſt. Cap. I. P*lin.* Lib. XVIII. H. N. Cap. III. & *Colum.* Lib. I. de R. R. Cap. I. Qui inter ſcriptores rei ruſticae hunc Regem referunt. Obſervandum tamen, quod ap. *Colum.* L. L. & P*lin.* duobus ultimis locis minus recte *Attalus* & P*hilometor*, ut duo diverſi, legatur: nam Attalus hic cognomento Philometor nominatus fuit, ſicuti apparet ex *Varr.* L. L. qui eum expreſſe *Attalus Philometor* appellat; quod *Rhodig.* Lib. XXIX. Ant. Lect. Cap. XI. *Bongars.* ad *Juſt.* Lib. XXXVI. Cap. IV. §. 2. *Torrent.* ad *Horat.* Lib. II. Od. XVIII. ℣. 5. & *Harduin.* ad P*lin.* Lib. XVIII. H. N. Cap. III. ex *Strab.* Lib. XIII. Geogr. pag. 926. & *Plut.* in Demetr. Cap. XXIII. etiam docent. Denique *Cels.* Lib. V. Cap. XIX. deſcribit Emplaſtrum Attalum, veroſimiliter ab hoc Re-

ge dictum; nam & *Marcell.* Lib. de Medicam. Cap. XXII. etiam deſcribit medicamentum Attali Regis. Vid. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. III. Cap. III. & *Caſtell.* in Opt. Med. pag. 51.

XII. Pervenimus ad Regem Ponti MITHRIDATEM, ſive, ut *Schot.* ad *Aur. Vict.* de Vir. Ill. Cap. LXXVI. & *Ill. Spanhem.* Tom. I. de Uſu & Praeſt. Numiſm. pag. 483. potius legunt, Mithradatem; quia in Numimis Graecis ita legitur. At nihil obſtare video, quare non dicere poſſemus Mithridatem, quod magis Latinum, cum Mithradates potius Graecum ſit: nam Graecum A in Latinum I mutatur, ut Κατάνη, Catina; Πατάνη, Patina; Μασσαλια, Maſſilia; Κανασρον, Caniſtrum. Vid. *Salm.* ad *Spart.* in Adrian. Cap. XVIII. & *Bernecc.* ad *Juſt.* Lib. IV. Cap. III. §. 4. & Lib. XXXVII. Cap. II. §. 6. Hic Mithridates ſuae aetatis Regum maximus fuit, docente *Torrent.* ad *Suet.* Caes. Cap. XXXV. & *Muret.* Lib. I. Var. Lect. Cap. II. Ita ut duae & viginti diverſarum linguarum nationes illi parebant, ut teſtantur *Val. Max.* Lib. VIII. Cap. VII. §. 16. *Plin.* Lib. VII. H. N. Cap. XXIV. *Quintil.* Lib. XI. Cap. II. *Aur. Vict.* de Vir. Ill. Cap. LXXVI. Quamvis *A. Gell.* Lib. XVII. Noct. Att. Cap. XVII. at minus recte di-

ci-

cit quinque & viginti fuiſſe. Conf. *Uſſer.* Ann. ad A. M. MMMCMXV. pag. 367. & *Prideaux* Conn. ſacram inter & prof. hiſtor. Tom. II. pag. 626. In reliqua ingenii magnitudine Medicinae peculiariter curioſus fuit; nam a tot in orbe terrarum gentibus bello devictis ſibique ſubjectis, ſingulari ſtudio arcana morborum remedia conquiſivit, de quibus commentarios, quos in theſauri ſui ſcrinio reconditos ſervavit, docte compoſuit. Hos Pompejus victor Regia praeda potitus, in triumpho Populo Romano oſtentavit, ac Lenaeo Pompejo liberto ſuo negotium dedit, ut hos Mithridatis de Re Medica Libros Latinitate donaret, quo Populus Romanus ex tanti Regis theſauro pharmaca haberet, quibus morbis ſuis mederetur, itaque non minus vitae quam Reipub. profuit illa victoria. *Plin.* Lib. XXV. H. N. Cap. II. Inter haec arcana etiam fuit compoſitio celeberrimi iſtius Antidoti a Mithridate inventi ac nominati, ut patet ex *Plin. Valer.* Lib. III. de Re Med. Cap. XLIV. *Pompejus autem M. Mithridate devicto in ſcrinio ejus invenit ipſius manu ſcriptam compoſitionem, qua ipſe praeſumpta adverſus omnia veneficia in totum diem tutum ſe incolumemque praeſtabat, in qua nuces juglandes duae, ficus ſiccae duae, rutae folia viginti, ſalis granum unum, in vinum contunduntur & devo-*

rantur a jejuno. Hujus Antidoti deſcriptio etiam reperitur ap. *Cels.* Lib. V. Cap. XXIII. *Plin.* Lib. XXIII. Cap. VIII. *Q. Seren. Samm.* de Medic. pag. m. 35. ubi agit de Veneniss prohibendis. *N. Myreps.* Sect. I. Antid. Cap. CDXI. & *Aët. Tetrab.* Lib. IV. Serm. I. Cap. XCVIII. Quippe ſemper maxime omnium ferme ſimplicium medicamentorum, quae venenis reſiſtunt, indagatione occupatus fuit, *Galen.* Lib. I. de Antid. Cap. I. Herbam Mithridation inveniſſe fertur ap. *Plin.* Lib. XXV. Cap. VI. Imo Medicinae non ſolum ſtuduiſſe, verum etiam feciſſe nos docet *Plut.* de Adulat. &c. Cap. XXVII *Mithridati Regi, cum is rei Medicae ſtuderet, nonnulli ſociorum ſecandos ſe urendoſque praebuerunt, facto, non verbis adulantes.* Plura reperiuntur ap. *A. Gell.* Lib. XVII. Cap. XVI. *Galen.* variis in locis. *Rhodig.* Lib. XI. Cap. XIX. *Humelb.* ad *Apul.* de Virib. Herb. Cap. LXV. *Caſtell* in Vit. Ill. Med. ap. *Gronv.* in Tom. X. Thes. Ant. Graec pag. 862. *Voſſ.* de Philos. Cap. XI. §. 37. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. III. Cap. III.

XIII. ANTIOCHUS Syriae Rex etiam Medicinam intellexiſſe videtur, quoniam ap. *Plin.* Lib. XX. Cap. XXIV. compoſitione Theriacae medicaminis Antiochi jam deſcripta haec leguntur: *Hac Theriaca Magnus Antiochus*

chus Rex adverſus omnia venena uſus traditur. Atque Antidoton illud Celeberrimum Theriaca in templo AEſculapii verſibus dedicavit, ſicuti *ſup.* Sect. I. Cap. VI. §. 7. vidimus. Antiochi Hiera laudatur ab *Aët. Tetrab.* Lib. I. Serm. III. Cap. CXIV.

XIV. GENTIUS Illyriorum Rex inter Medicos quoque ap. *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 133. locum obtinet. Nam herba Gentiana ab eo inventa atque denominata traditur a *Plin.* Lib. XXV. H. N. Cap. VII. *Gentianam invenit Gentius Rex Illyriorum, ubique naſcentem, in Illyrico tamen praeſtantiſſimam.* Hujus Gentii Illyriorum Regis ſaepius mentionem facit *Liv.* ut Lib. XL. Cap. XLII. & Lib. XLIV. Cap. XXX. *Eutrop.* Lib. IV. Cap. VI. & VIII.

XV. Cum ex dictis clare pateat maximes Reges atque Principes non ſolum Medicinam calluiſſe, verum etiam tractaviſſe; pergimus ad reliquos Celeberrimos Viros Medicos. Ita ſtatim nobis obviam venit MELAMPUS Amythaonis filius, *Broukhus.* ad *Tibull.* Lib. IV. El. I. ℣. 120. Qui antiquiſſimus Poëta, Vates, Sacerdos, imo Medicus, Arte ſua clariſſimus fuit: utramque enim vaticinandi & medendi provinciam arctiſſimo olim vinculo connexam obſervat *Euſtath.* ad *Hom.* Iliad. A. pag. 36. De Medicis vero Sacerdotibus

infra agemus. Quanta illius fuerit exiſtimatio, quantaque in morbis curandis peritia vel exinde liquet, quod veluti in proverbium quondam abierit, ut Chiron & Melampus pro praeſtantiſſimis Medicis ponerentur, veluti ap. *Lactant.* de Mort. Perſecut. Cap. XXXIII. Is igitur, ubi narrat Gallerium Maximianum in graviſſimum morbum incidiſſe, nec ullo modo a Medicis potuiſſe curari, ita loquitur:

> . . . . *Ceſſere Magiſtri*
> *Phyllirides Chiron Amythaoniuſque Melampus.*

Undique Medici nobiles trahuntur. Nam vitioſe olim ſic legebatur:

> - - - - - - - *Ceſſere Magiſtri*
> *Phyllides, Cirona, Metonius, Melamphius.*

AEque ac de quatuor Medicis verba fiebant, cum duo duntaxat memorentur, uti ex *Virg.* Lib. III. Georg. ℣. 549 obſervat Ampl. *Cuper.* in Apoth. Homer. pag. 4. Conf. V. D. ad *Lactant.* L. L. Haec *Lactantii* eſt ſententia, optimos Medicos, qui aderant, non potuiſſe curare Galerium, & propterea eos ex aliis regionibus attractos fuiſſe. Porro inter me-

memorabiles Melampodis curationes occurrit illa, qua Proeti Argivorum Regis filias helleboro nigro a furore liberavit; nam videns, quod paſto illo purgarentur caprae, veroſimiliter concludebat, iſtarum caprarum lac etiam vi purgante pollere, unde illud furentibus Proeti filiabus propinavit, feliciterque curavit. *Hipp.* Epiſt. ad Cratevam Tom. II, pag. 931. *Stabiliores autem ſemper ſunt purgationes per veratrum, quibus etiam Melampus in Proeti filiabus, & Anticyreus in Hercule uſi eſſe narrantur.* Hinc *Galen.* de Med. Cap I. & de Atra Bile Cap. VII. ita ſcribit: *Nemo enim inter Graecos altus, adeo rudis, indoctuſque eſt, quin legerit, vel audierit Proeti filias furore percitas, ſic a Melampode purgatas, curataſque.* Hanc curam etiam reſpicit *Pauſan.* in Arcad. pag 636. Hinc deinceps ab hujus Melampodis nomine ille helleborus niger Melampodium dictum fuit, *Plin.* Lib. XXV. H. N. Cap. V. *Melampodis fama, divinationis artibus nota eſt. Ab hoc appellatur unum ellebori genus Melampodium. Aliqui paſtorem eodem nomine inveniſſe tradunt, capras purgari paſto illo animadvertentem, datoque lacte earum ſanaſſe Proetidas furentes.* Plura de hac curatione inveniuntur ap. *Ovid.* Lib. XV. Metam. ℣. 325. *Steph. Byzant* in Vocibus ἀζανία & λουσοί. *Oribas.* Lib. VII. Medic. Col-

Colleꝺt. Cap. XXVII. & *Scalig.* ad *Euſeb.* Chron. pag. 39. Altera ejus celebris cura fuit foeminarum Argivarum, quas morbo (inſania ſcil, vel certa melancholiae ſpecie, qua in vaccas ſeſe tranſmutatas fuiſſe fingebant) laborantes curaſſe dicitur ap. *Paus.* in Corinth. pag. 150. *Quo enim tempore regnum tenuit Anaxagoras Argei filius, Megapenthis nepos, is furor foeminas invaſit, ut quum intra domeſticos parietes contineri non poſſent; per totum agrum palantes vagarentur. Inventus tandem eſt Melampus Amythaonis filius, a quo ſanatae ſunt.* Quale beneficium Anaxagoras grata mente agnoſcens regnum ſuum in tres partes dividit, quarum una donavit Melampodem, alteraque Biantem ejus fratrem, veluti *Paus.* L. L. ita narrare pergit: *Et Argivos quidem ſolos ex omnibus* Graecis *in tria regna diviſos novi.* Ratione vero ex curatione, quam mox vidimus, jam data, ita loquitur: *Ei Anaxagoras ita gratiam retulit, ut aequis cum eo fratreque ejus Biante partibus regnum communicaret. Herodot.* autem eandem referens hiſtoriam dicit, Anaxagoram ad tale beneficium non grata mente, verum a Melampode id poſcente, coactum fuiſſe, Lib. IX. pag. 523. Ed. *Gron. Etiam Melampus quum ab Archivis mercede conduceretur e* Pylo *ad compeſcendum morbum furoris mulierum Argivarum, depoſcebat pro mercede dimi-*

dimidium regni recuſantibus id Argivis atque digreſſis, quum plures e mulieribus inſanirent, ita obtemperantes, quae Melampus popoſcerat, daturi reverterunt. ibi ille cernens hos eſſe immutatos, plura optavit, negans ſe indulturum quam vellent, niſi & fratri ſuo Bianti tertiam partem regni donaſſent; Argivi in àrctum redacti hoc quoque annuerunt. Ex hiſce Melampus tantam conſequutus videtur famam, ut ipſi poſt mortem templa erecta, feſtaque ſolennia ſtatuta fuerint, *Paus.* in Att. pag. 107. *AEgiſthaenis Melampodis Amythaonis filii templum eſt, & in eo non magni utique viri ſignum columnae inſiſtit. Melampodi ſacrum faciunt, & feſtum diem quotannis celebrant.* Scripta, quae Melampodis nomine circumferuntur ap. *Mercklin.* Linden. Renov. pag. 804. ut ſunt *Divinatio ex palpitationibus* & *Divinatio ex naevis corporis oleoſis*; junioris alicujus Melampodis, qui ſub Ptolomaeo Philadelpho vixit, habenda ſunt. Vid. *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. I. Cap. XV. §. 2.

XVI. In ſcenam ducitur ORPHEUS, cujus aeſtimatio apud veteres tanta fuit, ut, cum mortuus eſſet, pro Deo coluerint, *Tertull.* de Anim. Cap. II. Quem a noſtro diverſum male ſtatuere videtur *Voſſ.* Lib. I. de Idolol. Cap. XXXIX. Medicinae adeo peritus exſtitit, ut morborum remedia inveniſſe

lega-

legatur ap. *Paus.* in Baeöt. pag. 768. *Magnam autem ex eo eſt auctoritatem conſecutus, quod & Deorum initia & nefariorum facinorum expiationes creditus eſt adinveniſſe: morborum etiam remedia, & iratorum Numinum placationes.* Ad Medicam quoque ejus ſcientiam referri poſſet, quod Euridicen uxorem ex inferis revocaſſe dicatur. Quam fabulam eleganter narrat *Ovid.* in princ. Lib. X. &. XI. Metam. Vid. *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. I. Cap. XX. §. 5. Nam ita AEſculapius, aliique nobiles Medici quoque dicti ſunt, homines in vitam reduxiſſe, quos morti vicinos a gravibus morbis liberarunt, ut *ſup.* Sect. I. Cap. I. §. 13. & Sect. II. Cap. III. §. 3. vidimus. Etiam omnium primus de herbis ſcripſiſſe fertur ap. *Plin.* Lib. XXV. H. N. Cap. II. *Primus autem omnium, quos memoria novit, Orpheus de herbis curioſius aliqua prodidit.* In quo *Plinium* falſum exiſtimavit *Conring.* de Herm. Med. Cap. XI. pag. 108. At *Plinii* partes defendendas ſuſcepit *Borrich.* de Herm. AEgypt. & Chem. Sap. Cap. VII. §. 8. De Lapidibus eorumque virtutibus praecepta reliquit, *Grot.* Excerpt. ex *Stobaei* Floril. pag. 27. & 129. & *Dalec.* ad *Plin.* Lib. XXXVII. Cap. X. ubi Orpheus ſaepius, ut gemmarum ſcriptor, ad partes vocatur. Conf. Editio *Orphei* Traject. pag. 190. & 193. Eum Chemiae peritum facit *Borrich.*

ich. de Ort. & Progr. Chem. ap. *Manget.* Tom. I. Bibl. Chem. pag. 22. Ut Botanicus audatur ap. *Aët. Tetrab.* Lib. I. Serm. I. A. E. x K. Vid. *Reines.* Lib. II, Var. Lect. Cap. . pag. 126 Ideoque merito eum inter Medicos recenſet *Aleand.* in Tab. Helic. explic. p. Graev. in Tom. V. Thes. Ant. Rom. pag. 713. & *Rhodig.* Lib. XVIII. Cap XXIII. Qualis etiam citatur a *Plin.* Lib. XX. Cap. V. & Lib. XXVIII. Cap. IV. De compoſitione medicamentorum venenatorum ac mortiferorum etiam ſcripſit, affirmante *Galen.* Lib. I. de Antid. Cap. VII. Quamvis omnem hanc Orphei ſcientiam Medicam duntaxat fuiſſe Magicam *Conring.* L. L. teſtatus fuit; tamen ab hoc Magiae crimine eum facile abſolvit *Naudaeus* in Apol. pro Viris Doct. Magiae ſuſpect. Cap. IX. Vid. quae *ſup.* §. 3. diximus. Scripta, quae hodie ei adſcribuntur, ultimo edita ſunt in hac urbe Trajectina A. MDCLXXXIX. in 12. Quaedam Orphei fragmenta etiam habet *Montfauc.* Lib. III. Palaeogr. Graec. pag. 243. Attamen haec omnia potius ab Onomacrito Athenienſi tempore Piſiſtrati ſcripta exiſtimat *Spanh.* ad *Callim.* Hymn. in Delum. 324. Quid autem alii Viri Docti de horum ſcriptorum probitate judicati fuerint, nos docet *Barth.* ad P. *Stat.* Lib. I. Theb. ℣. 720. & Lib. LV. Advers. Cap. V. *Voſſ.* Lib. IV.

de

Idolol. Cap. XIII. *Borrich.* de Poët. Graec. pag. VII. *Kennet.* de Poët. Graec. pag. 82. *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. I. Cap. XVIII. ſeqq. & *Cl. Burm.* in Catal. Argonaut. *Val. Flacco* praefixo.

XVII. HOMERUS, quem omnium aetatum Sapientes adeo demirati ſunt, ut eum quaſi Elogiis onerarint; quae ſingula ſi depraedicare vellem, verear, ne laborem ſuſcepturus ſim inanem, ac prorſus inutilem: cum illud nihil aliud videri poſſit, quam talem laudare, qualem nemo vituperat, ſed omnes venerantur, & ſuſpiciunt. Quin imo mihi id tentaturo etiam cum Ariſtophane quaerendum eſſet, undenam μυριάμφορον, quod *Suida* interprete, *decies mille amphorarum* verbum eſt, accipiam, quo ſatis digne eum compellare poſſim. At deſiderantes adire poſſunt V. D. ad *Vell. Paterc.* Lib. I. Cap. V. §. 11. ad *Juven.* Sat. X. ℣. 246. *Muret.* Lib. VII. Var. Lect. Cap. VI. & Lib. XII. Cap. XV. *Scip. Gentil.* Lib. II. Parerg. Cap. III. in Tom. IV. Thes. Jur. pag. 1319. *Barth.* ad P. *Stat.* Lib. IV. Theb. ℣. 464. *Torrent.* ad *Horat.* Art. Poët. ℣. 74. *Cuper.* Homeri Apotheoſin, ſive doctiſſimam lapidis antiquiſſimi interpretationem, in quo Homerus conſecratur, pag. 5. & 63. & Cel. *Ott.* Papinian. Cap. IV. §. 4. In Medica quam maxime excelluit

Arte

Arte, quippe per totum ſuum opus ſe prae caeteris omnem Medicinae diſciplinam probe noviſſe palam docet, ſicuti ex eo jam fuſe docuerunt, atque demonſtraverunt *Plut.* in Lib. cui inſcribitur Homerus, Cap. CXI. ſeq. *Mythol.* Gr. & Lat. in Vita Homeri pag. 390. & *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. a §. 165. ad 13. Chemiae peritiam ei attribuit *Borrich.* de Herm. AEgypt. ac Chem. Sap. pag. 53. & de Ort. & Progr. Chem. ap. *Mang.* Tom. I. Bibl. Chem. pag. 22. Phyſicam naturalem intellexiſſe fertur ap. *Cuper.* L. L. pag. 87. & 19. Imo magnus Philoſophiae auctor vocatur a *Keuchen.* ad *C. Nep.* Fragm. pag. 416. Ita ut recte eum Philoſophum nominent *Senec.* Epiſt. LXXXVIII. *Strab.* Lib. I. Geogr. pag. 2. quibus jungitur *Menag.* ad *Diog.* *Laërt.* Lib. IX. Segm. LXXIII. Semel ad partes vocatus fuit ab *Hipp.* in Lib. de Articul. Tom. I. pag. 763. §. 6. & a *Cael. Aurel.* Lib. III. Morb. Acut. Cap. XV. Inter Medicos etiam numeratur a *Th. Barthol.* de Poët. Medic. ſub initio. *Petit.* de Homer. Nepenth. & *Adamo Brendel.* in Diſſ. de Homero Medico, Wittenbergae A. MDCC. edita. Quanti ejus ſcripta antiquitus habita fuerint, ſatis conſtare puto ex eo, quod multis olim Homeri verſus pro ſortibus atque Oraculis fuerint, veluti ab *Ant. van Dale* obſervatum fuit, de Divinat. Cap. IV.

Indi, Perſarumque Reges ejus poëmata lin-
gua vernacula deſcripta cantare ſolebant. *Ae-
lian.* Lib. XII. Var. Hiſt. Cap. XLVIII. &
Lib. XIII. Cap. XIV. & *Athen.* Deipnoſ.
pag. 620. Quod de Graecis oſtendit *Drieberg*
in Append. ad *Prideaux* Conn. Sacr. inter &
Prof. Hiſt. pag. 22. & *Menag.* ad *Diog. Laërt.*
Lib. II. Segm. XLIII. Imo Alexander M. cum
inter ſpolia Darii Perſarum Regis unguento-
rum ſcrinium captaſſet, quod auro, gemmis-
que ac margaritis pretioſum erat, cujus vari-
os uſus amici quum demonſtrarent, Hercle,
dixit, librorum Homeri cuſtodiae detur, ut
pretioſiſſimum humani animi opus, quam ma-
xime diviti opere ſervaretur, *Camer.* Cent.
III. Oper. Subcis. Cap. XLVI. *Salm.* ad
Pancir. Lib. II. Rer. Memor. pag. 231. &
Plin. Lib. VII. H. N. Cap. XXIX. & *Drie-
berg.* L. L. pag. 107. Nam hic Rex Home-
ri Iliadem, quam rei militaris viaticum nomi-
nabat, ſemper una cum pugione ſub pulvi-
nari habuit, teſte *Plut.* in Alex. M. Cap.
XIII. Conf. *Lomeier* de Bibl. Cap. XII. pag.
360. & *Selden.* de Libris Cap. IX. pag. 25.
Unde φιλομήρος vocatur *Strab.* Lib. XIII. pag.
888. Quin imo aureis litteris Homerici libri
olim ſcribi ſolebant, teſte *J. Capitol.* in Maxim.
Jun. Cap. IV. Multifariam igitur ob peritiam
poſt fata ἀποθέοσιν adeptus fuit, quemadmo-
du

lum unicus meus humanarum Litterarum
Praeceptor atque Promotor Eruditiſſ. *Drakenb.*
cujus ſancta mihi ſemper erit memoria, ad
Sil. Ital. Lib. XIII. ℣. 786. docet. Cui adjungatur *Barth.* ad P. *Stat.* Lib. I. Achill. ℣.
706. & *Reines*. Epiſt. ad Daum. pag. 328.
Ita enim templa illi exſtructa teſtantur *AElian.*
Lib. XIII. Var. Hiſt. Cap. XXII. & *Cic.* pro
Arch. Poët. Cap. VIII. Statuam ipſi poſitam
oſtendit *Strab.* Lib. XIV. pag. 956. & *Paus.*
in Phocic. pag. 857. Quod etiam a Borysthenitis factum narrat *Dio Chryſoſtom.* Diſſ.
XXXVI. pag. 439. Sacrificia illi oblata apparet ex *AElian.* Lib. IX. Var. Hiſt. Cap.
XV. Tandem inſtar Jovis cultum fatetur *Cuper.*
Apoth. pag. 15. & 18. Smyrnaei honoris cauſa
ejus effigiem in Nummis expreſſerunt, *Suares.*
Diſſ. de Numm. Ant. Cap. X. & *Spon.* Miſcell. Erud. Ant. pag. 140. Hi etiam aereum
habuiſſe dicuntur nummum Homerum nuncupatum, teſte *Strab.* L. L. *Eſt & bibliotheca, & Homerium, ſcilicet porticus quadrata templum habens Homeri & ſimulacrum. Nam Smyrnaei quoque Homerum ſibi acriter vindicant: & nomiſma quoddam aereum apud eos Homerum vocatur.* Praeter Smyrnaeos varii
populi ejus imaginem in Nummis ſervarunt,
teſte Ampl. *Cuper.* L. L. pag. 9. *Gron.* Tom.
I. Thes. Ant. Graec. Tab. XIX. & *Fabrit.*

Bibl. Lat. Lib. II. Cap. I. §. 7. Nummum Homeri inter contorniatos quoque obſerva *Havercamp.* in Numm. Contorn. pag. 148 De ejus vero aetate conſtat, quod admodum duo ſecula bellum poſt Trojanum vixerit; de qua quaeſtione videſis *Salmas.* Tom. I Exerc. cit. Plin. pag. 608. *Marſh.* Can. Chron. pag. 470. *Borrich.* de Poët. Graec. pag. 9. *Perizon.* in AEgypt. pag. 9. *Tiraq.* ad *Plin.* Lib. VII H. N. Cap. XXIX. V. D. ad *Vell. Patere.* Lib. I. Cap. V. § 3. ad *Juven.* Sat. VII v. 38. ad *A. Gell.* Lib. XVII. Cap. XXI. & ad *Corn. Nep.* Fragm. Lib. I. Chron. *Kuhn.* ad *AElian.* Lib. XIII. Var. Hiſt. Cap. XIV. De patria autem Homeri antiquitus magna agitata fuit quaeſtio, quippe plures urbes tali cive gloriabantur: urbibus enim ornamento cedit cives progeneraſſe ingenio & induſtria pollentes. Qua de re non immerito ſeptem urbes inter ſe de ſtirpe Homeri certarunt, quae omnes in ſequenti diſticho, quod ap. *A. Gell.* Lib. III. Noct. Att. Cap. XI. reperitur continentur:

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου.,
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶν, Ἴος, Ἄργος,
Ἀθῆναι.

Septem urbes certant de ſtirpe inſignis Homeri:
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Jos, Argos, Athenae.

Quippe

Quippe quemadmodum locorum ſplendor non parum honoris civibus adjicit, ita quoque oppidorum celebritati, civium optimorum virtus aliquid addit, teſte *Jureto* ad *Symmach.* Lib. .. Ep. LXXXVIII. Confer. *Cic.* pro Arch. Poët. Cap. VIII. De hac lite ſingularem conſcripſit libellum *Leo Allatius*; cui additi Natales Homerici carmine Elegiaco Graeco, interprete *Andrea Bajano* Lugdun. ap. *Laur. Durandum* A MDCXL. Etiam reperitur ap. *Gronov.* in Tom. X. Ant. Graec. pag. 1624. Inter *Opuſcula Mythologica* pag. 283. reperitur quoque Libellus de Vita Homeri, qui vulgo, ſed male *Herodoto* adſcribitur. Inſpiciantur *Tanaq. Fab.* Vit. Poët. Graec ap. *Gron.* Tom. X. Thes. Ant. Graec. pag. 750. *Voſſ.* Lib. I. de Hiſt. Graec. Cap. III. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. II. Cap. I. §. 2. Plura de Homeri patria traduntur ap. *Salmas.* Tom. I. Exercit. Plin. pag. 607. V. D. ad *Cic.* pro Arch. Poët. Cap VIII. & *Kuhn.* ad *AElian.* Lib. XIII. Var. Hiſt Cap. XXII.

XVIII. HESIODUS optimus humanae vitae conſultor, in re Medica adeo valuit, ut multa de herbarum vi & potentia ſcripſiſſe dicatur ap. *Plin.* Lib. XXV. H. N. Cap. II. *Primus autem omnium, quos memoria novit, Orpheus de herbis curioſius aliqua prodidit. Poſt eum Muſaeus & Heſiodus polion herbam in quan-*

tum mirati ſunt, diximus. Orpheus & Heſiodus ſuffitiones commendavere. Homerus & alias nominatim herbas celebrat. Unde ſaepius ut auctor, ad aliquid in Medicina probandum, ab eod. *Plin.* in ſcenam producitur, ut Lib. XXI. Cap. VII. & Lib. XXII. Cap. XXIII. Eum de agricultura quaedam reliquiſſe refert *Cic.* de Senect. Cap. XV. *Colum.* Lib. I. de R. R. Cap. I. *AElian.* Lib. XIII. Var. Hiſt. Cap. XIX. & *Lucian.* Diſſ. cum Heſiod. pag. 927. Sed omnes hi de herbis Libri hodie perierunt, docente *Conring.* de Herm. Med. Cap. XI. pag. 109. Quantum vero Heſiodus in Medicina praeſtiterit, oſtendit *Plut.* in Conviv. ſept. Sapient. Cap. XXXII. *Apparet enim Heſiodum Medicum fuiſſe, qui tam accurate & perite de victus ratione, vini temperie, aquae bonitate, lavacris mulieribus, coitus tempore & infantium ſeſſione diſſeruerit.* Conf. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. II. Cap. III. Effingitur ap. *Gron.* Tom. II. Ant. Graec. Tab. XXII. De ejus aetate ſcriptores non conveniunt, quidam eum Homeri aequalem faciunt, ut *A. Gell.* Lib XVII. Noct. Att. Cap. XXI. & *Voſſ.* de Poët. Graec. Cap. II. Nam ſic & hodie legitur libellus, in quo Heſiodus certamen cum Homero iniiſſe dicitur ad exequias Amphidamantis in Chalcide, coram Panide Rege, defuncti fratre, cujus rei meminit *Plut.*

Lib.

Lib. V. Sympos. Quaeſt. II. & *Lucian.* Lib. I. Ver. Hiſt. pag. 399. Conf *Rhodig.* Lib. VIII. Cap. XV. At iſte libellus, nemo non novit, poſterioris eſt temporis, & tantum exercitationis cauſa eſt compoſitus Conf. *Salmas.* Tom. I. Exercit. Plin. pag. 610. Adeoque ex veroſimiliori ſententia dicendum, illum C. circiter annos poſt Homerum vixiſſe; nam Cato ap. *Cicer.* de Seneċt. Cap. XV. hyperbolice loquutus fuit, cum Heſiodum multis ſeculis Homero antiquiorem facit. Videſis *Ald. Manut.* ad Cicer. L. L. *Salmas.* Tom. I. Exerc. Plin. pag. 608. *Tanaq. Fab.* Vit. Poët. Graec. ap *Gron.* Tom. X. Ant. Graec. pag. 751. *Dodwell.* de Cyclis Diſſ. III. *Kennet* de Poët. Graec. pag. 20. & 23. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. I. Cap. XIII. & Lib. II Cap. VIII.

XIX. THALES Mileſius, qui veluti ex ſeptem illis ſapientia memoratis viris antiquiſſimus, *Euſeb.* Lib. X. Praep. Euang. Cap. III. ita & facile praecipuus fuit, teſte *Cic.* Lib. II. de Leg. Cap. XI. & *Apul.* Lib. IV. Florid. pag. 325. Medicus fuit, ſicuti concluditur ex eo, quod Sacerdotibus AEgyptiorum praeceptoribus uſus fuerit, cum in AEgypto Philoſophiae addiſcendae cauſa diu commoraretur. *Diog. Laërt.* Lib. I. Segm. XXVII. & *Rhodig.* Lib. XVI. Ant. Lect. Cap. IV. Qui

Sacerdotes ipſi Medici erant, & aegrotantium curationi praeerant, uti *infra* Cap. IV. §. 3. patebit. Male tamen a quibuſdam eo praetextu Medicis accenſetur, quod apud Lacedaemonios ſedata peſtilentia luſtrationes inſtituiſſet, uti referunt *Paus.* in Att. pag. 35. & *AElian.* Lib. XII. Var. Hiſt. Cap. L. Quam ſententiam Doctiſſimus *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. II. Cap. IV. quoque amplexus videtur. At re perſpecta facile patebit, memoratos auctores ibi non Thaletis Mileſii, ſed Cretenſis Muſici meminiſſe. Vid. *Kuhn* ad *AElian.* L. L. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. I. Cap. XXXV. §. 2. Philoſophiae naturali inventor dicitur ap. *Lactant.* Lib. I. Divin. Inſtit. Cap. V. Conf. *Salm.* Exerc. Plin. Tom. I. pag 592. Primus enim de rerum natura diſputavit, teſte eod. *Lactant.* Lib. III. Cap. XIV. Vir Sapientiſſimus rerumque naturalium Peritiſſimus appellatur a *Lucian.* in Neron. pag 1143. Conſul. *Cozzand.* de Magiſter. Antiq. Philos. pag. 13. & *Stanley.* de Philos. Graec. pag. 3. ſeq.

XX. Pergimus ad PYTHAGORAM Samium, qui primus Philoſophus vocari voluit, *Lactant.* Lib. III. Divin. Inſtit. Cap. XIV. Rarum certe modeſtiae exemplum, ſprevit titulos, quibus caeteri tam avide inhiabant. Quis enim humanarum rerum adeo rudis,

quem-

quem fugiat, *Sapientes* olim dici ſolitos, qui magnarum rerum intelligentia & doctrina cæteris praeſtare videbantur? Vid. *Ariſtot.* Lib. VI. Ethicor. Cap. VII. At Pythagoras videns *Sapientis* nomen majus quid eſſe, quam quod homini convenire poſſit, ſpeciem arrogantiae prae ſe ferre, ac multis fuiſſe invidioſum, ſapienter non ſapiens, ſed Philoſophus, id eſt, ſapientiae ſtudioſus appellari voluit. *Auguſt.* Lib. VIII. Civit. Dei Cap. II. Qua de re legendus eſt ſermo, quem Pythagoras habuiſſe dicitur cum Leonte Phliaſiorum Principe, ap. *Diog. Laërt.* Lib. VIII Segm. VIII. Quem ſane ſermonem eleganter perſcripſit *Cic.* Lib. V. Tuſcul. Quaeſt. Cap. III. Conſ. *Lactant.* Lib. III. Divin. Inſtit. Cap. II. Certe *Sapientis* nomen majus quid eſſe videtur, quam quod homini competere poſſit, *Plato* in Phaedro pag. 309. *Sapientis nomen magnum eſt, ſolique Deo convenit.* Hinc etiam tripos, qui Thaleti ut Sapienti primo, jubente Deo, datus eſſet, deinde a Solone, Deum ſolum ſapientem adſerente, Delphos remiſſus fuit, *D. Laërt.* Lib. I. Segm. XXVIII. *L. Vives* ad *Auguſt.* Lib. VIII. Civit Dei Cap. II. & *Barth.* Advers. pag. 814 De Pythagorae peregrinatione per varias orbis partes praeter *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. III. *Juſtin.* Lib. XX. Cap. IV. §. 3. & *Val. Max.* Lib.

 VIII.

VIII. Cap. VII. §. 2. inſpiciantur *Voſſ.* de Sect. Philos. Cap. VI. §. 2 & *Stanley.* de Philos. Graec. pag. 272. Hic Pythagoras tantum ſua valuit auctoritate, ut poſtea ejus diſcipuli Pythagorei dicti, ſi quid affirmarent in diſputando, cum ex iis quaereretur, quare ita eſſet, reſpondere ſolerent Ἀυτός ἔφα, id eſt, *Ipſe dixit*: tantum opinio praejudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas, *Cic.* Lib. I. de Nat. Deor. Cap. V. Quippe nemini licebat in dubium vocare, quae ipſe dixiſſet, neque ultra quicquam interrogare: ſed tanquam oraculo, ita ejus dictis, ii, qui tunc erant, acquieſcebant, *AElian.* Lib. IV. Var. Hiſt. Cap. XVII. Illius admiratio apud Metapontinos tanta fuit, ut ex domo ejus templum facerent, eumque pro Deo colerent, *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. XV. & *Juſt.* L. L. §. 17. Sub Apollinis nomine adoratus legitur ap. *Barth.* Advers. pag. 222. Auream geſtabat coronam, *AElian.* Lib. XII. Var. Hiſt. Cap. XXXII. Imo hodieque in ea eſt veneratione apud Indos, Zonae inprimis torridae incolas, ut ab illis ſub nomine *Brahma*, quem pro ſupremo Deorum ſuorum habent, colatur, quemadmodum Indi teſtantur ap. *P. della Vall.* in Itinerar. Tom. V. Cap. XVI. Vir ſapiens ac mente divina nominatur a *Lucian.* in Pſeudom. pag. 475. & Pro eo quod

inter

inter ſalutand. verbo laps. fuerat. pag. 270. Effigies ejus in Samiorum nummis ſervatur, docente Ampl. *Cuper.* Apoth. Hom. pag. 3. Qualis nummus aereus ex theſauro Chriſtinae Reginae reperitur ap. *Stanley.* de Philos. Graec. pag. 269. Vid. & *Gronov.* Tom. II. Thes. Antiq. Graec. Tab. XL. Tandem ipſi quoque Romae ſtatua poſita fuit, *Plin.* Lib. XXXIV. H. N. Cap VI. Conf. *Rhodig.* Lib. XXVIII. Cap. XII. Ante vero, quam de ejus ſcientia Medica verba facimus, notandum, quod, ſicuti §. praecedenti vidimus antiquitus Medicos & Sacerdotes eoſdem fuiſſe, ita etiam Ars Medica cum Philoſophia olim alteri tam arcte tenaciterque conjuncta fuerit, ut ne tantillum quidem ſejungi aut ſeparari poſſet; & hinc Medicina Philoſophiae ſoror audit ap. *Tertull.* de Anim. Cap. II. Vid. etiam *Iſiodor.* Lib. IV. Orig. Cap. XIII. & *Caſtell.* in Vit. Ill. Medic. ap. *Gron.* in Tom. X. Ant. Graec. pag. 862. Quare *Galen.* Lib. II. de Adminiſt. Anat. Cap I. dixit, non tantum veteres Medicos, verum etiam Philoſophos Anatomiae, quae Medicinae propria eſt, (ut veriſſime dixit *Macrob.* Lib. VII. Saturn. Cap. XIX.) diligentiſſimam operam navaſſe. Unde etiam Medicus Philoſophus Deo aequalis ab *Hipp.* de Decent. Ornat. Tom. I. pag. 55. vocatur. Conf. *Hipp. Obic.* de Nobil. Med. pag. 24. & 31.

31. & *Almelov.* Inv. Nov. Ant. pag. 116. Ita varii Philoſophi ut Medici laudantur ab *AElian.* Lib. IX. Var. Hiſt. Cap. XXII. *Fama eſt, Pythagoraeos ſummum ſtudium & operam medicandi facultati navaſſe. Plato etiam plurimum curae in eam contulit, item Ariſtoteles Nicomachi filius, aliique innumerabiles.* & *Cels.* in Praef. Lib. I. *Primoque medendi ſcientia, ſapientiae pars habebatur. ut & morborum curatio, & rerum naturae contemplatio ſub iiſdem auctoribus nata ſit: ſcilicet his hanc maxime requirentibus, qui corporum ſuorum robora inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia minuerant. Ideoque multos ex ſapientiae Profeſſoribus peritos ejus fuiſſe accepimus: Clariſſimos vero ex his Pythagoram, & Empedoclem, & Democritum.* Ac ita utraque haec Scientia ſororio quaſi vinculo conjuncta fuit ad Hippocratis tempora uſque, veluti patet ex eod. *Cels.* L. L. *Hujus autem (ut quidam crediderunt) diſcipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignis, ab ſtudio ſapientiae diſciplinam hanc ſeparavit, vir & arte & facundia inſignis.* Haec utcunque de Hippocrate prolata fuerint non tamen ita exponenda ſunt, quaſi Hippocrates voluit, ut Medicus ſe prorſus Sapientiae ſtudio abdicaret, ſed ea amputanda cenſuit, quae vel Logomachiam, vel nimiam curioſitatem olerent, quippe incre-

incredibilis in Medicina utilitatis ſtudium Phyſicum ipſe Hippocrates agnovit, ut jam jam vidimus, quum Philoſophum Medicum Deo aequalem diceret. *Almel.* Inv. Nov. Ant. pag. 117. Ut autem denique ad Pythagoram noſter recurrat ſermo, quemadmodum ex jam prolatis apparuit eum Medicinae operam dediſſe; ita illud affirmat *Jamblich.* in Vit. Pythag. pag. 139. & 196. & *Porphyr.* de Vita Pythag. Cap. XXXII. cum ita de eo loquitur: *Qui recte valerent, ſemper cum iis verſabatur; ſi quo corporis morbo laborarent, eos curabat: ſin animo aegrotarent, conſolabatur miſeriam, dolorem partim incantationibus magicisque carminibus, partim vero Muſica. Erant enim ei peculiaria quaedam carmina, quibus corporum morbis medebatur, quae cum accineret, aegros priſtinae ſanitati reſtituebat. Erant etiam, quibus doloris oblivionem inducebat, & iram mitigabat, & libidinem importunam eximebat.* Conf. *Voſſ.* de Sect. Phil. Cap. VI. §. 17. & *Kuhn.* ad *AElian.* Lib. IX. Var. Hiſt. Cap. XXII. Hinc *Apulei.* in Florid. medentem inducit Pythagoram. & *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. XXVIII. *Pythagoras*, inquit, *ne Medicinam quidem neglexit.* Certe quomodo negligeret, qui ipſe de re Botanica commentatus eſt? Nam primus omnium herbarum vires conſcripſiſſe, & Apollini atque AEſculapio conſecraviſſe fertur ap. *Plin.* Lib. XXV. H. N.

H. N. Cap. II. *Ab eo Pythagoras clarus ſapientia primus volumen de earum effectu compoſuit, Apollini AEſculapioque, & in totum Diis immortalibus inventione & origine aſſignata.* Quem librum aliqui Cleemporo Medico vindicare non dubitarunt, at iſtis reſpondet id. *Plin.* Lib. XXIV. Cap. XVII. dum ita ſcribit: *Nec me fallit, hoc volumen ejus a quibusdam Cleemporo Medico adſcribi: Pythagorae pertinax fama antiquitaſque vindicavit.* Scripſit & de Braſſica monente eod. P*lin.* Lib. XX. Cap. IX. de Scylla P*lin.* Lib. XIX. Cap. V. & *Apulei.* de Herb. Cap. X. XLIX. Hinc & ἰατρεύσων magis urbes luſtraſſe, quam διδάξων creditus ap. *AElian.* Lib. IV. Var. Hiſt. Cap. XVII. Porro Medicinam non tantum rem Diviniſſimam pronuntiavit, teſte *Apollon. Tyanens.* Epiſt. XXIII. ad Critonem, verum etiam Phyſiologiam Medicam, quamvis noſtro ſeculo minus accomodatam, interim tamen non omnino reprobandam, aetatis ratione habita, explicavit, ut docet P*lut.* de Plac. Philos. Lib. V. Cap. III. ubi dixit: *ſemen prolificum eſſe ſpumam utiliſſimi ſanguinis, ſuperfluitatem alimenti, ſicut ſanguinem & medullam.* Adſeruit inſuper Cap. V. Ipſas etiam foeminas ſemen in coitu emittere, cum habeant paraſtatas teſticulares, licet inverſo modo; verum enim vero, ſi hoc de ſemine prolifico intel-

intellexerit, certe tunc paululum aberravit: quippe mulieres oeſtro Venereo percitae materiam quidem ſemini analogam emittunt inter coëundum, quae ipſis exquiſitiſſimam parit voluptatem ſeu titillationem in genitalibus: ſed ſolummodo proſiliat ex glandulis vaginalibus uteri, per continuam membri virilis adfrictionem. Quis enim vellet illum humorem mucoſum venditare pro ſemine prolifico? Plura de hac quaeſtione deſiderantibus exhibentur ap. *Ariſtot*. Lib. I. de Gener. Anim. Cap. X. *Rhodig*. Lib. IV. Cap. X. *L. Vives* ad *Auguſt*. Lib. VI. Civit. Dei Cap. IX. & *Almel*. Amoenit. Theol. Philol. pag. 142. Attamen has & ob caeteras cauſas etiam Medicus habetur a *Borrich*. de Herm. AEgypt. & Chem. Sap. Cap. II. §. 4. *Barth*. Lib. XXXIX. Advers. Cap. I. pag. 1752. *Humelb*. ad *Apul*. de Virib. Herb. Cap. IV. & *Almel*. ad *Cael. Aurel*. Lib. III. Morb. Acut. Cap. XVII. Multum quoque in praxi Chemica verſatus dicitur ab eod. *Borrich*. de Ortu & Progr. Chem. ap. *Manget*. Tom. I. Bibl. Chem. pag. 22. Quod vero ad aetatem ejus attinet, recte queritur, quod de ea varias in partes iverint tam veteres, quam recentiores; ita ut arduum ſit verum a falſo, niſi divinando, diſtinguere. Neque minus in diverſa abeunt, ne de aliis jam dicam, Triumviri noſtra aetate doctiſſimi, qui de

de hoc argumento inprimis diligenter egerunt *Guil. Lloydius* Epiſcopus Coventrenſis & Lichfeldenſis (deinde Vigornenſis) in Lib. Anglice edito paginarum 76. cui titulus. A Chronological account of the life of Pythagoras and of other famous men his contemporaries: with an Epiſtle to the Rd. Dr. Bentleji aboun Prophyry's and Jamblichus's lives of Pythagoras Lond. A. MDCXCIX. 8to. & *Rich Bentlejus* in Apologia diſſertationis pro Epiſtolis Phalaridis, itidem Anglice edita. & *Henr Dodwellus* in Diſſ. III. de Cyclis Graec. §. 12. & in Diſſ. de AEtate Pythagorae Philos. Lond. A. MDCCIV. 8to. Quorum primus *Lloydius* dicit eum non ante Olymp. XLVIII. 3. natum. Alter vero *Bentlejus* non ante Olymp. XLIII. 4. ſuſtinet. Tertius autem *Dodwellus* ejuſdem nativitatem non poſt Olymp. LII. 4. extendendam eſſe adfirmat. De diverſis hiſce doctorum Triumvirorum ſententiis *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. II. Cap. XII. § 1. monet, inter extrema medium tutiſſimum eſſe ex *Liv.* Lib. XXVI. Cap. XLIX. *Si aliquibus aſſentiri neceſſe eſt, media ſimillima veris ſunt.* De Scriptis, quae ſub ejus nomine jactantur, an ſunt vera, an vero ſuppoſititia, Conſul. *Lucian.* in Dial. pro eo, quod inter ſalutandum verbo lapſus fuerat. pag. 270. *Stanley.* de Philos. Graec. pag. 308. *Voſſ.* Lib. IV. de Hiſt.

Graec.

Graec. Cap. II. & de Sect. Phil. Cap. VI. §. 2.

XXI. EMPEDOLES floruit circa Olymp. LXXXIV. id eſt. A M. MMMDMVI. *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. LI. & *Aldobr.* ad Segm. LVI. Quibus additur *Voſſ.* Lib. IV. de Hiſt. Graec. Cap. II. Pythagorae diſcipulus a *Timaeo* Lib. IX. Hiſtor. ap. *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. LIV. dicitur. *Porphyr.* de Vita Pythag. Cap. III. & *Jamblich.* pag. 203. eum quoque ponunt inter illos, qui juvenes Pythagoram jam ſenem audiverunt. At temporum ratione habita, juniorem Pythagoram prioris diſcipulum ab illo auditum contendit *Dodwell.* in Diſſ. de AEtate Pythag. pag. 220. Vid. *Tanaq. Fab.* Vit. Poët. Graec. ap. *Gron.* Tom. X. Ant. Graec. pag. 769. *Cozzand.* de Magiſt. Ant. Philos. pag. 323. & *Drieberg.* in Append. ad *Prid.* Conn. Sacram inter & Prof. Hiſt. pag. 62. Hic Empedocles adeo in Medicina verſatus fuit, ut de Medicina libros compoſuiſſe legatur ap. *D. Laërt* Lib. VIII. Segm. LXXVII. De Natura Animalium ſcripſiſſe videtur, nam *Plin.* hujuſmodi hiſtoriae naturalis ſcriptores enumerans eum inter illos recenſet Lib. I. Etiam aliquot de Natura libros, Pauſaniae ejus diſcipulo dedicatos, reliquit, teſte *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. LX. Quorum fragmentum, ut

quidam volunt, eſt Libellus iſte de Sideribus octavi orbis, qui Empedoclis Sphaera inſcribitur; ſed obſtat, quod ea fuerint Heroico carmine ſcripta, haec vero Jambis conſtent. Conſul. *Voſſ.* de Poët. Graec. Cap. VI. pag. 33. *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. LXXVII. & *Fabrit.* Bibl Graec. Lib. II. Cap. XII. §. 9. apud quem ipſum carmen reperire eſt. Adeoque non immerito Medici nomine inſignitur ap. *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. LVIII. Pythagoreos enim praecipuos Medicinae amatores fuiſſe §. praeced. ex *AElian.* Lib. IX. Var. Hiſt. Cap. XXII. vidimus. Praeterea ſuis remediis morbos & ſenectutem arcuiſſe ipſe teſtatus fuit in ſequenti Carmine:

Φάρμακα δ' ὅσσα γεγᾶσι κακῶν, καὶ γήραος ἄλκαρ
Πεύσῃ, ἐπεὶ μούνῳ σοὶ ἐγὼ κρανέω τάδε πάντα.

Pharmaca queis pellas morbos, leveſque ſenectam,
Percipies, quae cuncta tibi communico ſoli.

Quod poëma reperitur ap. *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. LIX. Ut Medicus citatur a *Galen.* Lib. I. Meth. Med. Cap. I. & *Cael. Aurel.* Lib. II. de Morb. Chron. Cap. V. Eum Medicis quoque annumerat *Cels.* in Praef. Lib. I. Vid. *Voſſ.*

Voſſ. de Philos. Cap. XI. §. 15. & *Kennet.* de Poët. Graec. pag. 102. Quippe non ſolum Theoriam Medicam intellexit, quemadmodum ex *Plut.* per totum Lib. V. de Placit. Philos. patet, verum etiam ipſam exercuit Praxin, cujus praeclara dedit ſpecimina; nam haud parvam ſibi famam comparavit ex eo, quod reſtituerit foeminam ἄπνουν, id eſt, ſine reſpiratione, quare *Mercur.* Lib. IV. Var. Lect. Cap. XIV. recte id exponit per foeminam ſuffocatione uteri laborantem, & inter mortuas jam relatam, quam proinde a mortuis veluti ad vitam revocaſſe apud plebem credebatur, *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. LXVII. Ad quam mulierem reſpicit *Plin.* Lib. VII. H. N. Cap. LII. Heraclidis volumen memorans, de muliere ſeptem diebus exanimi, & ad vitam ab Empedocle revocata. Mulieres enim talem ſuffocationem paſſae mortuorum instar ſine reſpiratione videntur, & integros ſaepe dies continuos in tali ſtatu verſantur, & ut mortuae ſepeliuntur: hinc ſemper cautum fuit, ne ejuſmodi foeminae hyſtericae ante diem tertium vel quartum ſepulturae tradantur, vel cultro Anatomico ſubjiciantur, quia nonnunquam inter operandum poſſent reviviſcere. *Marcell. Donat.* Lib. VII. de Hiſtor. Medic. Mirabil. Cap. XI. Quale ferme infortunium etiam ſecundum relationem quorun-

dam contigiſſe dicitur Magno Andreae Veſa-lio, qui propterea Hiſpania, cujus Regis Archiater nobiliſſimus erat, excedere, (quamvis aliud hujus itineris praetextum adfert *Merck-lin.* Linden. Renov. pag. 55.) longamque peregrinationem inſtituere coactus fuit, & animi moerore poſtea confectus, dolore & poenitentia rei tactus, non multo poſt vitam cum morte commutavit. Vid. *de la Cerd.* ad *Tertull.* de Anim. Cap. X. & Clar. *Veſalii* Reſtauratores *Boerhav.* atque *Albin.* in Praefat. ad *Veſal.* Praeter quos de ejus morte quoque conſuli poteſt *Conring.* Introd. in Ait. Med. Cap. IV. §. 26. & Additam. ad hunc locum At in viam. Tandem denique etiam legimus quod, dum Selinuntios ex circumjacentis fluvii foetore peſtis invaſiſſet, adeo ut ipſi perirent, & uxores partu periclitarentur, ab ea illos liberaverit; cum duos quoſdam rivulos ex vicinis amnibus proprio ſumtu in flumen illud immitteret, ut ex commiſtione aquae dulceſcerent. Vid. *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. LXX. qui & Segm. LX. ſimile quid, at multo ridiculius, refert his verbis: *Namque Eteſiis aliquando vehementer flantibus, adeo ut fruges corrumperent, excoriari aſinos juſſit, factiſque utribus eos collibus & montium verticibus admoveri ad comprehendendos flatus, ceſſantibusque ventis ab eventu rei* κωλυσανέμαν *vocatum*

eſſe

eſſe. Quid vero eo ineptius fingi poteſt? Quod hic refert *D. Laërtius*, Empedoclem excoriatis compluribus aſinis, & eorum pellibus oppoſitis auſtro, excluſiſſe ventum; & ſimul peſtem, quam pernicioſi iſti flatus Agrigentinis inducebant. Cui adhuc aſſentitur *Suid.* in voce *Empedocles*. Imo & hinc aliqui eum vocarunt κωλυσανέμαν, id eſt, flatum inhibentem, uti ex *D. Laërt.* L.L. affirmat *Rhodig.* Lib. XX. Cap. XVIII. Verum enim vero hanc hiſtoriam paulo aliter ac rectius refert *Plut.* de Curioſit. Cap. I. *Empedocles Phyſicus, cum animadvertiſſet gravem quendam & peſtiferum Auſtrum per montis ſciſſuram in campos mitti, obſtructa ea, peſtem a loco avertiſſe viſus eſt.* Poſtremo Empedoclem peſtem ope ignis ſedaſſe narrat *Plin.* Lib. XXXVI. H. N Cap. XXVII. Conf. *Mercur.* Lib. IV. Var. Lect. Cap. XIV. & *Menag.* ad *D. Laërt.* L. L. Honores hinc ipſi Divinos detulerunt Selinuntii, ut *Diodorus Epheſius* ap. *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. LXX. refert. Imo quantum ſua valuit auctoritate apud Agrigentinos docet *Stanley.* de Philos. Graec. pag 315. Statua etiam ipſi poſita legitur ap. *D. Laërt.* L.L. Segm. LXXII. Ejus effigiem praeter *Stanley* & *D. Laërtium* etiam ſervat *Gronov.* Tom. III. Antiq. Graec. Tab. bbbbb.

XXII. DEMOCRITUS ſecundum quos-

dam Mileſius, *Voſſ.* Lib. IV. de Hiſt. Graec. Cap. II. & *Torrent.* ad *Horat.* Art. Poët. ỿ. 297. Cum quibus ſtare videtur *Meurs.* Lib. III. Bibl. Graec. ap. *Gron.* Tom. X. Thes. Ant. Graec. pag. 1348. At rectius Abderites fuit: *Pomp. Mela* Lib. II. Cap. II. & *Diod. Sic.* Lib. I. Cap. XXXIX. Hinc Democritus Abderites quoque vocatur ab *Ariſtot.* Lib. II de Reſpir. Cap. II. a *Lucian.* in Macrob. pag. 916. & in Philopſeud. pag. 841. a *Laberio* ap. *A. Gell.* Lib. X. Noct. Att. Cap. XVII. & a *Clem. Alex.* Lib. II. Paedagog. affirmante *Oiſel.* ad *A. Gell.* Lib. XIX. Cap. II. Conf. *Caſtell.* de Vit. Ill. Medic. ap. *Gron.* Tom. X. Ant. Graec. pag. 873. Natus fuit Olymp. LXXX. ut *Apollodorus* in Chronicis refert, quamvis *Thraſyllus* (Ambo reperiuntur ap. *D. Laërt.* Lib. IX. Segm. XLI.) in eo Libro, qui erat de legendis Democriti libris, illum natum voluit A. 3. Olymp. LXXVII. Sed Thraſyllum ibi erraſſe probavit *Stanley.* de Philos. Graec. pag. 340. Inſpiciatur quoque *Cozzand.* de Magiſt. Ant. Philos. pag. 373. Ex nobili familia natus fuit, Herculis enim ex fratre nepos erat, ut S. P. Q. Abderitarum in Epiſt. ad *Hipp.* Tom. II. pag. 903. teſtatus fuit. Pater illius tantas poſſedit divitias, ut epul. totum Xerxis exercitum, qui flumina potando exſiccabat, cum ſupra centena myriada

ic

id eſt, decies centena millia militum eſſet, ex facili exceperit, docente *Val. Max.* Lib. VIII. Cap. VII. §. 4. Hinc facile conjici poteſt, patris divitias prope infinitas fuiſſe, quum & unicuique trium filiorum adhuc ſummam, quae centum talenta exceſſit, reliquerit, *D. Laërt.* Lib. IX. Segm. XXXVI. Cujus ſummae maximam partem patriae donaſſe dicit *Val. Max.* L. L. Fratribus permiſiſſe mavult *AElian.* Lib. IV. Var. Hiſt. Cap. XX. At ipſum forte rectius haec omnia conſumpſiſſe affirmat *D. Laërt.* L. L. Vid. *Caſtell.* in Vit. Ill. Med. ap. *Gron.* Tom. X. Ant. Graec. pag. 868. & *Cellar.* ad *Lactant.* Lib. III. Divin. Inſtit. Cap. XXIII. Quare etiam, cum lege cautum eſſet apud Abderitas, ut, qui patrimonium conſumpſerat, ſepulcro patrio indignus haberetur, illis praelegit *Magnum Diacoſmum*, in quo de Mundo & Univerſo diſputabat, *Dalecamp* ad *Athen.* Lib. IV. Cap. XIX. Ac in illius cognitionem omnia bona dilapidaſſe profeſſus fuit: hinc a popularibus ita honoratus fuit, ut eum non tantum quingentis talentis, verum etiam aereis imaginibus donaverint, ac vita functus publice ſepultus fuerit. Tandem a plerisque Divinis honoribus dignus judicatus fuit, uti haec omnia habentur ap. *D. Laërt.* Lib. IX. Segm. XXXIX. & *Athen.* L. L. Hic Vir adeo diſcendi cupi-

 ditate

ditate deflagravit, ut non ſolum in AEgyptum ad percipiendas litteras contendit, ſed etiam Perſidem, Chaldaeam, Indiam &c. peragravit, *AElian* Lib. IV. Var. Hiſt. Cap. XX. *Cic.* Lib. V. de Fin. Bonor. & Malor. Cap. XIX. & *Strab.* Lib. XV. pag. 1029. Quibus annectitur *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib. IX. Segm. XXXV. Unde ipſe ap. *Euſeb.* Lib. X. Praep. Euang. Cap. II. ita locutus: *Ego multo plures quam omnes caeteri homines, qui modo ſunt, regiones peragravi, multas urbes vidi, nec quiſquam me in demonſtratione linearum ſuperare potuit. Octoginta annos longe a patria diſciplinarum amore abfui.* Quo itinere reverſus diſſectionibus Anatomicis animalium aſſidue vacabat, ut genuinam bilis ſedem naturamque perſpectam haberet. Cum autem eo tempore ipſa animalium viſcera ſpectare nefas haberetur, docente *Tertull.* in Lib. de Anima diverſis in locis; hinc Abderitae videntes hominem antea Sapientiſſimum, & illis tanti habitum, perpetuo ſolitarium & mira quaeque peragentem ipſi opus eſſe helleboro exiſtimarunt; miſerunt itaque ad Hippocratem ſupplicantes, ut Abderam veniret Democritumque curaret, ut patet ex Epiſt. quam S. P. Q. Abderitarum ſcripſerunt ad *Hipp.* Tom. II. pag. 901. Ex qua etiam conſtare poteſt, quanti eum fecerunt, cum ita ſcribunt: *Leges noſtras puta-*

mus

mus aegrotare ô Hippocrates, leges praevaricari, Adſis Optime Vir, curaturus Virum inſignem. Non Medicus, ſed conditor, ſacratiorem tota Jonia murum nobis circumdabis Civitatem non virum curabis: & Senatum aegrotantem, & ne claudatur periclitantem, aperies. Ipſe legiſlator, ipſe judex, ipſe princeps, ipſe ſervator, & horum artifex advenies Ob haec te expectamus, ô Hippocrates, atque haec etiam fient ubi veneris. Una civitas non ignobilis, imo tota Graecia rogat te, ſerva corpus Sapientiae. Vid. etiam *Hippocratis* Epiſt. ad Damagetum Tom. II. pag. 911. & 913. Hippocrates vero ad eum accedens, invenit compoſite admodum ſuper genua librum habentem; alii quidam utraque ex parte ei adjaciebant; crebra animalium cadavera, per totum diſſecta accumelata erant. Hic autem interdum contento ſtudio ſcriptioni incumbebat, interdum multum ſubſiſtens, & apud ſe anxie cogitans, quieſcebat. Deinde exſurgens deambulabat; & animalium viſcera attente inſpiciebat, hiſque depoſitis reverſus deſidebat. Vid. *Hipp.* L. L. pag 914. Poſtquam vero erudite invicem diſſeruiſſent, eximia Democriti ſapientia magnam movit Hippocrati admirationem, unde ad Damagetum ita ſcripſit: *Non inſanit Democritus ſed ſuper omnia ſapit, & nos ſapientiores effecit, & per nos omnes homines.* Quibus

verbis forte *Cels.* in Praef. Lib. I. Philoſophos Medicos enumerans, & *Suid.* in voce *Hippocrates.* inducti Democritum Hippocratis praeceptorem faciunt. Quae ſententia *Mercur.* Lib. III. Var. Lect. Cap. VI. etiam placuit. Contrarium vero docet *Caſtell.* in Vit. Ill. Med.ap. *Gron.* Tom. X. Ant.Graec. pag.864. Ulterius ſicuti ex his *Hipp.* Epiſtolis clare apparet eum exactam Anatomes notitiam habuiſſe, ita etiam reliquarum Medicinae partium haud imperitus fuit: nam ſic Botanicus videtur, cum multa de herbis reliquerit, indicante *Plin.* variis in locis, ut Lib. XXI. H. N. Cap. XI. & Lib. XXIV. Cap. XVII. & Lib. XXV. Cap. II. Cui additur *Varro.* Lib. I. de Re Ruſt. Cap. I. *Pallad.* Lib. I. R. R. Cap. XXXV. *Colum.* Lib. I. de R. R. Cap. I. & Lib. XI. Cap. III. & *Plin. Valer.* Lib. IV. de Re Med. Cap. XXXIV. De Lapidibus ſcripſiſſe fertur ap. *Senec.* Epiſt. XC. & *Petron.* Cap. LXXXVIII. Conf. quae habentur ap. *Salm.* Tom. I. Exerc. Plin. pag. 69. De Animalibus legitur ap. *Plin.* Lib. I. mentionem facientem eorum, quorum opera in Lib. XI. & XII. componendis uſus erat, nam eum ut ſcriptorem de Animalibus ibi laudat. Imo id. *Plin.* Lib. XXVIII. Cap. VIII. merito ei attribuit Librum de vi & natura Chamaeleontis: licet *A. Gell.* Lib. X. Cap. XII. exiſtimat:

mat illum librum Democrito plana indignum cenſeri. Etiam ſcripſit de Sympathiis & Antipathiis, cujus fragmentum ſervat *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. IV. Cap. XXIX. Ut Medicus adfertur a *Marcell.* de Medicam. Cap. VIII. & XXXV. Denique Chemiae peritus ex eo fertur, quod varia hac in ſcientia ſcripta reliquiſſet, uti probare nititur *Borrich.* in Conſpect. Chem. Celeb ap. *Manget.* Tom. I. Bibl. Chem. pag. 39. Pluribus vero in Lib. I. de Herm. AEgypt. & Chem. Sap. Cap. III. §. 15 Quae ſcripta edita ſunt cum *Ant. Mizaldi* Memorabilium centuriis novem, Colon. A. MDLXXII. in 12. teſte *Mercklin.* Linden. Renov pag. 243. De hiſce ſcriptis conſulatur *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. VI Cap. VII. §. 17. & Cap. VIII. §. 1. Caeterum aeque Medicina Practica ac Theoretica cum non fugit, nam de Elephantiaſi ſcripſit, *Cael. Aurel.* Lib. IV. Morb. Chron. Cap I. Etiam de Morbis Convulſivis, id. *Cael. Aurel.* Lib. III. Morb. Acut. Cap. XIV. Qui ejus remedium de Hydrophobia quoque laudat Cap. XVI. Inter *Hippocratis* opera Tom. I. pag. 281. hodie adhuc reperitur Libellus de Natura hominis, qui Democrito attribuitur. Conf. *Conring.* Introd. in Art. Med. Cap. III. §. 9. *Almel.* Inv. Nov. Ant. pag. 93. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. II. Cap. VI. & III. Cap. XXX.

Imo

Imo Libellus de Humoribus, qui ap. *Hippocr.* exſtat Tom. I. pag. 315. & de Morbo Sacro, qui occurrit Tom. II. pag. 324. a quibusdam Democrito quoque adſcribuntur. Vid. *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib. IX. Segm. XLVI. Ultimus tamen hic Liber de Morbo Sacro ab aliis Ariſtoteli vindicatur, uti *inf.* § 25. videbimus. Praeterea remedium inveniſſe perhibetur, quo pulcri bonique, & fortunati gignantur liberi, teſte *Plin.* Lib. XXVI. H. N. Cap. IV. cujus remedii deſcriptionem id. *Plin.* Lib. XXIV. Cap. XVII. tradit, hiſce verbis: *Hermeſias ab eodem vocatur, ad liberos generandos pulcros, bonoſque: non herba, ſed compoſitio e nucleis lineae nucis tritis cum melle, myrrha, croco, vino palmeo, poſtea admiſto theombrotico & lacte: bibere generaturos jubet, & a conceptu puerperas partum nutrientes: ita fieri excellentes animo & forma, atque bonos.* Idem illud argumentum noſtris temporibus tractaſſe vidimus *Janum Huartum* in Scrutinio Ingeniorum pag. 213 Non leve quoque hujus Democriti practicae experientiae fuit documentum, & fidem humanam pene ſuperans, quod ex lacte ſibi, in congreſſu Hippocratis modo memorato, allato ſtatim agnoverit eſſe caprae nigrae & primiparae. Quae certe res in admirationem haud levem conjecit Hippocratem, imo ſtupore propemodum cum

eum occupavit, poſtquam puellam, Hippocratis comitem, primo die ita ſalutavit, *Salve Virgo*; poſtridie vero, *Salve Mulier*. Fuerat enim puella nocte illa vitiata. *D. Laërt.* Lib. IX. Segm. XLII. & *Suid.* in voce *Democritus*. Adeoque non mirum, quod inter hodiernos Medicos plurimi jactent, ſe evidentia habere ſigna, quibus dignoſcunt prima ſeptimana, an foemina ſit impraegnata nec ne, cum forte per metempſychoſen aliqua animae Democratianae pars vacans eorum cerebrum occupaverit. Ad Theoreticam ſuam quod pertinet ſcientiam, intelligimus, quod non inepte judicaverit coitum, id eſt, tempus illud, quo inter coëundum ſemen profunditur, eſſe parvam quandam Epilepſiam. *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib. IX. Segm. XLIII. Mirae enim geſticulationes, quas in coëuntibus obſervare licet, eſſe in actu Venereo revera aliquid convulſivi vel epileptici haud obſcure probant. Haec de coitu opinio ab A. *Gell.* Lib. XIX. Cap. II. & *Macrob.* Lib. II. Saturn. Cap. VIII. etiam Hippocrati adſcribitur. haec eorum ſunt verba: *Hippocrates autem, Divina vir ſcientia, de coitu Venereo ita exiſtimabat, partem eſſe quamdam morbi teterrimi, quem noſtri comitialem dixerunt. Namque ipſius verba haec traduntur*, τὴν συνȣσίαν ἔιναι μικρὰν ἐπιληψίαν. Verum enim vero nullibi apud Hippocratem hujusmodi verba occurrunt: quare potius *Gellium*

lium memoria lapſum credimus. *Macrobium* enim ut *Gellii* compilatorem non moror. Nam ſi illud Hippocratis dictum fuiſſet, Democrito non aſſignaſſet Hippocratis enarrator *Galen.* in Comm. I. in Lib. III. Epidem. Hippocr; uti *Oiſel.* ad *A. Gell.* L. L. ex *Menag.* L. L. tacito tamen ejus nomine, docet; quemadmodum mecum ibi obſervavit *Gronov.* Poſtremo denique nutritionem foetus in utero materno per os jam defendit, docente *Plut.* Lib. V. de Placit. Philos. Cap. XVI. Quod problema hodie adhuc in Phyſiologorum ſcholis frequenter agitari videmus, quibuſdam nutritionem per os, aliis per vaſa umbilicalia eandem fieri, utrumque aliis defendentibus: rationes vero utrinque prolatas invicem committere, propoſitum noſtrum hac vice non patitur. Plura de ejus ſcriptis videſis ap. *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib. IX. Segm. XLIX. *Meurs.* Lib. III. Bibl. Graec. ap. *Gron.* Tom. X. Thes. Ant. Graec. pag. 1350. *Wower.* de Polym. Cap. XVI. ap. *Gron.* L. L. pag. 1069. *Salm.* Exercit. Plinian. Tom. I. pag. 520. & 591. & *Stanley.* de Philos. Graec. pag. 352.

XXIII. HIPPOCRATES Cous Medicorum Oraculum, a *Strab.* Lib. XIV. Geogr. pag. 972. unus Nobilium Coorum nominatur; quippe ex regio Aſclepiadarum ſanguine natus fuit, ut patet ex Orat. *Theſſali* Hippocra-

pocratis filii, ad Athenienſes ap. *Hipp.* Tom. II. pag. 945. *Me vero in Macedoniam emiſit. Cum Regibus enim Heraclidarum, qui iſthic imperium obtinent, paterna nobis intercedit amicitia.* Quippe ſi paternam reſpicias proſapiam, AEſculapium; ſi maternam, Herculem generis agnovit auctores: unde *Paetus* in Epiſt. ad M. Artax. ap. *Hippocr.* Tom. II. pag. 897. exſtante, ita ſcribit: *Eſt igitur Divinus Hippocrates, nonus quidem a Criſamide Rege, decimus autem & octavus ab AEſculapio, vigeſimus vero a Jove: ex matre vero Praxithea Phaenaretes filia, ex familia Heraclidarum. Quare ex utroque ſemine a Diis ortum habet Divinus Hippocrates, ut qui a patre quidem Aſclepiades eſt, a matre vero Heraclides.* Cons. *Soran.* in Vita Hippocr. Tom. II. pag. 951. Stemma ejus paternum poſt *Hier. Henninges.* Theatr. Geneal. Tom. I. pag. 300, 423, & 425. *Rein. Reinecc.* Hiſt. Juliae, ſive Syntagm. Heroic. Tom. I. pag. 64. & *Joh. Tzetzen.* Hiſt. VII. Chiliad 150. 945. ap. *Vander Linden* in ſua *Hipp.* Edit. Tom. II. pag. 956. latius expoſuit *Joh. Meiboom.* ad Jusjur. Hippocr. Cap. I. Quem iterum emendavit *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. IV. Cap. I. & Part. II. Lib. I. Cap. I. Faciliori tamen methodo digeſtum expectamus a *Dan. Wilh. Trillero*, quemadmodum Vir ille in ſua de Nova *Hip-*

po-

pocratis Editione adornanda Diſſert. pag. 5 promiſit. Quae Editio erit in 4to majori & quidem duobus Voluminibus: eodem plane modo, ac *Diogenes Laërtius* cum Notis *Menagii* ac *Variorum*, per *Weſtenios* eleganter A. MDCXCII. luci expoſitus fuit. Quando & ſtemma Hippocratis maternum, quod nemo, quod ſcio, hactenus congeſſit, accurate pertextum dabit. Quanta illius Viri fuerit aeſtimatio patet ex Celeberrimis de eo teſtimoniis, quae in aſſidua auctorum lectione ſeſe offerunt; illa enim tam praeclara ac ingentia ſunt, ut in Panegyrico nil ultra afferri poſſe videatur, quod celebre illius nomen ulterius poſſit extollere quare illius laudes compilare potius, quam novi aliquid adducere videremur, quum celeberrimum illius nomen in aeternam memoriam jam ſatis propagatum ſit, omnium gentium litteris ac linguis ad ſtuporem uſque acclamatum: nam in *Macrob*. Lib. I. in Somn. Scip. Cap. VI. paulo ante finem teſtatur, *Quod tam fallere quam falli neſcit*. Dictum ſane quod ſoli Deo convenit; ſolius enim Dei eſt nec fallere nec falli: quippe de nullo mortalium certo dici poteſt, attamen *Macrob*. tribuit Hippocrati, ut admirabilem illius ſcientiam eveheret & commendaret. *Galen*. Lib. I. de Uſu Part. Corp. Hum. Cap. IX. dicit: *Ejus ſententias, ut Dei vocem, habendas*

&

& *Suid.* in voce *Hippocrates* ita locutus fuit: *Tantique faciunt, ut Divinas non autem ex humano ore progreſſas voces eſſe putent.* Etiam vocatur Vir divina natura praeditus, atque Princeps divinae ſcientiae in Epiſt. Paeti ad M. Artax. ap. *Hippocr.* Tom. II. pag. 897. Medicorum Maximus ap. *Senec.* Ep. XCV. Imo, per excellentiam, tanquam alter AEſculapius, ΣΩΤΗΡ appellatus fuit. Vid. *Steph. le Moyne* Var. Sacr. pag. 127. ap. *Elſner.* in *Johann.* Addit. pag. 504. Caeterum *Auguſt.* Lib. V. de Civit. Dei. Cap. II. ex *Cicerone* Hippocratem Nobiliſſimum nominat Medicum. Quo vero in loco *Cicero* ita loquutus ſit, non memini me unquam legiſſe, ni forte haec verba ex Libello de Fato fuerint, quem qui attente inſpicit, inveniet mutilum lacerumque & plenum mendarum ad nos perveniſſe. Denique humanae ſapientiae Coryphaeus dicitur a *Barth.* Lib. V. Advers. Cap. III. & Magnus naturae Apollo ab *eod.* ad *Claud.* Praef. in VI. Honor. Auguſt. Conſul. ℣. 1. *Lips.* in Centur. II. Miſcell. Epiſt. XLIV. dixit: *Tres ſunt, quos admirari unice ſoleo, & qui in hominibus exceſſiſſe mihi humanum faſtigium videntur, Homerus, Hippocrates, Ariſtoteles. R. a Caſtro.* Lib II. Med. Polit. Cap. VI. *Caſaub.* ad *Athen.* Lib. I. Cap. XII. *Rhodig.* Lib. XX. Cap. XII. Videſis,

quae reperiuntur ap. *Soran. Ephes.* in Praef. Iſag. in Art. Med. Cl. *Ott.* Tom. I. Thes. Jur. pag. 336. *G. a Reies.* Elys. Camp. Jucund. Quaeſt. IV. §. 1. ſeq. & V. D. ad *A. Gell.* Lib. XVII. Cap. XI. Honores, quibus eum instar Dei veteres proſequuti fuerunt, non repetam, cum de illis *ſup.* Sect. II. Cap. V. §. 1. egimus. Porro vel in gratiam Democriti Hippocrates Jonica lingua ſuos conſcripſiſſe fertur libros, teſte *AElian.* Lib. IV. Var. Hiſt. Cap. XX. Vel potius, quod illam Dialectum tanquam ſuaviorem pluribus ſcire probari, *Mercur.* Lib. II. Var. Lect. Cap. XVIII. Caeteroquin Dorica, ut lingua patria uſus fuiſſet; nam praeter *AElian.* L. L. conſtare videtur Coos Dorice loquutos fuiſſe ex eo, quod Coorum ad Artaxerxem reſponſum, Dorice conſcriptum ſit; reperitur ap. *Hippocr.* Tom. II. pag. 899. Quippe iti Coi inter Dorienſes numerantur ap. *Strab.* Lib. XIV. pag 965. *Porro autem Rhodii itidem ut Halicarnaſſii, Cnidii, & Coi, ſunt* Dorienſes. *Nam qui Megara condiderunt Dorienſes, poſt mortem Codri partim ibi manſerunt: partim cum Althaemene Argivo ſocios ſe deducendae in Cretam coloniae adjunxerunt: partim in Rhodum & modo dictas urbes diſperſi ſunt.* Hinc quoque *Paetus* in Epiſt. ad M. Artax. jam ſaepius laudata, ita ſcribit: *Et genere quidem eſt*

Dori-

Dorienſis, *ex civitate vero* Co. Confer. *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib. IX. Segm. XLII. De ejus autem ſcriptis, ut diſcamus, quaenam ſint vera, quaenam vero ſuppoſititia, adeundi ſunt Cornar. ad *Marcell.* de Medic. in principio. *Wower.* de Polymath. Cap. XVI. ap. *Gron.* Tom. X. Thes. Ant. Graec. pag. 1070. *Caſtell.* in Vit. Ill. Medic. ap. *Gron.* L. L. pag. 867. *Hier. Mercur.* in Cenſur. & Diſquiſit. Oper. Hippocr. & Lib. IV. Var. Lect. Cap. IX. *Borrich.* de Herm. AEgypt. ac Chem. Sap. Lib. II. Cap. I. §. 9. Additam. ad *Conring.* Introd. in Art. Med. Cap. IV. §. 26. *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib. III. Segm. LXVI. *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 11. *Voſſ.* de Philoſ. Cap. XI. §. 23. *Cozzand.* de Magiſt. Antiq. Philos. pag. 384. *Almel.* Inv. Nov. Ant. pag. 42. & pag. 225. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. III. Cap. XXX. *Prid.* Conn. Sacram inter & Prof. Hiſt. Tom. I. pag. 606. *Triller.* in Diſſert. modo laud. pag. 5. & 6. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. II. Cap. X. §. 18. & Videantur, quae §. praeced. diximus. Prima horum ſcriptorum Graeca Editio fuit Venet. A. MDXXVI. ap. *Aldum.* Fol. Latina variis Interpretibus Baſil. A. MDXXVI. Fol. (quamvis nonnulla ejus ſcripta Latine, & ex Arabico fere tranſlata edita fuerunt Venet. A. MCDXCIII. & MCDXCVII. docente

Beughem. Incunab. Typograph. pag. 74. Graeco-Latina *Hier. Mercurialis* Venet. A. MDLXXXVIII. Fol. Ultima autem Editio huc dum eſt *Joh. Ant. vander Linden*. Lugd. Batav. A. MDCLXV. ap. *Gaasbeckios*. III Vol. in 8to. Nitido charactere, per oras paginarum annotata praecipuarum praegreſſarum Editionum harmonia. Inſpici poteſt *Mercklini* Linden. Renov. pag. 435. Notae autem, quas vir ille parabat, interveniente morte lucem non viderunt; uti ex Praefatione conſtat. Verum non poſſum non dicere, quod *Barthol.* Diſſ. IV. de Lib. Legend. pag. 92. annotet, Hippocratis nec primam Editionem Graecam Venetam approbari, quia manca; nec primam Latinam Romanam *Calvi*, (forte enim illa Baſil. ap. *Cratandrum* A. MDXXVI. ei ignota fuit) quia ſenſu deficit; nec primam Graeco-Latinam *Mercurialis*, licet novo ordine digeſtam, quia in numerum interpretum male ille ſe ingeſſit, judicio *Caſtrenſis*; nec ultimam *Lindeni* Lugd. Batav. licet nitidiſſimam, quia ingenio ſuo abuſus in textu emendando audacius, ſicut in Celſo, verſatus eſt; ſed Mediam in Latinis *Cornarii*, in utraque lingua *Foëſii*, Medicis commendari. Plura de his Editionibus habentur ap. *Guid. Patin.* Tom. III. Epiſt. pag. 177. ſeq. *Ephemer.* *Gallic.* die Lunae XXII. Feb. A. MDCLXVII.

Con-

Conring. Introd. in Art. Med. Cap. III. §. 8. & *Triller*. L. L. pag. 4. & 6. Vitam Hippocratis, quam hodie habemus, *Soranus Epheſius* ut verus auctor conſcripſit; nam, quamvis *Fabrit*. Bibl. Graec. Lib. II. Cap. XXIV. §. 1. quoſdam Viros Doctos ſecutus in alia fuit ſententia, nimirum quod haec vita ex *Sorani Coi* Β'οις ἰατρῶν, *Hiſtomachi Epheſii* Libris περὶ τῆς Ἱπποκράτους αἱρέσιος, & *Andreae Medici* περὶ τῆς ἰητρικῆς γενεαλογίας opere utcunque collecta eſſet; re tamen poſtea perſpecta facile vidit *Sorano* nullis idoneis argumentis vitam illam eripi poſſe, quae Meſſ. *Cod*. ei tribuitur, quippe *Soranus*, qui in illa vita bis citatur non *Epheſius*, ſed antiquior *Cous* fuit. Vid. *Fabrit*. Bibl. Graec. Lib. VI. Cap. VII. §. 10. Caeterum magno flagramus deſiderio novae Hippocratis vitae, quam deſcribet *Triller*. in Prolegom. quae ſuae Editioni praemittentur, in quibus de ſtemmate tam paterno, quam materno, aetate, ſtudiis, peregrinationibus, moribus, religione, meritis in artem ſalutarem, inventionibus, ſcriptis, ſtylo, dialecto, tandem morte Magni noſtri Hippocratis accurate ſe acturum promiſit in Diſſ. laud. pag. 4. Plura ad Hippocratem ſpectantia reperiuntur ap. *Tiraq*. de Nobil. Cap. XXXI. §. 45. *Meib*. ad Jusjur. Hipp. Cap. XXI. *Drelinc*. Oper. Med. pag. 668. &

Fabrit. Bibl. Graec. Vol. XIII. pag. 191

XXIV. Divinus PLATO Athenienſis ex illuſtri familia natus fuit, ut *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib III Segm. I. oſtendit contra *Senec.* qui in Ep. XLIV. de Platone ita ſcripſerat: *Platonem non accepit nobilem Philoſophia, ſed fecit.* Verum *Lips.* ut *Senecam* defenderet, hunc locum hoc modo capiendum ac adjuvandum cenſet, ad *Senec.* L. L. quaſi dixiſſet, *Philoſophiam Platonem non accepiſſe tam nobilem id eſt celebrem, famoſum; ſed feciſſe.* Nam eo ſenſu hoc vocabulum ſaepius adhibetur, ut *nobile facinus* ap. *Cicer.* Lib. I. in Verr. Cap. XXXIII. *Nobilis locus in medio Italiae* ap. *Virg.* Lib VII. AEn. ℣. 563. *Cic.* pro Cluent. Cap XXI. & *Lactant.* de Mort. Perſecut. Cap. XXXII. Videſis *Fer. Adduens.* Lib. III Explicat. in Tit. de Jure Immun. ap. Cel. *Ott.* Tom. II. Thes. Jur. pag. 567. & *Gothofr.* ad L. VII. Cod. de Poſtuland. Natus dicitur Olymp. LXXXVIII. ab *Apollodoro* in Chronicis ap *D. Laërt.* Lib. III. Segm. II. quamvis alii paulo differunt. Qua de re conſuli merentur V. D. ad *D. Laërt.* L. L. & *Scalig.* ad *Euſeb.* Chron. pag. 100 Antea ex avi nomine Ariſtocles, deinde vero ob humerorum latitudinem a praeceptore Ariſtone Plato nominatus fuit, *Serv.* ad *Virg.* Lib. VI. AEn. ℣. 668. Quod alii ob pectoris latitudi-

nem

nem factum dicunt, ut *Senec.* Ep. LVIII. Quamvis alii id frontis latitudini, alii egregio corporis habitui, ap. *D. Laërt.* Lib. III. Segm. IV. Alii iterum copioſo atque aperto dicendi generi, quo uſus fuit, adſcribunt, ut *Olympiod.* in vita Platon. qui reperitur in Tom. II. *D. Laërt.* Edit. Amſt. A. MDCXCII. & *Apul.* de Phil. Natur. Lib. I. in princ. Studiorum ergo varias hic Vir inſtituit peregrinationes, de quibus conſuli merentur *Cic.* Lib. V. de Finib. Bon. & Mal. Cap. XIX: *Plin.* Lib. XXX. H. N. Cap. I. *Val. Max.* Lib. VIII. Cap. VII. §. 3. V. D. ad *A. Gell.* Lib. XVII. Cap. XXI. *Lactant.* Lib. IV. Divin. Inſtit. Cap. II. & *Auguſt.* Lib. VIII. de Civit. Dei Cap. IV. An vero hoc in itinere commercium habuerit cum Judaeis & inprimis cum Propheta Jeremia non plane conſtat; unus enim affirmat, alter vero & rectius negat, ut ex Chronologia fecit *Auguſt.* Lib. VIII. de Civit. Dei Cap. XI. Videſis *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib. III. Segm. VI. *Wouwer.* ad *Minut Felic.* Octav. pag. m. 155. *Stanley.* de Philos. Graec. pag. 152. & 155. *Clercq.* Tom. III. Art. Critic. Ep. VII. *Prid* Conn Sacram inter & Prof. Hiſt. Tom. I. pag. 615. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. III. Cap. I. Illum Philoſophorum Regem, quemadmodum a *Lactant.* Lib. III. Divin. Inſtitut. Cap. XVII.

vocatur, Medicinae quoque incubuiſſe concludimus ex his *AEliani* verbis Lib. IX. Var. Hiſt. Cap. XXII. *Platonem etiam plurimum curae in eam* (Medicinam ſcil.) *contulit.* Imo probe eam noviſſe clare apparet cum ex aliis ſuis operibus, tum vero ex Timaeo, in quo definit, quid ſit ſanitas corporis, quid morbus, diſtinguit febrium aliorumque morborum ſpecies, ſingulorumque rationes aſſignat: atque de pharmacis multa ſcribit, & alia pleraque ad Medicinam pertinentia. *Fabrit.* Bibl. Graec. Vol. XIII. pag. 370. De febribus etiam ſcripſiſſe teſtatur *A. Gell.* Lib. XVII. Cap. XII. qui & Cap. XI. iſtius Libri, & *Macrob.* Lib. VII. Cap. XV. inſpici poſſunt: quibus adjungitur *Mercur.* Lib. III. Var. Lect. Cap. V. ne emendatio duorum poſteriorum locorum nos fugiat. Praeterea accurate inveſtigaſſe dicitur animalium vitas, plantas herbarumque naturas, teſte *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 259. Unde praeſtantiſſimus Anatomicus habitus fuit a *Caſtell.* in Opt. Med. pag. 36. & ita a *Galeno* infinitis in locis, quos omnes recenſet *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. IV. Cap. XVII. pag. 583. ut Medicus ad partes vocatur. *Galenus* ſingulari quoque opere, quod adhuc inter ejus ſcripta invenitur, *Hippocratis* & *Platonis* dogmata examinavit,

navit, & in *Platonis* Timaeum commentaria ſcripſit, quorum fragmentum etiam ap. *Galen.* reperire licet. Caeterum de Platonis ſcientia Medica plura habet *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. IV. Cap. III. Nomen iſtius Viri adeo celebratum fuit, ut eum variis & honorificis exornaverint titulis, ita *Lucian.* in Dial. pro eo, quod inter ſalutandum verbo lapſus fuerat pag. 270. eum Virum admirabilem & fide dignum vocat. & in Macrob. pag. 916. Philoſophorum Sanctiſſimum. a *Lactant.* Lib. I. Divin. Inſtit. Cap. V. Omnium Sapientiſſimus laudatur. a *Cicer.* in Conſol. pag. 1292. Philoſophorum Princeps ac Magiſter nuncupatur. Etiam Divinus dicitur Plato ap. *Apul.* in Apolog. pag. 290. & *Rhodig.* Lib. II. Cap. II. Apud quem etiam ut alter Moiſes occurrit Lib. XVI. Cap. XXIV. & Lib. XXX. Cap. XXXVII. Confer. *Barth.* ad *Claudian.* Conſul. Manlii Theod. ℣. 149. Mithridates Perſa hoc honoris habuit & Platoni, ut in Academia Muſis dicaret Platonis imaginem cum hac inſcriptione: MITHRIDATES. RHODOBATI. FILIUS. PERSES. MUSIS. IMAGINEM. PLATONIS. DICAVIT. SILANIONIS. OPUS. ut ex *Phavorino* docet *D. Laërt.* Lib. III. Segm. XXV. Quae ſtatua hodie in Bibliotheca Magni Etruriae Ducis reperitur, docente *Lomeier.* de Biblioth.

blioth. pag. 199. Quanti eum fecit Dionyſius Siciliae Rex conſtat ex *Plin.* Lib. VII. H. N. Cap. XXX. *Platoni ſapientiae Antiſtiti Dionyſius tyrannus, alias ſaevitiae ſuperbiaeque natus, vittatam navem miſit obviam: ipſe quadrigis albis egredientem in littore excepit.* Vid. etiam *AElian.* Lib. IV. Var. Hiſt. Cap. XVIII. & C. *Jul. Solin.* Polyh. Cap. I. in fine. Ab eodem Dionyſio etiam pluſquam octoginta talenta accepiſſe fertur a *D. Laërt.* Lib. III. Segm. IX. Quin imo tanta ejus fuit fama, ut Apollinis filium veteres eum jactaverint, *Plut.* Lib. VIII. Sympos. Quaeſt. I. *Itaque eos, qui Apollinis filium faciunt Platonem, non puto aliquam Deo ei contumeliam facere, qui nobis hunc majorum vitiorum & morborum Medicum Socratis, tanquam alterius Chironis opera paravit.* Paulo poſt: *De Platone quidem, inquit, dignum eſt canere & dicere:*

Non hic creditus mortali de patre natus
Eſſe: Deo genitore ſatus ſed ducere vitam.

Nec non a quibuſdam e Virgine natus dicebatur; Vid. *Rhodig.* Lib. XIV. Cap. I. Conf. quae inveniuntur ap. *Olympiod.* in Vita Platon. *Driberg.* in Append. ad *Prid.* Connex. Sacram inter & Prof. Hiſtor. pag. 88. *Ald. Manut.* ad *Cic.* de Senect. Cap XIII. & *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib. III. Segm. II. Qu

& ib

& ibi annotat ejus Natalem ſingulari quotannis religione inter Academicos celebratum fuiſſe. Sacrificia illi tanquam viro amplioris ſortis, quam humanae, oblata indicat *Senec.* Ep. LVIII. *Nam hoc ſcis, puto, Platoni diligentiae ſuae beneficio contigiſſe, quod natali ſuo deceſſit, & annum unum atque octogeſimum implevit, ſine ulla deductione. Ideo Magi, qui forte Athenis erant, immolaverunt defuncto, amplioris fuiſſe ſortis quam humanae rati* &c. Etiam inter Semideos locatur ab *Auguſtin.* Lib. II. Civit. Dei Cap. XIV. Aram privata religione Platoni poſuit Ariſtoteles, quae continebat inſcriptionem: *Hunc eſſe illum, quem probi omnes merito debeant mirari & commendare.* Ita enim ſonat:

Βωμὸν Αριϛοτὲλης ἐνιδρύσατο τόνδε Πλάτωνος,
Ανδρος, ὃν ὄυτ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.

Gratus Ariſtoteles ſtruit hocce altare Platoni
Quem turbae injuſtae, vel celebrare nefas.

Uti ex *Ammonio* in vita Ariſtotelis docet Ampl. *Cuper.* in Apoth. Hom. pag. 4. Tandem denique ejus effigiem nummis impreſſerunt, teſte *Patin.* in Diſſert. de Numm. cujus una parte effigies Auguſti Imp. altera Platonis exſtat. ap. *Gron.* Tom. IX. Ant. Graec. pag. 1595. Effi-

Effigies ejus quoque exhibetur a *Gronov.* Tom. II. Antiq. Graec. Tab. LXXXIII.

XXV. ARISTOTELES Peripateticorum, teſte *Cicer.* Lib. V. de Finib. Bon. & Malor. Cap. III. Princeps, non, ut quibusdam placuit, Thrax, ſed Graecus dicendus eſt; natus enim fuit Stagyris in Macedoniae finibus ad ſinum Strymonium, quae tempore ejus nativitatis pars Macedoniae fuit; antea quidem ſub Thracia comprehendebatur, ſed Philippus Alexandri M. pater, qui regnum maxime ampliavit, hanc quoque urbem bello cepiſſe videtur ex his *Plutarchi* verbis in Alexand. Cap. XI *Stageira enim, patriam ejus, antea a ſe dirutam, inſtauravit, & cives, qui vel diffugiſſent vel ſervirent, reſtituit.* Conf. *Voſſ.* de Sect. Phil Cap. XVII. §. 1. Ab AEſculapio genus ducebat, quippe Nicomachum Ariſtotelis patrem (qui Amyntae Macedonum Regis & Medicus & amicus erat, *Stanley* de Philos. Graec. pag. 197.) a Nicomacho Machaonis filio, & AEſculapii nepote originem traxiſſe teſtatur *Hermippus* ap. D. *Laërt.* Lib. V. Segm. I. Quemadmodum a ſtemmate paterno, ita etiam a materno AEſculapium generis auctorem agnovit, uti tradit auctor, (qui ſive ſit *Ammonius*, ſive *Joh. Philoponus*, *Fabric.* Bibl. Graec. Lib. III. Cap. VI. §. 39.) in Vita Ariſtot. ex ſequenti in Ariſtotelem Epigrammate:

Φαιϛ-

Φαιςίδος ἦν μητρὸς καὶ Νικομάχου γενετῆρος,
Τῶν Ἀσκληπιαδῶν, δῖος Ἀριςοτέλης.

Nicomacho genitus fuit hic patre, Phaeſtide matre,
Ambo Aſclepiadae, diûs Ariſtoteles.

De ejus natalibus diſquirit *Leo Allat.* in Diſſert. de Script. Socrat. pag. 122. Ita ut haereditario quaſi jure Medicina ad eum pertinuerit, quippe ex Aſclepiadarum fuit natus familia, cui haec Scientia ſacra fuit, ut *ſup.* Sect. I. Cap. VII. §. 2. vidimus. Hinc ejus filius, de nomine tum avi cum patris Nicomachus appellatus, etiam Medicus fuit; & ex filia nepos nomine Eraſiſtratus, de cujus fama, quam in Medicina conſequutus fuit, mox agemus. Non mirum igitur, quod tam praeclare de Medicina meritus fuerit; etenim non abſque magnà ſane corporis peritia tam elegantem Diaphragmatis, Lib. III. de Part. Animal. Cap. X. Omenti, ib. Lib. IV. Cap. III. & Meſenterii, Lib. IV. Cap. IV. deſcriptionem dedit. Imo non tam accurate arterias & venas Iliacas, Lib. III. de Part. Animal. Cap. V. Emulgentes, ib. Cap. VII. & Vaſa Spermatica, Lib. III. de Hiſtor. Animal. Cap. I. niſi Anatomiae peritiſſimus deſcripſit. Non denique niſi in Anatomicis verſatiſſimus nobis oſtendit

dit Lib. I. de Hiſt. Animal. Cap. XVI. & Lib. II. de Part. Animal. Cap. VII. hominem plurimum habere cerebri proportione magnitudinis, illudque humidiſſimum, & id contineri a duabus membranis, altera oſſi adhaerente valida; altera ipſum cerebrum attingente infirmiori. Deinde vero Lib. III. de Hiſt. Animal. Cap. XIII. nos docuit membranam ambire ſingula tum oſſa tum viſcera, tam in majori quam in minori animalium genere: verum in minori ſenſum effugere, quoniam admodum tenuis atque exigua ſit: & maximas inter membranas, duas eſſe illas, quibus cerebrum opertum munitur: alteram ſupra adhaerere oſſi, quae firmior & craſſior eſt; alteram infra contiguam cerebro: membranam praeciſam non iterum coire: & oſſa ſuis diſpoliata membranis ſyderari. Praeterea nonne cui maxima movetur admiratio, ſi nervoſam ejus abortus deſcriptionem legat Lib. VII. de Hiſt. Animal. Cap. III. Quis ultimo efficacioribus argumentis confutavit eos, qui credunt foeminas ut mares ſemen emittere prolificum, quum Lib. I. de Gener. Animal. Cap. X. ita loquatur: *Quod autem ſemen conferri a foemina per coitum nonnulli exiſtimant, propterea quod interdum ſimili voluptate afficiatur ut mas, ſimulque aliquid humoris ſecernat, id non humor ſeminalis eſt, ſed loci proprius* &c:

Ut

Ut Phyſiologus de cauſis canitiei egit, oſtendente *Caſaub.* ad *Athen.* Lib. XV. Cap. XIII. Majorem hic hujusmodi argumentorum poſſem accumulare acervum, niſi memorata ſufficere exiſtimarem ad ejus peritiae Medicae laudem divulgandam: quisquis enim, ſi modo animo ſincero citata perpendat loca, lubens libenſque fatebitur, Ariſtotelem magnum fuiſſe Medicum. Scio equidem Ariſtoteli (aeque enim ut quisque ſuos patitur manes) hanc laudem a quibusdam denegari, quod in multis lapſus fuit: verum enim vero temporis ratione habita illud facile ei condonandum videtur, quippe ſaepius bonus dormitat Homerus. imo id quoque partim nimiae ejus credulitati adſcribi debet. At quantum illi, qui ignorantiae glaciem omnium fere primus in rebus Anatomicis fregerit, ac tam multa & praeclara in poſteritatis emolumentum conatus fuerit, Eruditus debeat Orbis, in confeſſo eſt. In Ariſtotelem forte ſtudio partium ductus, paulo acerbius commentatus fuit Celeb. *Borrich.* de Herm. AEgypt. ac Chem. Sap. per totum Cap. X. Lib. I. ut Conringium, qui ejus Hermetis & Paracelſi manes inquietaverat, laederet. Summo igitur jure hic Philoſophorum Princeps variis in locis a *Galen.* ut Medicus citatur. Id enim jam fecerat *Varro.* ap. *Nonium*:

Hoſ-

Hoſpes quid miras nummo curare Serapin?
An non tantidem curat Ariſtoteles?

Eum Medicinae amantem oſtendit *AElian.* Lib. IX. Var. Hiſt. Cap. XXII. Quam Alexandrum M. docuiſſe videtur ap. *Plut.* in Alex. Cap. XIII. Qualis quantusque fuerit Medicus, ſatis etiam conſtare puto ex Libris, quorum auctor fuit. Sic Anatomicorum Libros octo ſcripſiſſe fertur a *D. Laërt.* Lib. V. Segm. XXV. Ita ut recte inſignis habetur Anatomicus a *Caſtell.* in Opt. Med. pag. 36. & *Paſch.* Inv. Nov. Ant. Cap. VI. §. 15. De plantis quoque duos conſcripſiſſe Libros id. *Laërt.* L. L. reliquit: quos forte reſpexit ipſe *Ariſtot.* Lib. V. Hiſt. Animal. Cap. I. cum ita ſcribat: *Ut enim ſtirpes aut ſemine ſtirpium aliorum proveniunt, aut ſponte erumpunt, primordio quodam contracto ad ortum idoneo, quarum aliae ex terra alimentum ſibi hauriunt, aliae in ſtirpibus aliis & naſci & augeri ſolent, ut in libris de ſtirpibus ſive plantis expoſuimus.* Unde *Quintil.* Lib. XII. Inſtit. Orat. Cap. XI. dicit: *Eum animalium ac ſatorum naturas perquiſiviſſe.* Vid. & *Varro.* Lib. I. de Re Ruſt. Cap. I. Atqui duo iſti Libelli de Plantis, qui ſub Ariſtotelis nomine hodie inter ejus opera circumferuntur, recentioris ſunt temporis, uti oſtendit *Fabrit.* Bibl.

Graec.

Graec. Lib. III. Cap. VI. §. 19. Quaedam ejus ſcripta Chemica recenſet *Merklin.* Linden. Renov. pag. 88. Attamen ea ſuppoſititia habet *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. IV. Cap. IV. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. VI. Cap. VII. §. 17. Praeterea duos alios Ἰατρικὰ, id eſt, Medicinalia inſcriptos compoſuit, uti *D. Laërt.* Lib. V. Segm. XXV. docet. Verum quidem eſt, *Editionem Frobenianam* Τακτικὰ loco Ἰατρικὰ habere, quam lectionem *Caſaubonus* amplexus fuit; at male: nam Ariſtotelem Ἰατρικὰ ſcripſiſſe veroſimile eſt, cum peritiſſimus fuerit Medicus, ſicuti ex dictis & adhuc dicendis clare apparet. Conf. *Menag.* ad *D. Laërt.* L. L. Arabes & hodie poſſident quinque de Medicina Libros, qui Ariſtoteli adſcribuntur, teſte *Herbelot.* Bibl. Orient. pag. 972. Liber de Morbo Sacro, qui Hippocrati vulgo attribuitur, Ariſtotelem etiam habet auctorem, uti affirmat *Mercur.* Lib. IV. Var. Lect. Cap. IX. De Ebrietate ſcripſiſſe narrant *Macrob.* Lib. VII. Saturn. Cap. VI. & *Apollon.* Hiſt. Mirab. Cap. XI. Tandem hodie adhuc inter ejus opera varia reperiuntur ad Medicinam ſpectantia, veluti Libellus de Reſpiratione, Problemata, Libri quatuor de Partibus Animalium, quinque de Generatione Animalium, item Libri decem de Hiſtoria Animalium, quorum primi quatuor agunt de partibus,

ſenſu, memoria & aliis affectionibus hominis & animalium omnis generis: tres proximi de eorum ortu, octavus & nonus de vita, & decimus de cauſis ſterilitatis. Attamen ultimus hic de ſterilitate Liber Ariſtotelis non eſt, vel ſaltem ad Hiſtoriam Animalium non pertinet, obſervante *Voſſ.* de Philos. Cap. V. §. 29. Haec Animalium Hiſtoria olim LXX. complexa fuit Volumina ſecundum *Antigonum* in Hiſt. Anim. Cap. LXVI. At ſecundum *Plin.* tantum L. circa Animalium Hiſtoriam ſcripſit Volumina, uti Lib. VIII. H. N. Cap. XVI. loquitur: *Ariſtoteles diverſa tradit, vir quem in iis magna ſecuturus ex parte praefandum reor. Alexandro M. Rege inflammato cupidine animalium naturas noſcendi, delegataque hac commentatione Ariſtoteli, ſummo in omni doctrina viro, aliquot millia hominum in totius Aſiae Graeciaeque tractu parere juſſa, omnium quos venatus, aucupia, piſcatusque alebant: quibusque vivaria, armenta, alvearia, piſcinae, aviaria in cura erant: ne quid uſquam gentium ignoraretur ab eo: quos percontando, quinquaginta ferme volumina illa praeclara de Animalibus condidit: quae a me collecta in arctum, cum iis quae ignoraverat, quaeſo ut legentes boni conſulant.* Eum de Animalibus quaedam memoriae tradidiſſe affirmat *Cic.* Lib. V. de Finib. Bon. & Malor. Cap. IV.

IV. Conf. *Caſaub.* ad *Athen.* Lib. VIII. Cap. XII. & XIII. Imo M. Alexander, qui quamdiu incorrupta & integra ejus mens ab adulatoribus & crapula manſit, tam munificus erga Doctos & eorum amator fuit, ut Ariſtoteli ob hanc Animalium Hiſtoriam DCCC. talenta donaverit, teſte *Athen.* Lib IX. Cap. XIII. *Nam Stagiriten rumor increbuit, ab Alexandro donatum fuiſſe talentis octingentis ad impenſam condendis iis libris neceſſariam.* Quae faciunt vel 480000. aureorum ſecundum *Dalecamp.* ad *Plin.* L. L. *Camer.* Oper. Subcis. Cent. I. Cap. IV. & Cent. II. Cap. LV. & *Kuhn.* ad *AElian.* Lib. IV. Var. Hiſt. Cap. XIX. Vel 600000. amplius thalerorum ſecundum *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. III. Cap. VI. §. 16. Quemadmodum vero *Athen.* hoc loco hanc liberalitatem Alexandro, ita *AElian.* L. L. Philippo vindicat, quare *Kuhnius* eos ibi ita conciliandos cenſet, quod forte Philippo operis incepti, filio vero conſummati impenſae debeantur. Caeterum Magnus ille Ariſtoteles Magni Alexandri praeceptor fuit, *Cicer.* Lib. III de Orat. Cap. XXXV. *A. Gell.* Lib. XX. Cap. V. & *AElian.* Lib. III. Var. Hiſt. Cap. XVII. Quippe Philippus Alexandri pater in Epiſtola ad Ariſtotelem ap. *A. Gell.* Lib. IX. Cap. III. exſtante, gloriatur ſibi filium eſſe tempore tam egregii praeceptoris: quam epiſtolam, quo-

niam curae diligentiaeque in liberorum diſciplinas hortamentum eſt, hic ad commovendos parentum animos inſerendam duxi: *Philippus Ariſtoteli ſalutem dicit. Filium mihi genitum ſcito. Quod equidem Dis habeo gratiam: non proinde quia natus eſt, quam pro eo, quod eum naſci contigit temporibus vitae tuae. Spero enim fore, ut eductus eruditusque abs te dignus exſiſtat, & nobis & rerum iſtarum ſuſceptione.* Hinc apud Philippum ejusque uxorem Olympiam in tanto fuit honore, ut imperium quaſi cum eo communicaverint, indicante *Ammon.* in Ejus Vita. Nec non ipſe Alexander eum ut patrem habuit, *Plut.* in Alexand. Cap. XIII. Nam a patre vitam, ab hoc vero, ut bene viveret, accepiſſe dicebat. Imo tantum apud Alexandrum ſua valuit auctoritate, ut ejus hortatu ſuaſuque urbem Stagira, quam prius pater Philippus ſolo aequaverat ac diruerat, iterum inſtauraret, & cives vel fugitivos vel ſervos reſtitueret. *Val. Max.* Lib. V. Cap. VI. §. 5 *AElian.* Lib. XII. Var. Hiſt. Cap. LIV. *Plutarch.* tamen id per Philippum factum fuiſſe teſtatur in Alexand. Cap. XI. Plura habent V. D. ad *Plin.* Lib. VII. H. N. Cap. XXIX. & ad *AElian* Lib. III. Var. Hiſt. Cap. XVII. Cujus beneficii memores Stagiritae quotannis in ejus memoriam celebrant Feſtum Ἀριστοτέλειον nuncupatum, *Voſſ.*

Lib.

Lib.I.de Idolol. Cap. XIII. & *Caſtell.* in Vit.Ill. Medic. ap. *Gron.* Tom. X. Ant Graec.pag. 877. Menſemque ipſum, in quem Feſtum illud incidit, Stagiritem vocant, *Ammon.* in Ejus Vita. Quod ſuo adhuc tempore duraſſe teſtatur *Joan. Mandevill.* in Itiner. Cap. II. qui circa A. Chr. MCCCXXII. illas regiones viſitavit, docente *Blount* in Cens. Celeb. Auctor. pag. 34. Illi ſtatua erecta videtur ex iis, quae *Grang.* ad *Juven.* Sat. II. ℣.6. adfert. Ipſi poſt mortem a popularibus Mauſolaeum exſtructum, aramque poſitam fuiſſe oſtendit *Stanley* de Philos. Graec pag. 209. Effigies ejus reperitur ap. *Gron.* in Tom. II. Antiq. Graec. Tab. XC. Tandem quosdam honoris ergo numismata aerea ſignaſſe cum ejus imagine, quorum in adverſa parte NATURAE MIRACULUM eſſet inſcriptum, teſtatur *D. Hieron.* in Cap. III. *Jonae* ap. *Cozzand.* de Magiſt. Antiq. Philos. pag. 129. Daemonii cognomine a quibusdam etiam inſignitus fuit, veteribus enim verbum illud non adeo odioſum atque infeſtum fuit, quam hodie; ſed eo ſaepe Deus ſignificatur, & pro admirabili & immenſo illud Graeci uſurpant. *Rhodig.* Lib. II. Cap. II. Qui & Lib XXIX. Cap. VIII. inſpici poteſt. Plura egregia Ariſtotelis Elogia reperiuntur ap. *Cic.* Lib. V. de Finib. Bon. & Mal. Cap. III. *Plut.* in Alex. Cap XI. *AElian.* Lib. XIV. Var. Hiſt. Cap. I. *Plin.* Lib. XVIII. H. N. Cap. XXXIV. *Auguſt.* Lib. VIII. de Civit.

Dei Cap. XII. Quibus jungatur *Voſſ.* de Sect. Philos. Cap. XVII. §. 5. Hic vir etiam primus omnium Bibliothecam conductis libris compoſuit, idque AEgypti Reges facere docuit, *Strab.* Lib. XIII. Geogr. pag. 906. Quae deinde a Theophraſto ejus diſcipulo poſſeſſa fuit, docente *Caſaub.* ad *Athen.* Lib. I. Deipnoſoph. Cap. II. Vid & *Drieberg.* in App. ad *Prid.* Conn. Sacram inter & Profan Hiſtor. pag. 113. De Scriptis vero ejus tum deperditis, tum exſtantibus plura traduntur a *Rhodig.* Lib. XVII. Cap. XVII. & Lib. XV. Cap. XX. *Meurs.* Lib. I. Bibl. Graec. in Voce *Ariſtoteles.* ap. *Gron.* Tom. X. Thes. Ant. Graec pag 1255. *Camers.* ad *Flor.* Lib. III. Cap. VI. §. 6. *Wower.* de Polymath. Cap. XIII. ap. *Gron.* L. L. pag. 1060. & Cap. XVI. pag. 1069. *Petit.* Lib. II. Miſcell. Cap. XIX. *Lomeier.* de Biblioth. pag. 86. *Stanley.* de Philos. Graec. pag. 214. & *Fabric.* Bibl. Graec. Lib. III. Cap. VI. & VII. & Lib. II. Cap. X. §. 17. De ratione, cur & Ariſtotelis & aliorum ſcriptorum libri tam corrupti mendiſque ſcatentes ad nos pervenerint, videatur *Almel.* Inv. Nov. Ant. pag. 44. Editorum ejus Operum prima fuit Editio Graeca Venet. A. MCDXCVIII. fol. Charactere luculento, IV. Vol. una cum ſcriptis *Theophraſti* & *Philonis* Lib. de Mundo, & Hiſto-

Hiſtoria Philoſophica *Galeno* adſcripta. Editio elegantiſſima & Eraſmi aetate jam perrara, & quae caro ſtetit pretio: ante aliquot enim annos in auctione Guidiana veniit quinquaginta Marcis Lubicenſibus, docente *Fabrit.* L. L. Cap. VI. §. 38. Prima Latina fuit Venet. non ex *Aldi* officina, ut habet *Labbeus*, ſed per *Gregorium de Gregorio*, expenſis *Benedicti Fontanae* A. MCDXCVI. fol. Prima Graeco-Latina eſt Lugd. A. MDXC. fol. cum Variorum Latina interpretatione, & variis lectionibus atque caſtigationibus ab *Iſaaco Caſaubono* in ora Libri adſcriptis. De varia Ariſtotelis fortuna ſingularem edidit Librum *Joh. Launojus* Theol. Sorbonicus Pariſiis ad *Henr. Ludov. Mommorium* A. MDCLIII. 8vo. qui recuſus fuit Hagae-Comit. A. MDCLVI. 4to. cujus ſumma habetur ap *Fabrit.* L. L. §. 39. Qui vero plura de Ariſtotele ſcire cupiunt, adeant *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 265. *L. Vives* ad *Auguſt.* Lib. VIII. Civit. Dei Cap. XII. & V. D. ad *AElian.* Lib. V. Var. Hiſt. Cap. IX.

XXVI. PHILIPPUS Acarnan M. Alexandri Medicus, non ex Plebeja ſed Nobiliſſima familia natus, ſuoque Regi puero Comes & Cuſtos ſalutis datus, *Curt.* Lib. III. Cap. VI. §. 1. *Erat inter Nobiles Medicos e Macedonia Regem ſequutus Philippus natione Acar-*

Acarnan, fidus admodum Regi: puero Comes, & Cuſtos ſalutis datus, non ut Regem modo, ſed etiam ut alumnum eximia caritate diligebat. Nobilis enim hoc loco non, ut §. 24. vidimus, denotat celebrem, famoſum, ſed ex Illuſtri Familia natum, uti V. D. ad *h. l.* docuerunt. Inque fidiſſimorum ordinem amicorum a Rege receptus fertur a *D. Sic.* Lib. XVII. Cap. XXXI. qui tamen in cauſa iſtius amicitiae aſſignanda errare videtur, nam Philippum demum ab Alexandro ob felicem, de qua jamjam agemus cura, ut amicum habitum aſſerit: cujus contrarium evidenter conſtare exiſtimo ex loco *Curt.* modo citato, & ex *Arrian.* Lib. II. de Exped. Alex. M. Cap. IV. Adeoque concludimus Regi a teneris jam amicum fuiſſe. Egregium ſuae non minus fidelitatis quam peritiae Medicae ſpecimen edidit, in reſtituendo Rege in articulo quaſi mortis poſito, ex imprudenti in Cydnum amnem ingreſſu aeſtate fervidiſſimo diei tempore graviter decumbente. Nam Rex aeſtu itinerisque fervore, cum Tarſum Ciliciae urbem veniſſet, percalefactus, Cydnique, qui aquae liquore conſpicuus Tarſum interfluit, amoenitate captus, projectis armis, plenus pulveris ac ſudoris praefrigidam in undam ſe projicit. Subito deinde ex nimio hauſtu rigoris obſtupefactis nervis, ac torpore hebetatis artubus,

adeo

adeo decubuit, ut intercluſa voce non ſpes modo remedii, ſed nec dilatatio periculi inveniretur. Quantum autem fidei Alexander illi habuit, ſatis patet, quod intrepide, nulla prius ab eo inquiſitione facta, acceperit, hauſeritque potionem, quam Philippus ei praeparaverat: quamvis a Parmenione, purpuratorum intimo, vel, ut alii, a matre Olympia litteras acceperat, quibus ei denuntiabat, *ne ſalutem ſuam Philippo committeret: mille talentis a Dario & ſpe nuptiarum ſororis ejus eſſe corruptum.* Veluti hanc hiſtoriam referunt *Senec.* Lib. II. de Ira Cap. XXIII. *Juſtin.* Lib. XI. Cap. VIII. *Val. Max.* Lib. III. Cap. VIII. §. 6. *Plut.* in Alexand. Cap. XXX. Caeterum ex felici hujus curationis ſucceſſu tanto honore accumulatus fuit, ut praeter magnificentiſſima dona ab Alexandro accepta, teſte *D. Sic.* L. L. quisque pro ſe dextram amplexi eidem veluti praeſenti Deo gratias haberent, ſicuti *ſup.* Sect. II. Cap. V. §. 2. oſtendimus. Porro Philippum, quem *Celſ.* Lib. III. Cap. XXI. Epirotem, Regiſque Antigoni Medicum dicit, eundem cum hoc Philippo Acarnane, Alexandri M. Medico fuiſſe contendit *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. IV. Cap. IV. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Vol. XIII. pag. 166. Cujus ſententiae hanc dat rationem, quod Acarnania partem Epiri

 con-

conſtituat; unde aeque Epirotes ac Acarnan dici poſſet. Praeterea credit, quod facile fieri potuerit, Philippum, qui Alexandri M. Medicus fuerat, etiam Antigoni Alexandri M. ſucceſſoris Medicum fuiſſe. Conf. *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. pag. 188. & *Voſſ.* de Philos. Cap. XI. §. 31.

XXVII. ERASISTRATUS patria Juliates (Julis enim ſive Julias urbs in inſula Cio ſive Ceo una Cycladarum inſularum teſte *Pintian.* ad *Pomp. Mel.* Lib. II. Cap. VII. §. 94. & *Torrent.* ad *Horat.* Lib. IV. Od. IX. ℣. 7.) ut diſertis verbis docent *Strab.* Lib. X. Geogr. pag. 745. *Suid.* in Voce Ἐρασίστρατος. & *Dalecamp.* ad *Athen.* Lib. XV. Deipnoſoph. Cap. I. Unde patet *Steph. Byzant.* in Voce Κῶς eum male vocaſſe Coum; & *Galen.* in Med. Cap. IV. Chium: ambo forte parva vocum Cios, Cous, & Chius differentia decepti. *Galen.* quoque Lib. X. de Compos. Pharm. ſec. loc. Cap. III. alicujus Eraſiſtrati Sicyonii meminit. Ab Imperatore *Iuliano* in Miſopog. pag. 347. *Edit. Spanhem.* dicitur Samius: quae errandi occaſio Imperatori abſque ullo dubio nata fuit, quia juxta montem Micalem e regione Sami ſepultus fertur a *Suid.* L. L. Vid. *Spanhem.* Tom. I. Exerc. Plin. pag. 102. Ex Ariſtotelis filia genitus fuit ſecundum *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. Secundum alios vero, ut *Suid.* L. L.

L. L. fuit filius Cretoxenes Medii Medici ſororis, quas diverſas ſententias conferre tentant *Harduin.* ad *Plin.* L. L. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. I. Cap. II. Hujus Eraſiſtrati fama tanta fuit, ut Maximus Medicorum a *Plin.* Lib. XIV. H. N. Cap. VII. Nobiliſſimus veterum Medicorum a *Macrob.* Lib. VII. Cap. XV. Celeberrimus Medicus ab *App.* in Syriac. pag. 204. nuncupetur. Medicae profeſſionis Solertiſſimus a *Rhodig.* Lib. XX. Cap. XV. Quin imo a quibuſdam Hippocrati par dictus fuit, teſte *Galen.* de Venaeſect. Contr. Eraſiſtr. Cap. IV. De praemiis, quibus donatus fuit *ſup.* Sect. II. Cap. IV. §. 4. egimus. Nomen ejus adeo celebratum fuit, quod deprehenderit atque curaverit Antiochi Regis amorem; quippe Seleuci Regis filius Antiochus novercae Stratonices infinito amore correptus, memor quam improbis arderet facibus, impium pectoris vulnus pia contegebat diſſimulatione. Itaque diverſi affectus iisdem viſceribus ac medullis incluſi, ſumma cupiditas, maximaque verecundia ad ultimam tabem corpus ejus redegerunt. Jacebat ipſe in lectulo moribundo ſimilis: lamentabantur neceſſarii: pater moerore proſtratus, de obitu unici filii, deque ſua miſerrima orbitate cogitabat: totius domus funebris magis, quam Regius erat vultus.

tus. Sed hanc triſtitiae nubem Eraſiſtrati Medici providentia diſcuſſit: juxta enim Antiochum ſedens, ut eum ad introitum Stratonices rubore perfundi & ſpiritu increbreſcere, eaque egrediente pallere, & excitatiorem anhelitum ſubinde recuperare animadvertit; curioſiore obſervatione ad ipſam veritatem penetravit. Intrante enim Stratonice, & rurſus abeunte, brachium adoleſcentis diſſimulanter apprehendendo; modo vegetiore, modo languidiore pulſu venarum comperit, cujus morbi aeger eſſet. Vel ſecundum *Suid.* L. L. manu cordi admota ex palpitatione cauſam mali apprehendit. Quotieſcunque enim Antiochus novercam ſuam forte tranſeuntem vidiſſet, totius cor ejus prae amore vehementius ſolito palpitabat. Cauſa igitur morbi ita percepta, huic morbo ut mederetur, hac arte uſum ferunt, ut Seleuco patri dixerit illum novo morbo implicitum, videlicet nimio amoris incendio, quo niſi èxpleretur, ſanari non poſſe. Sed addit ejus quidem mulieris amore correptum, quam conſequi minime poſſet. Stupefactus Seleucus, Cur, inquit, ſi hujus aegritudinis amor cauſa eſt, languenti filio opitulari non poſſumus? ingenium nobis, an facultates deſunt? Quaenam quaeſo tanta cupiditas, aut qualis amor adoleſcentem corripuit, qui omnes nobis deliberandi rationes excludat?

dat? At vero Eraſiſtratus, Meam, inquit, uxorem adoleſcens ardet. Tum Rex multis eum lacrymis & precibus, miriſque pollicitationibus rogat Eraſiſtratum, ut illam in conjugium filio daret, cui tantum regnum deberetur. Cui reſpondens Eraſiſtratus, hoc facile tu pater nobis enarras, verum forte aliter ſentias, ſi Stratonicem tuam amaret Antiochus. Utinam inquit Seleucus, aut Dii, aut homines facultatem darent, ut hunc amorem permutare meo arbitratu poſſem. Deos enim obteſtor, quod ſi ea, quae mihi cariſſima ſunt, in unum conferrentur, omnia libenter abjicerem pro tuenda unius Antiochi vita. Haec vehementi affectu, multiſque cum lacrymis dicente Seleuco, Eraſiſtratus non amplius cunctandum ratus, apprehenſa illius dextra, nihil eſſe dixit, cur Eraſiſtrato amplius indigeret: ipſe enim Tu & pater amantis, & adamatae maritus, & Rex, optime familiae tuae mederi potes. Qua re audita, Seleucus cariſſimam ſibi conjugem filio cedere nequaquam dubitavit; veluti hanc hiſtoriam narrant *Lucian.* in Icaromen. pag. 732. & de Dea Syria pag. 1063. quamvis Eraſiſtrati nomine tacito. *Appian.* in Syriac. pag. 204. *Plut.* in Demetr. Cap. XLIX. ſeq. *Val. Max.* Lib. V. Cap. VII. §. 1. & *Imp. Julian.* in Miſopog. pag. 347. qui tamen refert Antiochum non niſi poſt

patris

patris Seleuci mortem, quae paulo poſt accidit, Stratonicem uxorem duxiſſe. Hiſce ſubnectitur *Galen.* in Lib. Praecognit. ad Poſth. Cap. VI. ubi eandam rem afferens ſimile quid a ſe deprehenſum feſtiviſſime ſcribit de muliere, quae Pyladis ſaltatoris amore inſaniebat. Hic etiam annotari poteſt longo ante tempore ſimile quidpiam feciſſe Hippocratem, qui eodem fere modo deprehenderit amorem, quo Perdiccas Macedonum Rex miſere ardebat in Phila Alexandri patris pellice teſte *Soran.* in Vita Hippocr. Tom. II. pag. 952 Haec vero Eraſiſtrati curationis hiſtoria accidit Olymp. CXXI. 4. Seleucid. XX. ante Chr. N. CCXCIII. docente *Vaill.* Hiſtor. Reg. Syriae ex Nummis pag. 20. & ſeq. De ejus Scientia Medica, tam Anatomica, quam Practica non latius excurram, cum de ea videre licet *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. I. Cap. III. & IV. Ut Medicus laudatur a *Cels.* diverſis in locis. & ab *A. Gell.* Lib. XVI. Cap. III. Medicinae amore Libros Homeri ac Hippocratis cantare ſolebat, referente *Galen.* de Cathart. Cap. I. Varia etiam de Medicina conſcripſiſſe dicitur; *Suid.* enim in Voce Ἐρασίστρατος docet eum novem Libros Medicos compoſuiſſe, & ita a *Cael. Aurel.* Lib. IV. Morb. Chron. Cap. III. ex Lib. III. de Ventre. Lib. V. Morb. Chron.

Cap.

Cap. II. ſub finem ex Lib. de Podagra. & Lib. I. Morb. Acut. Cap. XIII. ex Lib. III. de Febribus Eraſiſtratus citatur. Ejus de univerſa Medicina operis meminit *Athen.* Lib. XV. Cap. I. imo praeter hos memoratos adhuc varii ejus Libri, de Affectionibus, Reſolutionibus, Sectionibus &c. centenis in locis ap. *Galen.* ad partes vocantur, oſtendente *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. IV. Cap. XVII. Inſpiciatur *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 50. ſeq.

XXX. ASCLEPIADES, cujus nominis varii exſtitere Medici, quorum catalogus habetur ap. *Reines.* Cl. XI. Inſcript. IV. & in Epiſt. XLVI. ad Rupertum. pag. 395. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. III. Cap. X. Noſter vero tempore Pompeji Magni atque Ciceronis Medicus famoſiſſimus, fuit omnium hujus nominis primus, natione Bithynus, *Strab.* Lib. XII. pag. 850. Ex urbe Pruſia antea Cio dicta, ut diſtinguatur a duobus aliis ejusdem nominis urbibus Bithyniae, quarum una Pruſias ſub Olympo monte; altera Pruſias ſub Hypio flumine nominabatur, docentibus *Scalig.* ad *Euſeb.* Chron. pag. 78. V. D. ad *Strab.* Lib. XII. pag. 844. *Salm.* Tom. I. Exerc. Plin. pag. 616. & *Abbate Garofalo* in Epiſt. ex Tom. II. art. 10. du Journ. des Savans d'Italie ap. *Clercq.* Hiſt. Med.

Med. Part. II. Lib. III. Cap. IX. Ita ut *Bun*
ad *Cluver*. Lib. V. Introd. Geogr. Cap. XVIII.
forte parum recte ſcripſerit, cum ejus patriam ſtatuere videtur Pruſiam ſub Olympo.
Nec video cur *Caſtell.* in Vit. Ill. Medic. ap.
Gron. Tom. X. Ant. Graec. pag. 881. &
Meurs. Lib. I. Bibl. Graec. ap. *Gron.* L. L. pag.
1195. *Voſſ.* de Philos. Cap. XI. §. 38. &
Lib. I. de Hiſt. Graec. Cap. XVIII. &
XXII. & *Mercklin.* Linden. Renov. pag. 93.
eum oriundum dicunt Myrlea alia Bithyniae urbe, quae hodie Apamea vel Apami a Turcis appellatur. *Strabo* quidem alicujus Aſclepiadis Myrleani meminit Lib. III. pag. 252.
verum is noſtro fuit junior. Hic Aſclepiades tam magnam conſequutus fuit famam, ut mortuos ad vitam revocare diceretur, uti *sup.*
Sect. II. Cap. III. §. 3. oſtendimus. Unde maximus Medicinae auctor vocatur a *Scrib. Larg.*
in Epiſt. ad Caj. Jul. Calliſtum. Inter praecipuos Medicorum, ſi unum Hippocratem excipias, caeteris princeps dicitur ab *Apul.*
Lib IV. Florid. pag. 362. Plurima propter blandimenta, quae in Medicina facienda excogitabat, jam ſuſpendendo lectulos, quorum jactatu aut morbos extenuaret, aut ſomnos alliceret, jam balineas avidiſſima hominum cupidine inſtituendo, & alia multa dictu grata atque jucunda, quaſi coelo emiſſus habebatur,

ur, teſte *Plin.* Lib. XXVI. H. N. Cap. III. Unde tanta ei fuit auctoritas, ut totam fere veterum Medicinam abrogaret, novamque Sectam conderet: qua ſaepe vino, aliis abſtinentia cibi vinique, fricatione corporis, ambulatione, geſtatione, morbi omnes curarentur. Imo hac fama Mithridates excitatus ad eum Legatos & pollicitationes miſit, quos tamen ſprevit. *Camer.* Tom. II. Rer. Memor. pag. 141. ex *Plin.* Lib. VII. H. N. Cap. XXXVII. Caeterum ſicuti vivus iſtius famae fuit, ut eo & Medico & Amico uſus fuerit *Cicero*, quemadmodum ipſe teſtatur Lib. I. de Orat. Cap XIV. ita etiam magnificum ipſi poſt mortem exſtructum fuit ſepulcrum, ut docet vetus Jcon & Monumentum Romae repertum, cujus poſſeſſor primo fuit *M. Ant. Sabbatinus*, hodie vero ab Illuſtr. *Alexandro Albano* ſervatur. Ante decem circiter annos ſingulari Diſſertatione illud erudite illuſtravit mox memoratus *Abbas Garofalus* Neapolitanus in Parte prima Diſſert. Miſcell. Romae editarum A. MDCCXVIII. 4to. Ipſum Icon etiam exhibetur ap. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. III. Cap. IV. Qui Cap. V. & ſeq. de ejus Medicina conſuli meretur. Eum ſcripſiſſe de Acutis Paſſionibus, Clyſteribus Hydrope, Periodicis Febribus & Lue apparet ex *Cael. Aurel.* multis in lo-

cis & *Aëtio Tetrab.* Lib. III. Serm. II. Cap. XXIIII. & Lib IV. Serm. IV. Cap. XCIII. De Communibus Auxiliis ex *Celſ.* Lib. II. Cap. XIV. Conf. *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 137. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Vol. XIII. pag 87.

XXIX. CRATERUS Ciceronis & Augusti aetate clariſſimus, ita ut mirum ſit *Plinium* ejus in illuſtrium Medicorum commemoratione non meminiſſe, teſte *Popma* ad *Cic.* Lib. XII. ad Att. Epiſt. XIII. & *Dalecamp.* ad *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. ex *Victor.* Lib. IX. Var. Lect. Cap. XII. Quamvis de quatuor aliis Crateris verba facit; ut de Cratero Monocerote, qui corvorum opera venabatur Lib. X. Cap. XLIII. De Pictore Lib XXXV. Cap. II. De Cratero Macedone ex Alexandri M. Ducibus Lib. XXXV. Cap. XIIII. De Statuario Lib. XXXVI. Cap. V. Noſter autem Craterus fuit Medicus Attici, uti colligitur ex *Cic.* Lib. XII. ad Att. Ep. XIV. Ut Medicus laudatur a *Galen.* Lib. II. de Antid. Cap. VIII. & Lib. VII. de Compoſ. Pharm. Sec. Loc Cap. V. Ejus fama tanta exſtitit, ut *Horat.* Lib. II. Sat. III. ℣. 161 dixerit:

Non eſt cardiacus, Craterum dixiſſe putato.
Hic aeger: recte igitur, ſurgetque. . . .

Pr

Pro quovis Medico ejus nomine utitur *Perſ.* Sat. III. ℣. 65.

Et quid opus Cratero magnos promittere morbos?

Rarum quid de hujus Crateri ſervo refert *Porphyr.* de Aſtinent. ab Eſu Carn. pag. m. 8. *Crateri Medici ſervus novo & inuſitato morbo adfectus, nempe carne ab oſſibus divulſa ac diſtracta, pharmacis quidem nihilo melius ſe habuit; ſed vipera piſcis in modum apparata, & comeſa convaluit, carne de integro conglutinata.* Vid. *Manut.* ad *Cic.* Lib. XII. ad Att. Ep. XIII. *Torrent.* ad *Horat.* L. L. & *Voſſ.* de Philos. Cap. XI. §. 39.

XXX. Ad ANTONIUM MUSAM accedimus. Ante vero, quam de eo agamus, primo hic inquirendum eſt, ut omni praeveniatur confuſioni; an unus idemque cum ARTORIO etiam Auguſti Medico fuit: Artorius is eſt, qui ſomno excitatus. A. U. C. DCCXII. Auguſtum opportune monuit, ne aegrotans in caſtris ad Philippos adverſus Caſſium & Brutum maneret, cujus hiſtoriae meminere *Suet.* in Aug. Cap. XCI. *Val. Max.* Lib. I. Cap. VII §. 1. *Vell. Paterc.* Lib. II. Cap. LXX. *Flor.* Lib. IV. Cap. VII. § 9. *Plut.* in Brut. Cap. LX. & *Lactant.* II. Di-

vin. Inſtit. Cap. VII. §. 22. Qui Aſclepiadis ſectator etiam vocatur a *Cael. Aurel.* Lib. III. Morb. Acut. Cap XIV. Conf. *Reines.* Epiſt. XLVI. ad Rupertum. Male autem nonnulli V. D. in unum binos hos homines contulerunt, uti *Pontacus* ad *Euſeb.* Chron. pag. 513. *Briſſon.* Lib. II. Select. Antiq. Cap. III. *Torrent.* ad *Horat.* Lib. I. Ep. XV. ℣ 2. & *Menag.* Amoenit. Jur. Cap. XXXV. pag. 277. A quorum partibus etiam ſtat *Voſſ.* de Philos. Cap. XII. §. 1. Verum ille pro Antonio potius ſcribendum exiſtimat Artorium. Cujus ſententiae calculum adjecit *Pet. Lambecius* Lib. II. Bibl. Vindob. Cap. VII niſi paulullum ab eo differt; nam quod *Voſſ.* legere malebat Artorium, ita hic Antonium legendum contendit. Verum enim vero prius, hoc quam crederem, mihi perſuadeo Magnos hoſce Viros illis locis aliquid humani paſſos. Omnes enim dicunt eorum cognomen fuiſſe Muſa; (de cujus cognominis ratione conſulantur *Dalec.* ad *Plin.* Lib. XXX. H N Cap. XIII. *Torrent.* ad *Suet.* in Aug. Cap. LIX. & *Fulv. Urſin.* Famil. Rom. in Gente Pomponia.) quod de Antonio verum, qui ita Antonius Muſa vocatur ab *Horat.* Lib I. Ep. XV. ℣ 3. *Scrib. Larg.* de Compos. Medic. Cap. XXV. *Suet.* in Aug. Cap. LIX & LXXXI. *Plin.* Lib. XXIX. H. N Cap. I.

D. Caſſ.

D. Caſſ. Lib LIII. pag. 517. & *Galen.* variis in locis. At contrarium patet de Artorio, quippe is ap. *Plut.* in Brut. Cap. LX. nominatur Marcus Artorius, haec enim ejus ſunt verba: *Et ipſe quidem Caeſar (ut in ejus commentariis ſcriptum eſt) monitus amici cujusdam ſui Marci Artorii in ſomno, quod eum caſtris excedere jubebat.* In eadem hac ſententia me quoque permanere ſuadet Nobiliſſ. *Heinſius* ad *Vell. Paterc.* Lib. II. Cap. LXX. ubi ex Litteris Ampl. *Gisb. Cuperi* Viri eximiae eruditionis hunc Artorium ab Antonio diverſum probat. Quod Vir Ampl ex *Euſeb.* Chron. Olymp. CLXXXVII elicicbat: ubi hic Artorius ſtatim poſt victoriam Actiacam naufragio ſupremam obiiſſe diem refertur Jam vero haec victoria Actiaca accidit circa A.U.C. MDCCXXII. & Antonius Muſa diu poſt hanc victoriam demum A. U. C. DCCXXXII. Auguſtum curavit; ita ut tempus circiter decem annorum interlapſum fuit Nam Auguſtus morbo, quo Antonius Muſa eum tam feliciter liberaverat, demum poſt bellum Cantabricum, cujus finis incidit in A.U. C. DCCXXX. laboravit, teſte *Suet.* in Aug. Cap. LXXXI. Hinc hoc loco monere debeo, erraſſe eum, qui A MDXLII. Baſil. hoc Chronicon edidit: ibi enim loco Artorii Antonium ſubſtituit; verum id contra *Euſebii* ſententiam eſſe

non ſolum ex *ſup.* jam dictis conſtat, verum etiam ex eo, quod ubique in vetuſtis Codicibus hujus Chronici ſcriptum ſit nomen Artorius: & ita in prima Editione Latina Venet. A. MCDLXXX. 4to. quam in Bibliotheca Publica *Lugd. Batav.* conſului, etiam legitur Artorius. Ideoque recte *Scalig.* in ſua *Euſeb.* Chron. Editione A. MDCVI. pro Antonio reſtituit Artorium: ad quem locum pag. 152. Vir ille incomparabilis notat ei praenomen fuiſſe Marius, quod probare videtur ex *Plut.* in Brut. Cap. LX. at eo in loco, ut mox vidimus, non Marius, ſed Marcus appellatur, quare vitio Liberariorum ap. *Scalig.* ad *Euſeb.* Chron. Marius pro Marco legi puto. Sic. *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 63. quoque teſtatur ſe olim putaſſe ap. *Euſeb.* L. L. mendum eſſe in nomine, verſis duobus N. in duo R; ſed ſe deinde ad hac ſuſpicione liberatum gloriatur. Unde etiam apparet erraſſe *Chr. Joh. Lang.* in Tom. I. Oper. Med. pag. 11. qui eos ex *Euſebii* atque *Voſſii* ſententia nolebat diverſos fuiſſe; attamen tunc inſuper eum male vocat Actorium, cum ejus nomen, ut ex praecedentibus patet, Artorius fuerit. Tandem vero id certe non ſatis mirari poſſum, quod Summi adeo Viri, & inter eos Magnus ille Doctorum Coryphaeus *Caſaub.* ad *Suet.* in

Aug.

Aug. Cap. LIX. qui Artorium cum Antonio Muſa confuderunt, ad Euſebium, qui apertiſſimo Marte contra ipſos pugnavit, veluti teſtem provocent. Adeo, cum in aliquam mentem incidamus, quaſi alienati a ſenſu interdum, quae nobis coram offeruntur, nec oculis videmus, nec auribus accipimus. Videſis eos diſtinguentes *Caſtell* in Vit Ill. Med. ap. *Gron.* Tom. X. Thes. Ant. Graec. pag. 886. *Car. Patin.* in Comment. ad Cenotaph. Marco Artorio a Smyrnenſibus poſitum pag. 440. Patav. MDCLXXXIX. 4to. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. III. Cap XI. & Part III. Lib. I. Cap. I. *Crellium.* in Diſſ de Anton. Muſa § 2. Lips. MDCCXXV. Quibus additur *Fabrit.* Bibl. Graec. Vol. XIII. pag. 68. & 87. Quamvis ante in Lib. II. Bibl. Latin. Cap. II. §. 9. eos miſcuiſſe videtur.

XXXI. Hic igitur Antonius Muſa Augusti Medicus, natione fuit Graecus, ſicuti praeter *Caſtell.* L. L. docet *Tournef.* Iſagog. in Rem Herbar. pag. 6. Contra unicam quoque *D. Caſſii* Lib. LIII. pag. 517. ſententiam eum hominem ingenuum non vero libertum facit *Crell.* L. L. §. 5. pag. 12. ubi variis argumentis id probare nititur: quam provinciam ei demandatam libenter relinquimus. Quomodo autem non tantum ſtatua illi juxta AEſculapium poſita, verum etiam jus annuli

 aurei

aurei caeteris cum privilegiis datum fuerit; docet *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 181. & videantur quae *ſup.* Sect. II. Cap. V. §. 7. diximus. Quomodo ad Ordinem Equeſtrem evectus fuerit, oſtendit *Crell.* L. L. pag. 14. Ratio autem, cur tot beneficia tam ab Auguſto, quam Senatu Populoque Romano in eum collata fuerunt, eſt, quia Auguſtum graviter decumbentem feliciter ad ſanitatem reſtituit. Auguſtus enim, cum ex hepate laboraret, ſecundo cum ſucceſſu rationi contrariis remediis adhibitis, (frigida enim morbo calido applicuit,) ab Antonio Muſa curatus fuit, uti teſtatur *Suet.* in Aug. Cap. LXXXI. *Graves & periculoſas valetudines per omnem vitam aliquot expertus eſt: praecipue Cantabria domita, cum etiam diſtillationibus jecinore vitiato, ad deſperationem redactus, contrariam & ancipitem rationem medendi neceſſario ſubiit: quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus: auctore Antonio Muſa. Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. & *D. Caſſ.* L. L. Caeteroquin enim *Hippocr.* de Intern. Affect. Tom. II. pag. 232 & *Cels.* Lib. IV. Cap. VIII. doceant in morbo Hepatico fomenta & remedia calida eſſe adhibenda, frigida vero Hepati noxia eſſe: vel niſi Antonius hoc in caſu, quum omnia praegreſſa nil effeciſſent, quoque putavit ſatius an-

ceps,

eps, quam nullum experiri remedium; quem-
dmodum illud Medico licitum eſt ex doctri-
a *Celſ.* Lib. II. Cap. X. Auguſtus itaque
avacris, potionibuſque frigidis, atque lactuca
uratus fuit, docente *Plin.* Lib. XIX. H. N.
Cap. VIII. *Divus certe Auguſtus Lactuca con-
ervatus in aegritudine fertur, prudentia Muſae
Medici. Cum priores caverent, religione nunc
mni caret, in tantum recepta commendatione,
t ſervari etiam in alienos menſes eas oxymelite
epertum ſit.* Quo loco quidam V. D. ut
Magn. *Caſaub.* ad *Athen.* Lib. II. Deipnoſoph.
Cap. XXVII. inducti fuere, ut crederent,
nte hanc Auguſti curationem multis religio-
nem fuiſſe lactucis veſci. Verum enim vero
i hunc *Plinii* locum, qui corruptiſſimus eſt,
ntegrum reſtituamus, patebit Virum illum
nſignem hic paulo hallucinatum fuiſſe; nam
n antiquiſſimo (de quo *inf.* Cap. IV. §. 15.)
Apuleii, qui nobis integram ac ſinceram lecti-
onem conſervavit, exemplari de Salutar. Re-
med. ita ſcriptum eſt: *Divus certe hac lactuca
onſervatus in aegritudine fertur prudentia Mu-
ſae Medici, cum prioris Cameli religio nimia
i abnegaret.* Omnia nunc plana erunt. Ca-
melius enim fuit nomen prioris Medici, quo
Divus Auguſtus uſus eſt ante Muſam. Is
Camelius lactucarum uſum aegrotanti Au-
guſto negabat. Muſae vero opera ex valetu-

 dine

dine ancipiti convaluit ope lactucae. Conf. *Humelberg.* in Praef. ad Libell. *Ant. Muſae* de Herb. Beton. *Salm.* Tom. II. Exerc. Plin. pag. 897. Plura de hac Auguſti cura habent *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 180. *Barthol.* de Tib. Veter. pag. 161. *Torrent.* ad *Horat.* Lib. I. Epiſt. XV. ℣. 2. & *Crell.* L. L. §. 9. pag. 29. ſeq. Hinc Antonio Muſae ut Medico morem etiam geſſit Horatius, oſtendente *Maſſon.* in Vit. Horat. pag. 230. Tandem denique quemadmodum nulla virtus eminuerit, cui non vis aliqua invidiae detraxerit atque obtrectaverit, ita & Antonius Muſa ut Medicus id ſubire debuit, cum haec communis Medicorum ſors ſit, quippe cum initio aliquando rem non infeliciter geſſerint, plerumque iſtius felicis eventus cauſam ad Fortunam, ſiniſtri vero culpam ad Medicos ſolos vulgus pertinere credit. Ut ap. *Quintil.* Declam. VIII. Cap. V. & IX. Unde *Hipp.* in Epiſt. ad Democrit. Tom. II. pag. 933. ita ſcribit: *Artis Medicae recta facta, o Democrite, plerique e vulgo hominum non omnino laudant, verum Diis ſaepe attribuunt. Si vero natura reluctata perdiderit eum, qui curatur: Medicos reprehendunt, Numen praetereuntes.* Ac ita *Dio Caſſius* L. L. Auguſtum ſervatum Fortunae Fatoque adſcribit, & poſteris eum tantum Empyricum fuiſſe perſuadere annititur. haec cum

ſcri-

ſcribit: *Verum enim vero fas erat eum, qui pus fortunae fatique ſibi arrogaſſet, ſtatim manifeſtis rebus coargui. Evenit enim paulo poſt, ut Marcellus aegrotans, eadem ratione a Muſa eodem curatus, mortem obiret.* Atque ita unius *Dionis* teſtimonio nitentes plurimi *Horatii* Commentatores, ut *Torrentius*, *Ed a Zurck*, *Dacier*, aliique Viri Docti, caecam quaſi *Caſſio* fidem habentes, ſequenti modo Muſae vitam ex eo narrare ſolent: *Antonius Muſa Auguſti Medicus; hic quod frigidis Auguſtum jecinore affectum curaverat, Marcellum juvenem eadem ratione tractaturus interemit, ut ita fortunae caſum ſibi tribuiſſe in Auguſto manifeſto pateat.* Etiam huic *Dionis* teſtimonio nomina ſubſcripſerunt *Rhodig.* Lib. VI. Cap. XII. *Du Mont.* Itiner. per Europ. pag. 82. *Pitiſc.* ad *Suet.* Aug. Cap. LXIII. *Barchus.* de Orig. & Progr. Medic. pag. 122. & *Cellar.* Antiq. Med. Cap. IV. §. 3. Jam vero gratis poſito, quod eodem, quo Auguſtus modo, Marcellum curaverit, quid inde? Nonne *Ovid.* Lib. I. ex Pont. Eleg. III. ℣. 17. dixit:

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut aeger,
Interdum docta plus valet Arte malum.

Imo nonne adverſus ille eventus dependere potuit, ab obſtante vel imbecillitate Mar-

celli

celli naturae, vel mali gravitate ac pervicacia, vel negligentia obſervandorum Medici praeceptorum: *Divus* enim *Senex* Sect. II. Aphor. I. docet, non Medicum ſolum contra vim morbi ſufficere, neque in illo ſalutem ſolo eſſe, ſed multa ad aegroti patientiam, adſtantium curam, animi motus, caſus omnes pertinere; quae niſi conſpirent, fruſtra expectaveris ſalutem. Vel denique nonne cauſa exiſtere potuit occulta vis dati juſſu Liviae veneni, ut ipſe *D. Caſſ.* L. L. pag. 519. indicat, quod omnem Medici Artem illuſit. Unde certo certius mihi eſt, *Dioni* hanc contra veritatem opinionem ſolam invidiam extorſiſſe, quum illius jam dudum eum accuſaverit *Lips.* ad *Tac.* Lib. XIII. Ann. Cap. XLII. ubi de Dione hoc modo loquitur: *Sed credo, judicii quaedam morumque perverſitas fuit, quae eundem illum in Ciceronem exacuit, quae in Caſſium, Brutum, omneſque bonos, Caveat ab his, moneo, juventus: & e campis illis ita antiquitatum & hiſtoriae flores legat, ut non colligat venena.* & *Voſſ.* Lib. II. de Hiſt. Graec. Cap. XV. ſub finem: *Dum unius*, ſcribit, *ſed latae admodum culpae, abſolvere Dionem non poſſum, quod quadam ſeu judicii, ſeu morum pravitate, virtutes ſuo pretio aeſtimare neſcit; ſed virus ſuum ejaculatur in optimos, & praeſtantiſſimos Viros: ut Ciceronem, & Brutum,*

ſtam, *Caſſiumque*, & *L. Senecam*. Quibus & addi poteſt noſter Antonius Muſa. Quin imo mendacii palam convincitur a *Propert.* Lib. III Eleg. XVI. ℣. 7. qui Marcelli, juvenis adeo illuſtris, fere coaevus, & ejus mortem lugens ita ſcribit:

At nunc inviſae magno cum crimine Bajae,
Quis Deus in veſtra conſtitit hoſtis aqua?
His preſſus Stygias vultum demerſit in undas;
Errat & in veſtro ſpiritus ille lacu.

Nunc conſtat aquas Bajarum calidiſſimas, & contra Auguſtum frigidis ſanatum fuiſſe; Ergo *non eadem ratione a Muſa curatus fuit Marcellus*, ut *Dio* ſcribit. Non vero neſcio quosdam fuiſſe, qui Marcellum, ut *Dionem* ab hoc mendacii vitio liberarent, non Bajanis aquis calidiſſimis, ſed Stabianis aquis frigidiſſimis obiiſſe dicunt, & *Propert*. L. L. ſolummodo Bajanas Liviae rogatu poſuiſſe, ut ita a ſuſpicione veneni liberaretur, veluti *Scalig*. in Catal. *Virg*. Num ergo venenum dari Bajis minus potuit, ac in Stabianis? At nullam hujus aſſertionis cauſam videns *Lips.* eos lapſos erudite docuit ad *Tac*. Lib. I. Ann. Cap. III. Conf. *Crell*. L. L §. 10. pag. 34. Plura de Marcello Auguſti nepote reperiuntur ap. *Torrent*. ad *Horat*. Lib. I. Od. XII.

℣. 46.

℣. 46. Servatur Antonii Muſae ut Medici memoria a *Galeno* ejus Panaceam deſcribente Lib. VII. de Comp. Medic. Local. Cap. VI. Ejus collyrium deſcribit *Marcell.* de Medic. Cap. VIII. Ejus antidoton *Nic. Myreps.* Sect. I. de Antid. Cap. CLXXXIII. Ejus paſtillos *Oribas.* Lib. IV. de Loc. Affect. Curr. Cap. CXXVII. & Lib. III. Synops. de Piſtillis & *Aët. Tetrab.* Lib. I. Serm. IV. Cap. XII. & Lib. II. Serm. II. Cap. LXXXIII. Conf. *Reines.* Lib. III. Var. Lect. Cap. III. Habemus hodie Libellum ipſi Antonio Muſae attributum de bona Valetudine Conſervanda ad Maecenatem *Norimb.* A. MDXXXVIII. Qui abſurde a quibuſdam, ut ante *Marcelli Empyrici* Librum de Medicam. *Hippocratis* adſcribitur; inter cujus opera etiam reperitur Tom. I. pag. 650. Maecenas enim, tempore Auguſti clarus, aliquot poſt Hippocratem ſecula vixit. Conſ. *Labb.* Bibl. Nov. Mſſ. pag. 215. *Conring* Addit. ad Cap. III. §. 13. Introd. in Art. Med. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. VI. Cap VII. §. 2. *Cornar.* vero ad *Marcell.* L. L hanc Epiſtolam non Antonio Muſae, ſed potius Diocli tribuendam judicare videtur; cui Diocli & alteram ſub Hippocratis nomine ibi memoratam epiſtolam ad Regem Antiochum adſcribere non dubitat; quia eadem ſententia in hujus Dioclis Epiſto-

la

a explicatur quae reperitur ap. *Paul. AEgi-*
et. Lib l. Cap. C. Obſervamus tamen iſtam
Dioclis epiſtolam non Antiocho, ſed Anti-
gono Regi ſcriptam. Plura de hoc Diocle
collegit *Fabrit.* L. L. Sub Ant. Muſae nomine
etiam exhibetur alter Libellus de Herba Be-
tonica ad M. Agrippam, vulgatus *Tiguri* A.
MDXXXVII 4to. cum commentario *Gabr.*
Hummelbergii, ut alias Editiones jam omit-
tam. Qui Libellus, quamvis *Humelbergius*
in Praefat. non dubitavit, quin iſtius auctor
fuerit Antonius Muſa Auguſti Medicus, quia
praefigitur Epiſtola, qua opuſculum illud M.
Agrippae Caeſaris Auguſti genero dedicare
dicitur Muſa, tamen non debetur Antonio
Muſae, verum rectius dicitur Caput primum
Herbarii *Apuleji*, docente *Barth.* Lib. XXXVII.
Advers. Cap. XXIII ita enim loquitur: *Il-*
lud antequam opuſculum aggrediamur, monere
non abs re ſit, qui Antonii Muſae de Betonica
Libellus inſcribitur, eum eſſe caput primum hu-
jus Commentarii, quod qui ex ordine tractan-
di, genio ſcriptionis, verborum uſu, & caete-
ris ſingulis paginis obviis argumentis non videt,
is ſane herbas oculares quaeſitum eat. Nec ob-
ſtat futiliſſima & monachalis Epiſtola ad Agrip-
pam. Cum inibi ſatis manifeſte ſorex ſuo indicio
pereat; & nihil omnino ſit, quod aevum An-
tonii Muſae ſapiat. Adeo ſtupidi ſunt librarii,
nec

nec minus ſuperioris aevi typographi, ut aera nos lupinis diſcernere poſſe non crediderint. Praeter ea, quae *inf.* Cap. IV. §. 17. habemus, etiam videri merentur *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 180. & *Voſſ.* de Philos. Cap. XII. §. 1.

XXXII. XENOPHON Cous ex Nobiliſſima Aſclepiadarum familia natus, uti oſtendit *Clercq* in Tab. Geneal. Aſclep. quae reperitur in Hiſt. Med. Part. II. Lib. I. Cap. I. Claudii Caeſaris Medicus fuit; qui ſua interceſſione apud Caeſarem tantum efficere potuit, ut Coi tributorum immunitatem obtinuerint, quemadmodum conſtat ex *Tac.* Lib. XII. Ann. Cap. LXI. *Retulit dein de immunitate Cois tribuenda. multaque ſuper antiquitate eorum memoravit; Argivos vel Coeum Latronae parentem, vetuſtiſſimos inſulae cultores: mox adventu AEſculapii artem medendi illatam, maximeque inter poſteros ejus celebrem fuiſſe, nomina ſingulorum referens, & quibus quisque aetatibus viguiſſent. Quin etiam dixit Xenophontem, cujus ſcientia ipſe uteretur, eadem familia ortum: precibuſque ejus dandum, ut omni tributo vacui in poſterum Coi; ſacram & tantum Dei miniſtram inſulam colerent.* Verum enim vero non video rationem, quare Vir Celeb. *Fabrit.* Bibl. Graec. Vol XIII. pag. 453 hunc ab illo Xenophonte Coo, de quo agit *D. Laërt.* Lib. II. Segm. LIX. di-

ver-

verſum ſtatuat, potius enim cum *Menag.* ad dictum *D. Laërt.* locum, & cum *V. D.* ad *Tac.* L. L. ex hiſce duobus unum eundemque facerem. Illius ut Medici mentio etiam fit ap. *Tac.* Cap. LXVII. iſtius Libri, & ap. *Cael. Aurel.* Lib. II. Morb. Chron. Cap. XIII.

XXXIII. PLUTARCHUS natione Boeotus, patria Chaeronenſis, a Neronis temporibus ad Hadrianum uſque inclaruit, ſub quo jam ſenex non tantum Graeciae Procurator conſtitutus fuit, & omnes Illyrici Praefecti in mandatis habuerunt, ne quid agerent Plutarchi injuſſu; verum etiam antea inſignibus Conſularibus a Trajano ornatus fuerat, docente *Voſſ.* Lib. II. de Hiſt. Graec. Cap. X. Hic Plutarchus quoque inter Medicos, & quidem Methodicos a *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib. II. Cap. III. numeratur. Atque illum Medicinae haud imperitum fuiſſe ſatis conſtat non ſolum ex Libro, quem de Tuenda Bona Valetudine eleganter & docte conſcripſit, verum etiam ex Problem. Sympos. quae maxima ex parte Medicinam comprehendunt, *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 274. Ejus ſcripta Eruditis adeo placuerunt, ut aliqui, ſi omnibus veterum ſcriptis eſſet carendum, Plutarcho quam aegerrime carituros ſe profitebantur. *Gaſſend.* Lib. III. de Vit. Epi-

cur. Cap. VII. Alii, ſi omnes in mare abji-
ciendi eſſent, Plutarchum ſe poſtremo loco
ſervaturos affirmarunt. *Rol. Mares.* Lib. I.
Epiſt. XXIV. & *Gabr. Naudaeus* in Apol.
pro Viris Doctis falſo Magiae accuſatis pag.
194. Tandem fuerunt, qui ſolum Plutarchum
cum duobus vel tribus aliis perfectae Bibliothe-
cae inſtruendae ſufficere exiſtimarunt, ut *Guid.*
Patin. Epiſt. VI. Edit. Primae. Vir Doctiſ-
ſimus atque Prudentiſſimus vocatur ab *A. Gell.*
Lib. I. Noct. Att. Cap. XXVI. Omnia ad
Plutarchi vitam ſpectantia, quae in ſcriptis
ejus ſuperſtitibus potuit indagare, non dili-
ligenter collegit *Joannes Rualdus* in Docto Li-
bro de Plutarchi Vita, quae Pariſienſi illius
Operum Editioni Gr. & Lat. A. MDCXXIV.
Fol. typis Regiis, adjungi ſolet: Cui ad-
duntur *Decius Celer.* Lib. de Vita Plut. Patav.
A. MDCXVII. 8vo. & *Joann. Jonſius.* Lib.
III. de Scriptor. Hiſt. Philos. Cap. VI. Plu-
ra reperiuntur ap. *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib.
IV. Cap. XI. & *Cozzand.* de Magiſt. Ant.
Philos. pag. 103.

XXXIV. GALENUS Pergameno Aſiae
Minoris civitate nobili oriundus, ut ipſe teſta-
tur Lib. X. de Simpl. Medic. Facult. pag.
72. *Sane Rex quondam noſter Attalus, cum*
ambitioſiſſime talia ad experientiam conquireret,
tamen pauciora ſcribere conſpicitur. & clarit.

Lib.

Lib. I. de Compos. Medic. per gen. Cap. XIII. *Hoc medicamentum non ex eorum numero eſt, quae a me primo auctore compoſita ſunt, ſed jam annis multis ante a Rege noſtro Pergamenorum Attalo, viro omnigenorum medicaminum ſtudioſo.* Natus fuit A. poſt. Chr. N. admodum CXXXI. Hadriani Imperii XIV. vel XV. labente, quemadmodum docet *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib III. Cap. I. Verum enim vero, quia nondum ſatis V. D. ſub quibus Imperatoribus, & quamdiu Pergami aut Romae vitam traduxerit, exploratum ſcimus, vos mitto ad *Labbeum* in Elogio Galeni Chronologico ex ipſius libris, vel veterum ſcriptorum monumentis ſolerter atque operoſe id diſquirentem. Filius fuit Niconis, viri facultatibus affluentis & omnibus fere diſciplinis inſtructi, ita ut omnibus, quibus notus erat, ob juſtitiam, modeſtiam & bonitatem admirationi fuerit, *Galen.* in Lib. de Succor. Bonit. & Vit. Cap. I. Matrem vero habuit inſigni quidem honeſtate matronam & officii ſui diligentiſſimam, ſed adeo moroſam atque iracundam, ut etiam morderet interdum ancillas, ſemper aut & vociferaretur, & crebro cum patre contenderet, *Galen.* de Dignoſc. ac Curand. Anim. Morb. Cap. VIII. Ita ut longe odioſior eſſet, quam iſta Socratis uxor Xantippe, cujus meminerunt *AElian.* Lib.

VII. Var. Hiſt. Cap. X. & *Gell.* Lib. I. Noct. Att. Cap. XVII. Plerumque Claudius Galenus vocatur, quamvis ſe ipſum ſimpliciter Galenum appellat, nulla facta Claudii mentione, in Comment. I. in Hippocr. Lib. VI. Morb. Vulg. pag. 152. Cujus nominis rationem exhibet *Clercq.* L. L. Vir fuit dives & non mediocri in honore poſitus, uti conſtat ex ipſo Galen. loco jamjam adducto. Quin imo ei in patria locum in Senatu contigiſſe aſſerit *Auctor* in ejus Vita, quae Nonae Juntarum Editioni praefigitur. Cum ſummis Romae Viris, ut Boëtho & Sergio Paulo, Viris Conſularibus & Praetoriis intimam coluit familiaritatem, veluti apparet ex Lib. I de Adminiſtrat. Anatom. Cap. I. & ex Lib. de Praecogn. ad Poſth. Cap. VIII. Familiaris Imperatori dicitur fuiſſe a *Salmas.* ad *Jul. Capitol.* in M. Anton. Philos. Cap. XV. Hic Galenus, qui inter Medicos eloquentiſſimus, inter eloquentes Medicus acutiſſimus, inter utroſque diligentiſſimus, inter omnes, Hippocrate tamen ſemper excepto, maximus fuit omnem veterum famam obſcuravit: nam Medica ſua peritia nomen adeo magnum ſibi non ſolum apud Plebejos, verum etiam Optimates fecit, ut etiam a pleriſque ob admirandam in praedictionibus atque curationibus ſagacitatem modo παραδοξολόγος, modo propter ſtu

pen

pendam remediorum opportune abhibitorum vim atque efficaciam παραδοξόποιος diceretur, teſte *Caſtell.* in Vit. Ill. Med. ap. *Gron.* Tom. X. Ant. Graec. pag. 893. *Galen.* Lib. V. de Loc. Affect. Cap. VII. Hinc veteres eum maximis Elogiis extulerunt; ita *Alex. Trallian.* eum ſemper citat θειοτατον ſive Diviniſſimum; *D. Hieron.* in Decret. Canon. de Conſec. Diſtin. Cap. V. cum Virum Doctiſſimum; *Greg. Nyſſen.* de Anim. Cap. IX. Virum Admirabilem vocat. A *Caſaub.* ad *Athen.* Lib. I. Cap. I. Vir Divinus dicitur. Nec non a quibuſdam, ut *ſup.* Sect. II. Cap. V. §. 2. vididimus, pro Deo cultus fuit, ubi & §. 7. ipſi Romae ſtatuam erectam docuimus. Plura de ejus honoribus ac elogiis reperiuntur ap. *Auctor.* in ejus Vita. & *Cozzand.* de Magiſt. Antiq. Philos. pag. 106. Galeni effigies ex vetuſtiſſimo Codice Dioſcoridiano, qui exſtat in Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi, exhibetur ap. *Gron.* in Tom. III. Thes. Antiq. Graec. Tab. kkkk. mmmm. Ad Galeni quod attinet mortem, non fert mihi animus inſulſitatem eorum refellere, qui Medicorum illi Coryphaeo vitam protrahunt ad Annum CXL; uti ex aliorum mente *Cael. Rhodig.* Lib. XXX. Ant. Lect. Cap. XII. & *Caſtell.* in Vit. Ill. Medic. ap. *Gron.* Tom. X. Thes. Ant. Graec. pag. 879. ut caeteros mittam, docent: quum

eos jam melius edocuit *Labbeus* in Elog. Galeni Chronol. ubi Galenum ex probabilioribus ſententiis, ut *Suid.* in Voce *Galenus*, obiiſſe oſtendit A. Chr. N. CC. Imperii Severi VII. Vitae illius LXX. Quamvis alii vitam ad Annum 80. protrahere malunt. Vid. *Auctor* ejus Vitae. An vero citra ullam valetudinem adverſam ad ultimum ſuae vitae terminum pervenerit, uti a nonnullis proditum teſtatur *Rhodig.* L. L. cum ita ſcribit: *Sed quod longe apud me mirabilius eſt, citra ullam omnino affectionem, ſola defecerit ſenectute.* Paulo poſt: *Utcunque hinc certe adagium obrepere adverto, ut Galeni valetudinem dicamus pro ea, quae ultra humanum captum nimis ſit proſpera, nimiſque inoffenſa.* Reſpondendum eſt, illis nullam in hiſce fidem adhibendam, cum ipſe Galenus, praeterquam quod in tanta ſubblandientis gulae laſcivia, & in interitum vergentis naturae fragilitate rariſſimum quid eſſet, teſtetur ſe octodecim annos natum, invitatum ab aequalibus, liberaliore fugacium fructuum eſu, tam acutum contraxiſſe morbum, ut ſanguinis miſſione opus haberet, & poſt patris obitum anno ſcilicet aetatis ſuae vigeſimo una cum aequalibus ſuis rurſum ejusmodi fructuum uſu recidivum morbum paſſum eodemque modo ſanatum fuiſſe; deinde vero vel ſingulis annis vel alternis non-

nun-

nunquam ad vigeſimum octavum uſque morbo aliquo ſe laboraſſe refert ; cumque tum temporis periculum eſſet, ne ea pars, quae jecur ſepto transverſo annexum eſt, abſceſſu corriperetur, ab uſu horaeorum omnium ſibi penitus abſtinendum propoſuit, exceptis ſicubus uviſque omnino maturis & cum moderamine ſumtis, ut ipſe tradit in Lib. de Succor. Bonit. & Vit. Cap. I. Inſuper vero ipſe *Rhodig.* Lib. IV. Cap. XXI. eorum coarguit vanitatem, cum oſtendat ex Lib. II. de Loc. Affect. Galenum ipſum ſcripſiſſe, ſibi vehementiſſimum accidiſſe dolorem, ut videretur in ventre intimo terebra perforari. De Galeni vero Placitis, atque Scientia Anatomica conſulatur *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib. III. Cap. III. ſeq. *Barchus.* de Orig. ac Progr. Medic. Diſſ. XVI. pag. 246. & *Conring.* Intr. in Art. Med. Cap. III. §. 16. Plura habentur ap. *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 69. De ejus ſcriptis adeatur *Petit.* Lib. II. Miſcell. Obſerv. Cap. II. & III. Elenchus Galeni tum ſuppoſitorum, cum genuinorum ſcriptorum juxta Nonam atque Ultimam Juntarum Editionem habetur ap. *Mercklin.* Linden. Renov. pag. 184. qui & pag. 198. exhibet Indicem Alphabeticum omnium liberorum, qui in ea Editione continentur. Optimae horum ſcriptorum Editiones, quae hodie habentur,

ſunt, Graeca apud *Andr. Cratandrum*, Baſil. A. MDXXXVIII. Fol. Tom. V. Licet & bene multis adhuc ſcatet mendis, & capitum diſtinctione deſtituta eſt. Latina ex Nona Juntarum Editione Venet. A. MDCXXV. Fol. Tom. VIII. Quae omnium priorum Editionum praeſtantiſſima & pleniſſima eſt. Haec Editio plurimum debet *Fabio Paulino* Medico Veneto, qui Latinas verſiones cum Graecis *Codicibus* impresſis & *Mſſ.* contulit; tum *Antonio Muſae Braſavolo* Medico Ferrarienſi, qui locupletisſimum illum Indicem adjunxit integro ac magno Volumine in Folio. Graeco-Latina Editio hactenus prodiit unica Paris. A. MDCXXXIX. cura *Renati Charterii* Vindocinenſis. Fol. XIII. Vol. Quod elegans & ſplendidum opus non Galeni tantum, ſed & Hippocratis ſcripta integra, & aliorum nonnulla exhibet, cum emendatiore verſione, textu ad Editiones & Mſſ. recenſito, & notis hinc inde in calce Volum. adſperſis. Attamen haec Editio ſplendidior eſt, quam utilis. Praeter hanc unicam *Charterii* Editionem Graeco Latinam, aliam molitus fuit *Caſp. Hofmannus* Medicus Altorfinus, qui integrum Galenum recenſuit, & emendavit, verſioneque nova ac commentariis illuſtravit XXVI. Vol. in Fol. Quod opus privatos inter forulos latere dicitur Bibliothecae *Gothofr.*

Tho-

Thomaſii Noribergae, ad quem haereditatis jure pervenit ex theſauro librario ſoceri ipſius *Joh. Georgii Volcameri.* Cons. *Caſp. Hofmann.* Epiſt. ad *Th. Reines.* quae habetur I. in *Reines.* Epiſt. *Barthol.* de Libr. Legend. Diſſ. IV. pag. 90. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. IV. Cap. XVII. §. 22. Quamvis in Addit. ad *Conr.* Intr. in Art. Med. Cap. III. §. 16. monitum fuit Opus illud jam prodiiſſe Pariſiis, ſumptibus a Rege ſuppeditatis. Inter illos, qui Galeni vitam conſcripſerunt, non infimum tenet locum *Joan. Martinus Euſtachius* Gambatenſanus in Regno Neapolitano, Medicus Doctisſimus; cujus Liber de Vita Galeni *Neapoli* A. MDLXXVII. ap. *Horatium Salvianum* impreſſus, rariſſimis accenſetur libris, ita ut pleriſque Apollinis nepotibus, ipſique adeo *Georg. Abrah. Mercklino* in Linden. Renov. ſcriptorum Medicorum collectori ſolertiſſimo fuerit incognitus. Deinde A. MDCLX. 8to. Paris. ex Typographia *Claudii Cramoiſii* prodiit *Labbei* Elogium Galeni Chronologicum. Qui *Labbeus* eodem A. MDCLX. Paris. ap. *Guil. Benard.* 8to. excudi fecit alterum Opuſculum cum hac Inſcriptione, *Vita Claudii Galeni Pergameni Medicorum Principis ex propriis operibus collecta.* Ultimum illud paginarum 83. opuſculum conſtat meris Galeni locis ex nona Juntarum

Editione deſcriptis, atque per intervalla quatuor ab ortu Galeni ad annum aetatis XXI. XXIX. XL. & obitum uſque diſtinctis, adſcripto ſubinde in margine Anno Chriſti & aetatis Galeni. Quod utrumque Opuſculum, non ubique obvium, ſervatur a *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. IV. Cap. XVII. §. 1. ſeq. Tertium adhuc idem *Labbeus* promiſerat libellum, *Chronologia Galeni Operum* inſcriptum, quae nimirum primo loco, quae deinde in decurſu aetatis, quae tandem in ſenectute conſcripta fuerint. At ille nunquam in lucem emiſſus fuit.

CAPUT IV.

Romani, quibus Medicina in deliciis fuit.

I. Accedimus tandem ad *Romanos*, qui aeque ac alii populi hanc Artem exercere nec vile, nec tractare a ſumma dignitate alienum judicarunt. Quippe ipſos inter Imperatores alioſque Viros Principes non defuerunt, qui Medicinam probe calluerunt: quibus inprimis accenſetur Maximus Imperator C. AUGUSTUS; ex ejus enim commentariis compoſitionem Medicam, qua & ipſe libentiſſime utebatur, & quam omnibus lau-

laudabat, exſcripſit *Plinius Valerianus*, ut ipſe teſtatus fuit Lib. I. de Re Med. Cap. XVIII.

II. Imperator CLAUDIUS inter Medicos ponitur a *Clercq*. Hiſt. Med. Part. III. Lib. I. Cap. III. Quia Edicto monuit nihil aeque facere ad viperae morſum quam taxi arboris ſuccum, teſte *Suet.* in Ejus Vita Cap. XVI. Et quia meditatus fuit Edictum, quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi, docente eod. *Suet.* L. L. Cap. XXXII.

III. ADRIANUS ille nunquam ſatis laudatus Imperator Arte medendi quoque excelluit, ut indicat *Aur. Vict.* in Epit. Cap. XIV. *Hic* (Adrianus nim:) *Graecis litteris impenſius eruditus a pleriſque Graeculus appellatus eſt Athenienſium ſtudia moreſque hauſit non ſermone tantum, ſed & caeteris diſciplinis canendi pſallendi medendique ſcientia.* Hinc forte bis vel ter de die aegros viſitaſſe dicitur ap. *Spartian.* in Adrian. Cap. IX. Reperitur etiam ap. *Aët. Tetrabib.* Lib. IV. Serm. I. Cap. CVIII. Antidoton ab eo compoſitum Hadrianum vocatum, cujus mentionem etiam facit *Caſtell.* in Opt. Med. pag. 55. Variae Adriani compoſitiones etiam ſervantur ap. *Nic. Myreps.* Sect. I. de Antid. Cap. II, IV, V, VII, & CCCXXI. At *Marcell.* de Medicam. Cap.

XX.

XX. illud Hadriani Antidoton deſcribens dicit, eo Caeſarem Auguſtum uſum fuiſſe: ita ut hinc pateret Adrianum, qui longe poſt Auguſtum imperium geſſit, id non confeciſſe: verum *Marcell.* illud de noſtro Adriano intellexit, nam & is, ut omnes Imperatores, Auguſtus vocatus fuit.

IV. CONSTANTINUM IV. ſive Pogonatum Medicinam etiam tractaviſſe docet *Lang.* in Floril. in Medicina. Plura autem hoc loco de *Tiberio*, *Nerone*, *Tito Caeſare* (quisquis is fuerit ſive Veſpaſiani filius, ſive fuerit Aurelius Antoninus Pius, qui & Titus vocatus eſt tum ab *Jul. Capitol.* in Ejus Vita Cap. I. cum ab *JCtis* variis in legibus) *Marco Antonino & Juſtino* in medium non proferam, cum jam ſatis eos hanc Artem excoluiſſe demonſtraverit *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 158. ſeq. *Canonher.* in Proleg. in *Hipp.* Aphor. pag. 9. & *Caſtell.* in Opt. Med. pag. 36.

V. Celeberrimus CATO Cenſorius inter Medicos reſenſetur a *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. pag. 170. quod ſcripſerit librum, quo docuit, quomodo quis ſanus ſervari vel aegritudine liberari poſſit, uti affirmat *Plut.* in Cat. Maj. Cap. XLVI. Etiam commentarium reliquit, quo medebatur filio, ſervis & familiaribus; ita ut ipſe Medici officio functus videa-

videatur, *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. & *Plut.* L. L. *Hiſſe remediis & victus ratione uſum, valetudinem ſuam ſuorumque conſervaſſe.* Imo quanta ejus fuerit ſcientia Medica, facile quis comperit, ſi inſpiciat *Plin. Valer.* Lib. IV. de Re Med. Cap. XX. & ipſius *Catonis* Lib. de Re Ruſt. Cap. CLVI. ubi vires Braſſicae in Medicina deſcribit. Romanorum primus de Re Ruſtica aliquid litteris conſignaſſe fertur ap. *Colum.* Lib. I. de Re Ruſt. Cap. I. *Et ut agricolationem Romana tandem civitate donemus, nam adhuc iſtis auctoribus Graecae gentis fuit, jam nunc M. Catonem Cenſorium illum memoremus, qui eam Latine loqui primus inſtituit.* & *Plin.* Lib. XXV. H. N. Cap. II. *Primuſque & diu ſolus idem ille M. Cato, omnium bonarum artium Magiſter, paucis duntaxat attigit, Boum etiam Medicina non omiſſa.* Hinc plurimis in locis a *Varrone* de Re Ruſt. *Quintil.* Lib. XII. Inſtit. Orat. Cap. XI. atque *Plinio* L. L. ut agrarius auctor in ſcenam ducitur. Praeter Rem Ruſticam etiam ſcripſit de Animalium Natura, uti conſtat ex *Plin.* Lib. I. H. N. ubi eum locat inter eos Scriptores, ex quibus Lib. VIII. & XI. hauſit. De aliis ejus Scriptis, atque de Edit. Lib. de Re Ruſt. adeatur *Fabrit.* Lib I. Bibl. Lat. Cap. II.

VI. CICERO Romanae facundiae Princeps

ceps ex patre Equeſtris Ordinis, ex regio Volscorum genere, natus dicitur a *Camer.* Cent I. Oper. Subcis. Cap. XXXI. In medendi Scientia quam maxime verſatus fuit, veluti concluditur ex ejus Lib. XVI. ad Famil. Ep. IV. ubi ad Tironem ſuum ita ſcribit: *De Medico & tu bene exiſtimari ſcribis & ego ſic audio. ſed plane curationes ejus non probo. Jus enim dandum tibi non fuit, cum κακοστόμαχος eſſes.* Quam verum hoc praeceptum fuit Medicum ex *Cels.* Lib. II. Cap. XXV. probat *Victor.* ad dictum *Cicer.* locum. Caeterum exactiſſimam Anatomes eum habuiſſe notitiam diſertis admodum verbis ipſe indicat, Lib. II. de Nat. Deor. Cap. LIV. ſeq. Itaque *Barth.* Medicos Romanos enumerans inter eos etiam recenſet Ciceronem Lib. XXXVIII. Advers. Cap. III. De Animalibus, nec non de Medicina ex Animalibus deſumta ſcripſiſſe videtur ex *Plin.* Lib I. H. N. ubi auctores Lib. IX. XXX. & XXXI. memorat. Plura de Cicerone habentur ap. *Borrich.* de Poët. Lat. Diſſ. IV. §. 13.

VII. VIRGILIUS Poëtarum Deus Medicis ab *Hippol. Obic.* de Nobil. Med. pag. 99. annumeratur: nam omni ſtudio, omnique cura Medicinae operam dedit ſecundum teſtimonium *Serv. Mauri*, ſive is fuit *Donatus*,

ut

ut nonnulli volunt, in ejus Vita. Quod etiam elicere volunt ex *Colum.* Lib. I. de Re Ruſt. Cap. I. qui cum de re Botanica ſcripſiſſe refert. Illud paſſim quoque videre licet ſuis ex ſcriptis. Hinc plura ex eo hauſit *Plinius*, uti ipſe teſtatur Lib. I. H. N. cum mentionem facit illorum ſcriptorum, ex quibus ea, quae Lib. XII, XIII, XV, & XVII. habentur, depromſit. De Animalibus ſcripſiſſe videtur ex eod. *Plin.* Lib. I. exhibente auctores Lib. XI. Plurima vero loca ad Medicam ſcientiam ſpectantia excerpſit *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 214. & *Th. Barthol.* in Diſſ. de Med. Poëtis. Clariſſimus ille Poëta Medicus Neapoli ſepultus fuit, quemadmodum ſequens ibi repertum Epitaphium indicat: SISTITE. VIATORES. QUAESO PAUCA. LEGITE. HIC. MARO SITUS. EST. Vid. *Mabill.* Mus. Ital. pag. 112. Quod ſepulcrum quidam poſteriores poëtae, ut Silius Italicus teſte *Martial.* Lib. XI. Epigr. XLIX. & LI. & *Plin.* Jun. Lib. III. Ep. XI. Ac P. Papinius Statius teſte *Barth.* ad *Stat.* Lib. IV. Sylv. IV. ℣. 54. ut locum ſacrum atque divinum adire ſolebant. Conf. *Borrich.* de Poët. Lat. Diſſ. I. §. 17. & *Voſſ.* de Poët. Lat. Cap. I. & II.

VIII. AEMILIUS MACER ſub initio Auguſti principatus floruit; Ovidius enim, qui

qui A. U. C. MCCXI. ut *Maſſ.* in Vit. Ovid. pag. 1. Vel. A. U. C. MCCX. ut *Cioſan.* ad *Ovid.* locum jam nominandum tradit, Hirtio & Panſa Coſſ. natus erat, quemadmodum ipſe affirmat Lib. IV. Triſt. El. X. ℣. 4.

Editus hinc ego ſum: nec non, ut tempora noris,
Cum cecidit fato Conſul uterque pari.

Quibus Conſulibus clare deſignantur Hirtius & Panſa, qui bello Mutinenſi, ſimul cum Caeſare Octaviano, adverſus M. Antonium dimicantes ambo ceciderunt; duobus nempe praeliis circa Mutinam Aprili menſe commiſſis, quibus *Conſulum alter in acie, alter poſt paucos dies ex vulnere mortem obiit. Vell. Paterc.* Lib. II. Cap. LXI. §. 4. Alii tamen ambos hos Coſſ. opera ipſius Auguſti occiſos aſſerunt, ut Antonio fugato, Repub. Conſulibus orbata, ſolus victores exercitus occuparet. *Tac.* Lib. I Ann. Cap. X. & *Suet.* in Aug. Cap. XI. Hic, dico, Ovidius noſtro Macro aetate minor fuit, uti ipſe clare oſtendit Lib. IV. Triſt. El. X. ℣. 44.

Saepe ſuas volucres legit mihi grandior aevo,
Quaeque necet ſerpens, quae juvet herba, Macer.

Eum

Eum ad AEmiliam gentem referendum cen-
et *Heins.* ad *Ovid.* Lib. IV. ex Pont. Ep.
XVI. ℣. 6. Nec non cum Virgilio illum ami-
itiam coluiſſe oſtendit *Serv.* ad *Virg.* Ecl. V. ℣. 1.
MANALCAS, *Virgilius hic intelligitur, qui*
bitum fratris ſui Flacci deflet, vel, ut alii
volunt, interfectionem Caeſaris. MOPSUS *ve-*
o AEmilius Macer, Veronenſis, Poëta, ami-
us Virgilii. Alicujus Macri Poëtae mentio
tiam fit ap. *Quintil.* Lib. X. Inſtit. Orat. Cap.
& Lib. XII. Cap. XI Porro ſub Alex-
ndro Severo quoque aliquem AEmilium
Macrum JCtum a Noſtro diſtinctum floruiſſe
rudite oſtendit Vir Incompar. Clar. *Ott.* in
raef. Tom. I. Thes. Jur. Macer Eques re-
eritur ap. *Mart.* Lib. VIII. Epigr. V. De
Clodio Macro Africae Praeſide inſpiciatur
atin. ad *Suet.* Galb. Cap. XI. Baebius Ma-
er, qui tempore Hadriani vixit, vir Con-
ilaris laudatur a *Plin. Secund.* Lib. IV. Ep.
X. De quo plura habet *Caſaub.* ad *AEl.*
partian. in Adrian. Cap. V. AEmilius Ma-
er in fine vitae militiae nomen dedit, quod
ueritur *Tibull.* Lib. II. El. VI. ℣. 1.

Caſtra Macer ſequitur. tenero quid fiet A-
mori?

Male enim haec verba de Pompejo Macro,

 cui

cui ordinandas Bibliothecas delegaverat Au-
guſtus, teſte *Suet.* in Caes. Cap. LVI. Ve
ſaltem de quopiam Macro a noſtro diverſo per
Dous. ad *Ovid.* Lib. II. Amor. El. XVIII. ℣.
2. Alioſque Viros Doctos explicantur, obſer-
vante *Broukh.* ad *Tibull.* L. L. Cui Viro eo
facilius aſſentior, quum videam AEmilium
Macrum Poëtam ſupremum obiiſſe diem in
Aſia, quo ob bellum, quod ibi tunc tempo-
ris gerebatur, profectus videtur: quod indi-
cat *Euſeb.* in Chron. Olymp. CXCI. ubi ita
refert: *AEmilius Macer Veronenſis Poëta* in
Aſia *moritur.* Cons. *Scal.* ad *Euſeb.* pag. 157
Quod tempus circiter convenit cum A. U. C.
DCCXXXVIII. Adeoque triennio fere poſt
Virgilium mortuus fuit, uti ex computatione
Chronologica patet. Conf. *Voſſ.* Lib. I. de
Hiſt. Lat. Cap. X. *Broukh.* L. L. & *Gutber.*
Tab. Chronol. Hic vero ante, quam perga-
mus, nobis paululum ſubſiſtendum erit, ut
inquiramus, an hic AEmilius Macer idem
ſit, de quo Ovidius variis in locis verba fa-
cit. Ita alicujus Macri poëtae, qui παραλειπόμενα Homeri cecinit, mentionem facit in
Epiſtola ad hunc Macrum ſcripta, quae ha-
betur Lib. II. ex Pont. Epiſt. X. ℣. 13.

Tu canis aeterno quicquid reſtabat Homero,
Ne careant ſumma Troica bella manu.

Und

Unde ille Iliacus Macer appellatur ab eod. Lib. IV. ex Pont. Ep. XVI. ỳ. 6.

Cum foret & Marſus, magnique Rabirius oris,
Iliacuſque Macer, ſidereuſque Pedo.

Quo etiam reſpexiſſe videtur in altera ad hunc Macrum Elegia, quae reperitur Lib. II. Amor. Eleg. XVIII. ỳ. 1. & 35. Revera ſi paulo attentius haec memorata loca perpendamus, non difficile erit contra *Voſſ.* Lib. I. de Hiſt. Lat. Cap. XVI. & de Poët. Lat. Cap. II. pag. 28. & *Turneb.* ad *Quintil.* Lib. X. Inſtit. Orat. Cap. I. qui haec loca de AEmilio Macro interpretati fuerunt, cum aliis Viris Eruditis divinare circa illa tempora duos diverſos Macri nomine Poëtas floruiſſe, quorum prior de animalibus ſcripſit, alter vero Homeri παραλειπόμενα compoſuit. Cujus rei evidens exiſtimo argumentum, quod AEmilius Macer Poëta jam mortuus dicitur A. U. C. DCCXXXVIII. uti mox vidimus: nunc vero conſtat *Ovidium* ad Macrum ex Ponto ſcripſiſſe, quae Epiſtola reperitur Lib. II. ex Pont. Ep. X. Atque ex Doctorum Virorum ſententiis ſcimus, Ovidium demum circiter A. U. C. DCCLXII. in exilium pulſum fuiſſe. Vid. *Scalig.* ad *Euſeb.* Chron. pag. 167.

Calvis. Ann. ad A. Chr. VIII. & *Noris.* de Cenot. Piſan. pag. 201. Adeoque haec longe poſt prioris mortem ſcripta fuere. Praeterea veroſimile non eſt Ovidium ante Ann. AEtat. XXVIII. qui cum A. U. C. DCCXXXVIII. ex computatione *Maſſ.* in ejus Vita pag. 92. convenit, jam tertiam duxiſſe uxorem, quae ſanguinis vinculo cum hoc Macro conjuncta fuit, uti obſervat *Maſſon* in Ovid. Vita pag. 62. Imo in juventute cum Macro illo jam amicitiam coluit, uti conſtat ex eo, quod ſimul Aſiam & Siciliam perluſtraverint, docente ipſo *Ovid.* Lib. II. ex Pont. Ep. X. ℣. 21.

Te Duce magnificas Aſiae perſpeximus urbes
Trinacris eſt oculis te Duce nota meis.
Vidimus AEtnaea coelum ſplendeſcere flamma;
Suppoſitus monti quam vomit ore Gigas.

Tandem denique haec loca de AEmilio Macro non eſſe intelligenda, verum potius de alio ab hoc diverſo etiam cenſuit *Scal.* ad *Euſeb.* Chron. pag. 157. Quia Ovidius hunc poſteriorem duntaxat ut Iliacorum ſcriptorem memorat Lib. IV. ex Pont. Ep. XVI. ℣. 6. non omiſſurus carmina de Animalibus atque Herbis, ſi is, non alius, ea ſcripſiſſet. AEmilium vero Macrum laudans Lib. IV. Triſt.

El.

El. X. ℣. 44. eum inter vetuſtiores atque adeo jam mortuos recenſet, ut Horatium, Virgilium & Propertium. Eos quoque diſtinxit *Dous.* ad *Ovid.* Lib. II. Amor. El. XVIII. ℣. 2. Nec non *Heins.* ad *Ovid.* Lib. IV. ex Pont. Ep. XVI. ℣. 6. AEmilium Macrum ad gentem AEmiliam, alterum vero Macrum ad gentem Liciniam refert. Sic enim occurrit alter C. Licinius Macer ap. *Val. Max.* Lib. IX. Cap. XI. §. 9. cujus etiam meminit *Cic.* de Clar. Orat. Cap. LXVII. & Lib. I. ad Att. Ep. IV. *Aur. Vict.* in Praef. de Orig. Gent. Rom. & Cap. XIX. § 5. Sed ad noſtrum redeamus AEmilium Macrum, qui Medicis annumeratur a *Tiraq.* de Nobilit. Cap. XXXI. §. 230. Scripſit etiam non ſolum de Herbis, ſed etiam de Avibus atque Animalibus venenatis, *Ovid.* Lib. IV. Triſt. El. X. ℣. 44.

Saepe ſuas volucres legit mihi grandior aevo,
Quaeque necet ſerpens, quae juvet herba, Macer.

Hinc Auctor Diſtichorum, quae *Catonis* nomine circumferuntur, in Praef. Lib. II. ita loquitur:

Telluris ſi forte velis cognoſcere cultus;
Virgilium legito. Quod ſi mage noſce laboras
Herbarum vires, Macer has tibi carmine dicet,
Corporis ut cunctos poſſis depellere morbos.

Quorum aliquot fragmenta ſervant *Voſſ.* Lib. I. de Hiſt. Lat. Cap. XVI. & *Broukh.* ad *Tibull.* Lib. II. El. VI. ℣. 1. Ita inter ſcriptores, qui tum de Herbis cum de Animalibus ſcripſerunt, AEmilium Macrum etiam locat *Plinius*, cum Lib. I. memorat, qui ſibi in Lib. IX, X, XI, & XVII. condendis profuerunt. De Libro, quem hodie *Macri* nomine habemus, etiam varia Eruditorum fuit ſententia; quidam enim ut *Atrocianus* in Praef. ad ſua Comm. in *Macrum* tribuit non antiquo noſtro Macro, ſed potius illi juniori, ad quem *Plin. Minor.* Lib. III. Ep. V. ſcripſit: at male fortaſſe, nam iſta *Plinii* Epiſtola, ut plerique legunt libri, non Macro, ſed Marco eſt inſcribenda, quem Antoninum ſuſpicari licet. Vid. *Catanaeum* & *Jac. Thomas.* ad *Plin.* L. L. & *Caſtell.* Vit. Ill. Medic. ap. *Gron.* Tom. X. Thes. Ant. Graec. pag. 890. Alii iterum ut *Raph. Volaterranus* Lib. XVII. Comment. Urban, *Georg. Pictorius* in Epiſt. ad Lect.

Macro

Macro ab ipſo edito praefixa, & *Th. Barthol.* in Eleg. Diſſ. de Med. Poët. pro genuino AEmelii Macri foetu habuerunt. Quod e *Bartholino* miratur *Broukh.* ad *Tibull.* L.L. Quum illo de dolo jam olim monuiſſet *Gyral.* Dial. IV. de Hiſt. Poët. Quippe hunc libellum ſub praetexto alicujus nomine circumferri liquido conſtat ex eo, quod illius auctor valde imprudenter citet *Plinium*; *Palladium*, ubi de Roſa; *Galenum*, ubi de Urtica, Coriandro & Cepis; & *Oribaſium*, ubi de Sabina & Aloe agit: qui longe poſt AEmilium Macrum vixerunt: nam *Oribaſius* Juliani Imperatoris Archiater fuit, docente *Fabrit.* Bibl. Graec. Vol. XIII. pag. 353. Conf. *Barth.* Lib. IV. Advers. Cap. XIV. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. I. Cap. I. Quibus adjungi meretur Celeb. *J. Bapt. Morgagn.* ad Vulpium Epiſt. in *Ser. Samm.* pag. 69. ubi egregie hanc pertractat materiem. Quae Epiſtola ſimul cum altera in *Aur. Corn. Celſum* Epiſtola edita fuit, Hagae-Com. A. MDCCXXIV. Caeterum Latinitas ipſa ſatis indicat non argentei, at aenei certe ſeculi eſſe, *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 230. *Scalig.* Hypercritic. Cap. V. & *Cellar.* in Prol. ante Cur. Poſter. pag. 46. Quare merito ſuſpectae antiquitatis habetur a *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 222. & *Voſſ.* ad *Pomp. Mel.* Lib. III. Cap. VI. ℣. 40. Quod adeo

manifeſtum putat *Caſtell.* in Vit. Ill. Medic. ap. *Gron.* Tom. X. Thes. Ant. Graec. pag. 886. ut nulla egeat probatione. At inſpiciamus *Gaud. Merulam* Lib. I. de Gallor. Ciſalpin. Ant. & Orig. Cap. X. in Tom. I. Part. I. Thes. Antiq. & Hiſt. Ital. pag. 98 qui auctoritate alicujus Codicis antiquiſſimi ipſi viſi, Medico cuidam Odoni dicto aſſignat, haec ejus ſunt verba: *Hanc urbem* (Veronam) *tres maxime viri illuſtrarunt: Catullus ſcilicet, a quo & Julius Caeſar proſciſſus eſt: Vitruvius per tempora Divi Auguſti, architecturae ſcriptor. & AEmilius Macer, qui de herbarum virtute elegantiſſime ſcripſit. Sed hic libellus, qui ſub Macri nomine circumfertur, non hujus eſt, ſed Odonis cujusdam Medici, ut ipſe vidi in codice quodam antiquiſſimo. Verum ut gratior exiret in lucem, Macri titulo inſcriptus eſt.* Conf. *Jac. Thomas.* ad *Plin.* Lib. III. Ep. V. Ideoque ex veriori ſententia ſtatuere licet, hunc libellum nequaquam AEmilium Macrum verum ſcriptorem agnoſcere, ſed potius ab aliquo poſterioris aevi eſſe confectum, qui varia priſci noſtri Macri fragmenta huic opuſculo inſeruiſſe videtur, docente *Barth.* Lib. XII. Advers. Cap. XX. & Lib. XVII. Cap. I. Conf. *Salm.* Prol. Homon. Hyl. Jatr. pag. 15. Attamen ante A. Chr. MXCI. compoſitus

fuit

ſuit, nam a *Gulielm. Hirſaugienſi* Lib. III. Aſtrol. Philoſoph. pag. 68. jam citatus fuit; qui Scriptor obiit A. Chr. MXCI. Etiam a *Sigeberto Gemblacenſi*, qui teſte *Blount.* in Cens. Celeb. Auct. pag. 371. mortuus fuit circa A. MCXIII. Paullino aequalis fertur in *Catal. Script.* Antiquitatem ejus quoque arguit, quod Schola Salernitana ex hoc libello non tantum totos exſcripſerit verſus, verum etiam ipſum libellum ſibi imitandum propoſuerit. *Almel.* in Plagiar. Syll. pag. 37. Sic enim Cap. LXII. *Scholae Salernitanae* deſumtum eſt ex *Macri* Lib. I. Cap. VII. Cap. LXIV. ex Lib. I. Cap. XIX. Cap. LXV. ex Lib. II. Cap. II. Caput. LXVI. ex Lib. II. Cap. V. Caput. LXVII. ex Lib. I. Cap. XXII. Caput. LXVIII. ex Lib. I. Cap. XX. Caput. LXIX. ex Lib. II. Cap. IV. Caput. LXX. ex Lib. I. Cap. XI. Caput. LXXI. ex Lib. II. Cap. XX. Caput. LXXII. ex Lib. II. Cap. XVI. & XXXV. & ex Lib. IV. Cap. XI & Caput. LXXIV. ex Lib. I. Cap. VI. Videſis *Renat. Morell* in Comm. ad *Schol. Salernit.* pag. 379. Edit. Paris. A. MDCXXV. 8to. & *Voſſ.* de Poët. Lat. Cap. II. pag. 28. Jam ſcimus hoc opuſculum, Scholam Salernitanam inſcriptum, compoſitum fuiſſe admodum A. Chr. MC. Cons. *Conring.* Diſſ. III. de Antiq Acad. pag. 98. & *Pag.* in Crit. Baroni-

ronian. ad A. Chr. MLXXXVII. n. 13. Quibus adde *Ant. Mazz.* Urb. Salernit. Hiſt. Cap. IX. in Tom. IX. Part. IV. Thes. Ital. pag. 68. Pluribus tandem de *Macri* iſtius libelli auctoris aetate inquirit *Morgagn.* in Epiſt. in *Scr. Sammon.* pag. 71. & de vero ſcriptoris nomine pag. 73. Hic ſub *Macri* nomine deambulans libellus cum Commentariis *Guilelmi Gueroaldi*, & rudibus herbarum figuris ſervatur a *Fabrit.* ipſo teſte Bibl. Lat. Lib. IV. Cap. XII. ſub ſeculi decimi ſexti, ut videtur, initia excuſus in 8to. Cui libello his verbis finis imponitur: *Habetis juvenes ſtudioſiſſimi, Macri Floridi de Viribus Herbarum opuſculum ab omni mendo caſtigatiſſimum una cum interpretaciunculis luce meridiana longe clariſſimis.* Quoque editus fuit Friburgi ap. *Emmaeum.* A. MDXXX. in 8to. cum *Joh. Atrociani* commentariis, ut docet *Mercklin.* Linden. Renov. pag. 16. Quibus conjungi poteſt Editio Francof. ap. *Egenolphum.* A. MDXL. in 8to. ex recognitione *J. Cornarii*, ſub titulo *Macer de Re Herbaria.* Vid. *Reines* Epiſt. IV. ad Daum. p. 12.

IX. OVIDIUS, qui ſecundum *Senec.* Lib. III. Quaeſt. Natur. Cap. XXVII. Poëtarum ingenioſiſſimus eſt, ex illuſtri familia natus fuit; nam non duntaxat ex Equeſtri fuit Ordine, verum ex illis, qui ob generis antiquitatem Equites Splendidi, Specioſi, & Illuſtres

lluſtres dicti videntur, docente *Maſſon* in
Vit. Horat. pag. 114 & in Vit. Ovid. pag.
o. Quae vita hodie plenior reperitur in Tom.
V. Ultimae *Ovid.* Edit. A. MDCCXXVII.
ura Clar. *Burm.* Conf. *Barth.* ad *Stat.* Lib.
II. Sylv. III. ℣. 145. Hic Sulmonenſis vates
Medicorum catalogo etiam adjungitur a *Tiraq.*
e Nobil. Cap. XXXI. §. 231. quod *Plin.*
Lib. XXX. H. N. Cap IV. ejus, ut cu-
usdam Medicinae auctoris, meminit, ita
cribens: *Hujus Medicinae auctor eſt Ovidius*
Poëta. Sic dicitur & de Animalibus & de eo-
um Medicina ſcripſiſſe; nam inter illos ſcri-
ptores etiam ponitur a *Plin.* L. I. cum enu-
meret, ex quibus profecit in Lib XXIX.
componendo. Nec non in Lib. XXXII. Cap.
I. & XI. Ovidium citat ex Libro Halieut.
ſive de Piſcibus, carmine Epico conſcripto.
Cujus opuſculi fragmentum immerito *Barth.*
Lib. XLIV. Advers. Cap. XI. & Lib. XLIX.
Cap. VII. ſuſpectum fuit, teſte *Fabrit.* Bibl.
Lat. Lib. I. Cap. XV. Exſtat in Poëmatibus
antiquis *P. Pythaei.* Quibusdam Halieut. lo-
cis lucem adfert *Voſſ.* Lib. IV. de Idolol. Cap.
VII. & XIV. Praeterea etiam reliquit librum
de Faciei Medicaminibus, qui male ſupposi-
titius *Ovidii* foetus exiſtimatur a *Borrich.* de
Poët. Lat. Diſſ. I. §. 21. Nam ipſe teſtatur
ſe illum compoſuiſſe libellum Lib. III. Art.
Amat ℣. 205.

Eſt

*Eſt mihi, quo dixi veſtrae medicamina fo-
mae,*
Parvus, ſed cura grande libellus opus.

Quare merito ambo illorum operum frag-
menta a Viris Doctis reliquis *Ovidii* operi-
bus adjuncta fuerunt. De Ovidii morte atque
ſepulcro inſpiciatur *Scalig.* ad *Euſeb.* Chron.
p. 167.

X. Circa haec tempora referimus CASSI-
UM ſeculi ſui Medicum ingenioſiſſimum, ut
Cels. in Praef. Lib. I. de eo loquitur: nam
ante Tiberium obiiſſe videtur ex *Scrib. Larg.*
Comp. CXX. *Nam Caſſii Medici colice bona*
multis nota propter effectus, vera haec eſt,
ab ejus ſervo Atimeto accepi, legato Tiberii
Caeſaris: quia is eam ſolitus erat ei componere.
Hic Caſſius contra Colicam Paſſionem reme-
dium inveniſſe videtur ap. *Cels.* Lib. IV. Cap.
XIV. Cujus deſcriptio ab eodem *Cels.* Lib.
V. Cap. XXV. datur; a quo tamen in e
deſcribendo paululum differt *Galen.* Lib. IX.
Comp. Pharm. ſec. loc. Cap. IV. de qua dif-
ferentia conferri meretur *G. Hofmann.* Lib. VI.
Var. Lect. Cap. III. Ejusdem Caſſii Antido-
tus etiam memoratur ap. *Scrib. Larg.* Comp.
CLXXVI. Diagingibereos ap. *Cael. Aurel.*
Lib. IV. Morb. Chron. Cap. VII. & Colly-
rium ap. *Aët. Tetrab.* Lib. II. Serm. III. Cap.
XCIX.

CIX. Hic Caſſius Problematum Medico-
um, quae hodie Caſſii Jatroſophiſtae nomine
rcumferuntur, auctor perhibetur a *Mercur.*
ib. III. Var. Lect. Cap. II. & *Voſſ.* de Phi-
s. Cap. XII. §. 3. Caſſium enim Jatroſophi-
am eundem, qui Caſſius noſter, fuiſſe oſten-
t *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. III. Cap.
X. De vero horum Problematum ſcriptore
im valde dubitaverat *Adr. Junius*, qui ea ex
raeco in Latinum tranſtulerat ſermonem, in
raef. ad Corn. Rhemn. quam iſti verſioni
aefixerat, haec ejus ſunt verba: *Quis hic
iptor fuerit, quove temporum tractu vixerit,
hil equidem, ut ingenue fatear, compertum
beo. Memorat Suidas Longinum cognomento
ſſium, magni illius Porphyrii praeceptorem,
i quaeſtiones & problemata Homerica ſcripſe-
. Citatur & quidam Medicinae ſcriptor Cas-
s Calpitanus, uter vero hujus ſit auctor li-
i, an alius quiſpiam & an is quem Galenus*
.VII. & IX.IV. *de compoſitione Medicamen-
um ſecundum locos allegat, nec ſemel Hippi-
rica, malim dubium ſilentio tranſire, quam
nere aſſeverando ineptiae notam incurrere. Cer-
quisquis tandem ſit, ut non infimae in re Me-
ca claſſis, ita lectione non perfunctoria, ſed
pius iterata digniſſimus eſt, adderem & aequa-
cum veterum multis, nominis auctoritate,
aliorum cenſurae praejudicium dictare primus
fer-*

formidarem. Horum Problematum ſcriptor Aſclepiadis ſectator dicitur a *Mercur.* Lib. IV. Var. Lect. Cap. XIII. Uti illud latius proba *Clercq.* L. L. *Adr. Junii* Latina Problematum verſio & caſtigationes primo editae fuere Pariſiis A. MDLI. 4to. Recuſae ſunt ab *Henr. Stephano* inter Medicae Artis Principes A. MDLXVII. Fol. Tandem Graece & Latine edita ſunt cum notis *And. Rivini*, Lipſ. A. MDCLIII. 4to. Praeterea video a *Conring.* Introd. in Art. Med. Cap. III. §. 13. memorari *Caſſium Felicem* Medicum tempore Claudii Imp. clarum, ut ſcriptorem duorum librorum de Curatione morborum, atque exiſtimat alia iſtius Caſſii ſcripta adhuc alicubi latere, quia aliquoties in Pandectis Medic. *Matthaei Salvatici* memoratur. Varios iſtius nominis tum Medicos, tum alios Viros Celeberrimos, qui florente imperio Romano vixerunt, producere poſſemus, ut Caſſium Dionyſium Rei Ruſticae ſcriptorem *Varro.* Lib. I. R. R. Cap. I. Caſſium Maximum cui Oneirocritica ſua inſcripſit *Artemidorus.* Caſſium Scepſium *D. Laërt.* Lib. VI. Segm. XXXII. C. Caſſium JCtum, Caſſianae Scholae Principem *Plin. Jun.* Lib. VII. Ep. XXIV. Casſium Severum Oratorem *Plin.* Lib. VII. H. N. Cap. XII

& *Quintil.* Lib. VI. Inſtit. Orat. Cap. III. & Lib. X. Cap. I. Casſium Heminam vetuſtisſimum auctorem *Plin.* Lib. XIII. H. N. Cap. XIII. At plura deſiderantes potius relego ad *Bayl.* Lex. Critic. de Casſio autem noſtro conſuli poſſunt *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. pag. 170. *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 188. *Mercklin.* Linden. Renov. pag. 166. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Lib. III. Cap. VI. §. 8.

XI. Sequitur JULIUS BASSUS, quem ſub Auguſto vixiſſe obſervat Clar. *Burm.* ad *Quintil.* Lib. VI. Inſtit. Orat. Cap. III. Ita enim Julii Basſi mirifica colice laudatur a *Scrib. Larg.* Comp. CXXI. qui paulo infra haec tempora vixit, uti mox §. 15. videbimus. Basſi pharmacum etiam occurrit ap. *Galen.* Lib. VII. Comp. Pharm. ſec. loc. Cap. II. & Lib. VII. Comp. Medic. per gen. Cap. XII. Ut Medicus ad partes vocatur ab *Actuar.* Lib. VI. Meth. Med. Cap. VIII. *Oribas.* Synops. Lib. III. de Collyriis. Graece de Medicina ſcripſiſſe fertur a *Plin.* in Jndice, variis in locis. Circa nomen autem hujus Basſi diverſa auctorum eſt ſententia, quippe a quibuſdam uti *Dioscor.* in Praef. Lib. I. *Cael. Aurel.* Lib. III. Morb. Acut. Cap. XVI. & *Epiphanio Cyprio*, Epiſcopo Conſtantienſi, qui Dioſcoridem ſequutus videtur, in

in princ. Lib. I. contr. Heres. appellatur Tullius ſive Tylaeus Baſſus; a plurimis tamen auctoritate *Scrib. Larg.* L. L. *Plinii* eum in Indice ſaepius citantis, & *Marcell.* de Medic. Cap. XXIX. nominatur Julius Baſſus: quare & *Jo. Ant. Saracenus* in ſua *Dioſcor.* Editione loco Τυλλιος, ſive ut alii habent Cod. Τυλᾶιος legere maluit Ιυλᾶιος, levi litterae T. in I. permutatione. Quae ſententia veriſimillima videtur, ſi vera ſit *Marſil. Cagnat.* Lib. II. Var. Obſerv. Cap. XV. ap. *Grut.* Tom. III. Thes. Critic. pag. 548. & *Rhod.* ad *Srib. Larg.* pag. 190. conjectura, docentis iſtum C. Julium, cujus meminit *Plin.* Lib. VII. H. N. Cap. LIII. noſtrum eſſe Baſſum, ita ut nomen ejus eſſet C. Julius Baſſus: cujus nominis aliquis ſub Tiberio memoratur in Lapide ap. *Gruter.* pag. CCXXXV. n. 8. L. Julius Baſſus ſub Veſpaſiano ap. Eund. *Gruter.* pag. 241. Julii Basſi Bithyniae Procos. cauſam egit *Plin. Jun.* Lib. IV. Ep. IX. cujus etiam meminit Lib. X. Ep. LXIV. & ſaepisſime alicujus Julii Basſi verba facit *Senec.* Lib. II. & III. Controv. Unde Magnus *Burm.* ad *Quintil.* Lib. VI. Inſtit. Orat. Cap. III. colligit Basſi fuiſſe Juliorum cognomen. Quod de Grania gente ex *Ludov. Carrio.* Lib. I. Emend. Cap. IV. etiam obſervat *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* L. L. Caeterum

plures

plures iſtius nominis apud ſcriptores reperiuntur. Ita Calphurnius Baſſus, qui de Arboribus ſcripſit, ap. *Plin.* in Indice Lib. XVI. & XXI. Pomponius Baſſus ap. *Galen.* Lib. IV. Comp. Pharm. ſec. loc. Cap. VII. Q. Caecilius Baſſus ap. *Cic.* Lib. XII. ad Fam. Ep. XI. Annius Baſſus legionis Legatus ap. *Tac.* Lib. III. Hiſtor. Cap. L. Baſſus Conſul ap. *Treb. Poll.* in Trig. Tyrann. Cap. IX. Salejus Baſſus vir optimus & abſolutiſſimus poëta ap. *Tac.* de Orat. Cap. V. cui Veſpaſianus Cap. IX. dicitur quingenta ſeſtertia donaſſe. De Baſſo poëta verba facit *Mart.* Lib. V. Epigr. LIV. Ad Caeſium Baſſum poëtam Lyricum *Perſius* ſatiram VI. ſcripſit. de quo Baſſo plura habet *Broukh.* ad *Propert.* Lib. I. El. IV. ℣. 1 De Gabio autem ſive Gavio Baſſo conſuli meretur *Gron.* ad *A. Gell.* Lib. III. Cap. IX.

XII. Baſſo ſubjungimus SEXTIUM NIGRUM, quia a *Cael. Aurel.* Lib. III. Morb. Acut. Cap. XVI. Baſſi amicus vocatus fuit. Graece etiam de Medicina ſcripſiſſe fertur a *Plin.* in Ind. Lib. XIX. XXVI. & XXX. Quamvis aeque ac priores origine Romanus fuit, docente *Morſit. Cagnat.* Lib. II. Var. Obſerv. Cap. XV. ap. *Grut.* Tom. III. Theſ. Crit. pag. 548. & *Rhod.* ad *Scrib. Larg* pag. VI. Ut Simplicium Medicamentorum ſcriptor

laudatur ap. *Galen.* Lib. I Antid. Cap. II. & diligentiſſimus Medicinae vocatur ap *Plin.* Lib. XXXII H. N. Cap. III. Ex illius ſcriptis Dioſcoridem plurima ſua deſumſiſſe credit *Salm.* in Proleg. Homon. Hyl. Jatr. pag. 9. Ejus tanquam Medici quoque meminerunt *AEm. Macer*, ubi de Malva agit, & *Plin. Valer.* Lib. IV. de Re Med. Cap. V. Effigies ejus ſervatur in *Dioſcor.* Codice tum antiquitate tum elegantia nulli ſecundo, qui reperitur in Bibl. Auguſt. Vindobon. teſte *Lambec.* Lib. II. de Bibl. Vindob. Cap. VIII. Etiam reperitur ap. *Gron.* in Tom. III. Theſ. Ant. Graec. Tab. I. I.

XIII. Sequitur AURELIUS CORNELIUS CELSUS, circa quem quatuor inquirenda occurrunt, nimirum *Nomen*, *Patria*, *AEtas & Profeſſio.* In plurimis Editionibus vocatur *Aur. Corn. Celſus*; quia in omnibus veterum Codicum Mſſ. legitur *A. Corn. Celſi* Artium Liber VI. Conſ. *Rhod.* in Vita Celſi: quae vita ſola ſupereſt ex omni illo apparatu, quo Celſum Vir ille Eruditiſſimus illuſtrarat, quem *Th. Bartholinus* editurus eſſet; at magno Reipublicae Litterariae damno totus ille theſaurus incendio bibliothecae Bartholinianae periit, uti queritur *Almel.* in Praef. ante ſuam *Celſi* Edit. *Fabric.* Bibl. Lat. Lib. II. Cap. IV. in fine & ipſe

Bart-

Barthol. in Praef. ante *Rhod.* Diſſ. de Acia, cui haec Celſi vita annexa eſt; etiam reperitur praefixa *Celſi* Edit. cura *Almel.* At redeamus, unde divertimus Unica tamen Editio Aldina legit *Aulus Cornelius Celſus.* Quae lectio veritati valde congrua videri poſſet, quum fateri debeamus duo familiarum nomina illa aetate vix uſquam conjuncta reperiri, imo vetuſtatis exemplo carere: quod nihilominus hic fit, nam nomen *Aurelius* familiae Aureliae, *Cornelius* vero familiae Corneliae proprium eſt. Vid. *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 156. *Torrent.* ad *Horat.* Lib. I. Ep. VIII. ℣. 1. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part II. Lib. IV. Sect. II Cap. IV. Sed vulgarem lectionem potius retinendam eſſe ſuadet *Reines.*, ſi vera ſit Emendatio in Var. Lect. Lib. III. Cap. XVIII. pag. 656. ubi aſſerit ap. *Caſſiod* Divin. Lect. Cap XXXI. pro *Coelii Aurelii de Medicina libros* legendum eſſe *Cornelii*, vel *Celſi Aurelii de Medicina libros.* Priusquam ad ejus *Patriam* accedamus, fert animus brevi oſtendere varios Celſi nominis Viros Illuſtres ſemper in Republica Romana exſtitisſe, quorum mentio occurrit ap. *Horat.* Lib. I. Ep. III. ℣. 15. & Ep. VIII. ℣. 1. & *Ovid.* Lib. 1. ex Pont. Ep. IX. ℣. 1. Sic etiam Celſum Oratorem memorat *Juven.* Sat. VI. ℣. 246. L. Publilium Celſum Cos. *AEl. Spart.*

 in

in Adrian. Cap. IV. uti *Caſaub.* ibi docet: Ejus enim Celſi id. *AEl Spart.* L. L. Cap. VII. meminit; nec non Cap. XVIII. de aliquo Julio Celſo JCto verba facit. De Celſo JCto etiam mentionem facit *AEl. Lamprid.* in Alex. Sever. Cap. LXVIII. De Celſo AEliano Cos. *Jul. Capitol.* in Maxim. & Balbin. Cap. XVII. Inter triginta Tyrannos etiam recenſetur Celſus Imperator a *Treb. Poll.* in Trig. Tyrann Cap. XXIX. Cujusdam Celſi memoriam etiam ſervat *Lucian.* nam ſuum Alexandrum ſeu Pſeudomanten alicui Celſo dedicavit. M. Livius Celſus Scholarum Medicorum Tabularius *ſup.* Sect. I. Cap. VII. § 1. adductus fuit. Plures enumerant *Rhod.* in Ejus Vita. *Rupert.* ad *Pomp.* de Orig. Jur. pag. 458. *Gaſſend.* in Vit. Epicur. Lib. II. Cap. VI. & *Fabrit.* Bibl. Lat. Lib. II. Cap. IV. §. 1. Hiſce quidem ex mente *Rupert.* ad *Pomp.* L. L. pag. 460. adjungere poſſem illum Praetorem, cujus verba facit *Juven.* Sat. VIII. ℣. 194.

Nec dubitant Celſi Praetoris vendere ludis.

Sed Celſus ibi non eſt nomen proprium, ut *Rupert.* exiſtimat, verum adjectivum denotans ſublimem ſedentemque Praetorem in curru, quum ludis habitu Triumphali, praeſit, docent

cente *J. Britann.* ad *Juven.* L. L. Eadem ratione video *Schott.* locum *Aur. Vict.* de Caeſar. Cap XXXV. §. 5. etiam emendaſſe; nam ibi pro *Ipſe poſt Celſum biennii Imperii in Triumphum ductus* legere mavult *Ipſe poſt celſum biennii Imperium in Triumphum ductus*: ita ut celſum Imperium denotet ſublimitatem & ſummam poteſtatem; quae familiaris ſecundum *Schottum* iſtius aetatis fuit formula. Pergamus nunc inquirere, quaenam ejus fuerit *Patria*. Ex plurimorum Eruditorum ſententia fuit Romanus, quia quibusdam in Editionibus *Aur. Corn. Celſus Romanus* vocatur. Attamen *Rhodig.* Lib. XIV. Ant. Lect. Cap. V. magnam dubitandi occaſionem dedit, quum eum Veronenſem dicit: *Quam vanitatem in pluribus ſequitur & Macrobius, quem ſibi civem nunc vindicant Veronenſes, uti Vitruvium quoque ac Celſum & Plinium.* Communis vero Doctorum Virorum ſententia mihi magis arrideret, quippe ex iſtis jamjam memoratis Celſis ſcimus ab omni tempore varios Romae Celſos floruiſſe. Celſum quoque recte Romanum agnoſcit *Rhod.* in Ejus Vita; teſtimonia autem, quibus id demonſtrare conatus fuit, non rite examinaſſe videtur; Quippe I. Celſum Romanum fuiſſe probat ex binis iſtis Epiſtolis, una ad C. Jul. Calliſtum, altera ad P. Natalem: Sed ad illud probandum

 illa-

illarum auctoritatem nil valere meminiſſe debuiſſet, cum iſtae Epiſtolae non ſint *Celſi*, ſed *Scribonii Largi*, uti ipſe aliis in locis, ſi de Celſo non agatur, illas Scribonio tribuit, quemadmodum mox videbimus. II Praeterea id etiam ſuadere dicit apertum ipſius *Celſi* Lib. V. Cap. XXI. textum: quod licet Caput diligentiſſime perlegas, ut ne littera te fugiat, nihil tale quidpiam indicans, reperies. III. Hoc etiam colligit ex *Marcelli* Praefat. de Medic. ubi dicit *Marcellum* recenſere Corn. Celſum inter viros honoribus illuſtres & cives Romanos; quod, loco accurate inſpecto, nequaquam Marcellus dicere voluit, verum ſolummodo eos enumerat viros, qui Latino ſermone rem Medicam apud Romanos ſcripſerunt. Haec ejus ſunt verba: *Nec ſolum veteres Medicinae Artis auctores Latino duntaxat ſermone perſcriptos, cui rei operam uterque Plinius, & Apulejus & Celſus & Apollinaris ac Deſignatianus, aliique nonnulli etiam proximo tempore illuſtres honoribus viri cives ac majores noſtri, Siburius, Eutropius atque Auſonius commodarunt, lectione ſerutatus ſum.* Quis vero omnes ibi memoratos auctores dicere audebit Romanos? cum rerum teſtimonia adſint, quibus apparet Plinium Veronenſem, Auſonium Burdigalenſem fuiſſe. Tandem forte etiam cum quibuſdam Viris Doctis dubitare poſſemus

mus, an non melius ap. *Marcell.* L. L. pro *& Apulejus & Celſus* legeretur *& Apulejus Celſus*, unica particula *&* dempta; quippe ipſe *Marcell.* Cap. XVI. & *Scrib. Larg.* Compos. XCIV. & CLXXI. Apulejum Celſum memorant. *Cornarius* quidem in ſua ad *Marcell.* Praefat. eos, interpoſito inciſo, diſtinxit, quo vero jure neſcio. De *Tempore*, quo Celſus Noſter vixerit, aeque diſſentiunt *Viri Docti*, ac de reliquis. Secundum quorundam enim opinionem ſub Auguſto floruit, ut *J. Britann.* in *Juven.* Sat. VI. ℣. 244. Atqui major Doctorum pars eum ſub Tiberio vixiſſe mavult. *Rhod.* in Ejus Vita. Quicquid ſit certum eſt, eum circa haec tempora vixiſſe, quam litem *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. IV. Sect. II. Cap. IV ita dirimit, ut ſub Auguſto natus, & ſub Tiberio ſcripſiſſe dicatur; nam ejus *Columella*, Claudii tempore clarus, ut aequalis aut certe paulo ſuperioris meminit Lib. I. de Re Ruſt. Cap. I. *Non minorem tamen laudem meruerunt noſtrorum temporum Viri Cornelius Celſus & Julius Atticus.* & Lib. III. Cap. XVII. *Mox Julius Atticus & Cornelius Celſus aetatis noſtrae celeberrimi auctores patrem atque filium Sacernam ſecuti.* Illud etiam concludimus ex ipſius *Celſi* Praef. Lib. I. ubi ita loquitur: *Ex cujus ſucceſſoribus Themiſon nuper ipſe quoque quaedam in ſe-*

nectute deflexit. Vocabulum enim *nuper* ſatis indicat Themiſonem, qui Aſclepiadis auditor & ſucceſſor fuit, non diu ante Celſum floruiſſe. Tandem denique ad aliam non minus celebrem accedimus quaeſtionem. Sunt etenim quidam multae auctoritatis Viri, qui Celſum nec *Medicum*, nec *Medicinam* exercuiſſe, ſed eum ſolummodo accuratam Medicinae cognitionem, *quoad virum* (ut cum *Colum.* Lib. I. de R. R. Cap. I. loquar) *univerſae naturae prudentem*, habuiſſe credunt, omniaque ſua partim ex Hippocrate, partim ex aliis exſcripſiſſe aſſerunt. Cui ſententiae ſua ſubſcribere non dubitarunt nomina *Barth.* Lib. XXXVIII. Advers. Cap. III. *Conring.* Intr. in Art. Med. Cap. III. §. 14. & *Fabrit.* Bibl. Lat. Lib. II. Cap. IV. §. 1. Qui tamen deinceps meliora edoctus ſuam retractare non veritus fuit opinionem in Vol. XIII. Bibl. Graec. pag. 127. Quidam Eruditi eam de Celſo ſuſceperunt opinionem, ut Graeca duntaxat Medicinalia in Latinum convertiſſet, quia in Epiſtola ad P. Natalem, immerito Celſo inſcripta, ſimile quid dici videtur: at epiſtolam illam non Celſo, ſed Scribonio Largo eſſe adſcribendam mox oſtendemus. Remedia quidem, Hippocratis & Galeni exemplo, aliunde congeſta digeſſiſſe, ultro largior; ipſam autem morborum τέκμαρσιν & θερα-

θεραπέιαν proprio ingenii ductu contextiſſe pro me res ipſa clamat. Imo Celſum & longo uſu & continua exercitatione perfectiſſimum fuiſſe Medicum unusquisque vidit, qui modo paulo attentius ejus rimatur ſcripta; nam in illis ſe Medicinae intima penetralia ſubiiſſe, abdita quaeque enucleaſſe, penitus abſtruſa inquiſiviſſe, ſuam ubique de iis ſententiam interponendo clare prodit. Si enim, quae in nullius non morbi curatione elucent, prudentiam atque ſapientiam ſpectemus, ubi te quaeſo, unum Hippocratem ſi excipias, utriusque aut ſalubriora praecepta, aut fideliora monita reperiſti? Ex toto quippe Galeni oceano, ſi dicere fas ſit, non tot interiora medendi conſilia quis hauſerit, quam ex hoc ubere Celſi rivo. Fateor plus eſt in Galeno florum, ut & foliorum: ſed fructuum plus in Celſo eſt. Taceo multis locis ſic illum loqui, ut ſe feciſſe Medicinam liquido ſatis demonſtret: nullo ſic, ut contrarium inde queat liquere, qualia mox varia adducemus loca. Solum obſtare videtur, quod *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. ſua aetate, id eſt centum & viginti admodum annis poſt, ſolam hanc artium Graecarum nondum exercuiſſe dicit Romanam gravitatem, & in tanto fructu pauciſſimos Quiritium attigiſſe, eoſque ipſos ſtatim ad Graecos transfugiſſe; imo vero au-

ctoritatem aliter quam Graece eam tractantibus, etiam apud imperitos expertesque linguae, non fuiſſe. Verum enim vero *Plinii* auctoritati auctoritatem *Galeni* opponimus, qui Lib. IX. de Comp. Pharm. Sec. Loc. Cap. V. Cornelium Medicum citat, quem noſtrum Corn. Celſum fuiſſe ſuſpicatur *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 6. & 157. Caeterum ipſe quoque *Plin.* Lib. X. Cap. LIII. Lib. XX. Cap. IV. & Lib. XXI. Cap. XXX. laudat Celſum, ut Medicum, remedium contra podagram praeſcribentem, cujus remedii deſcriptionem Celſus ipſe exhibet Lib. IV. Cap. XXIV. Imo ſaepiſſime ut Medicus adducitur a *Plin.* Lib. I. in Indice Auctorum. Porro Celſum nec Empyricum nec aliorum compilatorem fuiſſe arguere poſſumus, quod tam recte diſſenſerit ut Lib. III. Cap. XXI. ab Eraſiſtrato in emittenda per ventrem hydropicorum aqua; Lib. III. Cap. XV. ab Heraclide Tarentino in curanda quartana, & in Praef. Lib. I. a Methodicarum Communitatum repertore Themiſone, quod nullius cauſae notitiam ad curationem pertinere, ſatisque eſſe quaedam communia morborum intueri falſo exiſtimarit. Audebit igitur artis expers inter adeo illuſtrium Medicorum ſententias judicium interponere, ſuas obſervationes cum illuſtrium Medicorum animadverſionibus conferre?

ferre? At Celſus adeo firmis argumentis iſtorum omnium opiniones convellit, ut locus non ſit aut defendendi, quod ab ipſo reprehenſum, aut arguendi, quod defenſum eſt. Quo credibilius eſt eum iſta quidem omnia & probe ſciſſe, & longo artis uſu, ſedulaque veterum lectione, non carptim, non tumultuario didiciſſe. Conf. *Caſaub.* Schol. ad *Cels.* pag. 118. lin. 22. Qui talia a Celſo dici exiſtimat non tanquam ῥαψῳδῷ, ſed potius tanquam Medico Artis ſuae gnaro ac ſententiam ſuper illis, quae in controverſiam venere, ferenti. Scholia haec Edit. *Almel.* annexa ſunt. Quin imo eum Medicinam feciſſe quoque ex eo concludit *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. IV. Sect. II. Cap. IV. quod ſaepius ſuam interponit Epicriſin tam quoad Praxin quam quoad Theoriam Medicinae, & quod in quibusdam etiam locis ad propriam experientiam provocet, quemadmodum Lib. III. Cap. IV. ubi ſe Medicinam feciſſe hiſce verbis ſatis clare indicat: *Ego autem, medicamentorum dari potiones, & alvum duci non niſi raro debere, concedo.* & Cap. XXIV. ubi Aſclepiades aliorumque diverſas ſententias de regii morbi curatione perſecutus, *ego utique*, inquit, *ſi ſatis virium eſt validiora; ſi parum, imbecilliora auxilia praefero.* & Lib. VII. Cap. VII. ubi de Ancyloblepharo ſcribens, ſuas cum aliorum

rum obſervationibus comparat, dicens: *Ego ſic reſtitutum eſſe niminem memini.* Conf. *Mars. Cagnat* Lib. II. Var. Obſerv. Cap. XV. ap. *Grut.* in Thes. Crit. Tom. III. pag. 549. *Lomm.* in Praef. ad Commentarium lectu digniſſimum & elegantem, quo primum *Celſi* Librum explicavit, Lugd. Bat. recus. A. MDCCXXIV. *Jo. Ant. vander Linden* in Ep. ad Clar. Guid. Patinum Edit. *Almel.* praefixa. & *Clercq.* L. L. Cap. VI. Quibus additur *Scalig.* qui Celſum ut Medicum agnovit de Re Numm. pag. 36. Nec non *G. W. Wedelius* in Praef. ante ſuam Celſi Edit. Jenae A. MDCCXIII. 8to. haud dubitat eum Medicinam exercuiſſe. Hiſce de Celſo viſis, adhuc pauca alia de ejus ſcriptis reſtant, quae hic ſubnectere fert animus. Noſter igitur Celſus ſua medendi praecepta tanta ſermonis puritate atque doctrina condidit, ut merito Medicorum Cicero, Latinus ſive Romanus Hippocrates, vel ut *Caſaub.* Epiſt. XXIX. placuit, Medicorum Deus appellari meritus fuerit. Imo ſi omnia in ejus laudem Elogia afferre vellem, verius hiſce oneraretur quam ornaretur, ſed inſpiciantur Dexterrimus *Morgagn.* in Ep. I. in Aur. Corn. Celſum pag. 5. ſimul cum Epiſt. in Q. Ser. Sammonicum edita Hagae-Comitis A. MDCCXXIV. 4to. & quae habentur ante hujus Anni Edit. Celſi

Lugd.

Lugd. Batav. ap. *J. A. Langerak*. Ex omnibus illius Viri ſcriptis, quae plurima fuere, docente *Quintil.* Lib. XII. Inſtit. Orat. Cap. XI. & Lib. X. Cap. I. tantum pauca ad rem Medicam ſpectantia ſuperſunt: nam fragmentum illud ſive libellus de Arte Dicendi a *Sixto Popma* Coloniae A. MDLXIX 8vo. editus; qui nunc etiam ob raritatem ſervatur a *Fabrit.* poſtquam diu fruſtra quaeſitus eſſet, in Bibl. Lat. Lib. IV. Cap. VIII. Quippe ille indefeſſus Hiſtoriae Litterariae excultor in Bibl. Lat. Lib. II. Cap. IV. faſſus fuit ſe nunquam vidiſſe; uti & ibi de *Clercq.* ſuſpicatus fuit. Immerito, dico, iſte libellus noſtro *Corn. Celſo* attribuitur. Quare hi viri *Sixtus Popma*, *Lang.* Tom. I. Oper. Med. pag. 12. *Clercq.* loco ſaepius ad partes vocato, & *Fabrit* Bibl. Lat. Lib. IV. Cap. VIII. cum aliis lapſi fuerunt illud facientes, quemadmodum ipſe *Fabrit.* ante quatuor admodum annos in Vol. XIII. Bibl. Graec. pag. 127. ingenue docuit, & potius *Julium Severianum* auctorem nuncupavit, uti illud ex *Pet. Pithoei* notis ad Moſaicar. & Roman. Leg. Collect. Tit. IX. pag. 160. probat. Quod autem ad duas iſtas, quarum una ad Cajum Julium Calliſtum, altera vero ad Pullium Natalem, attinet Epiſtolas; illae male ſub Celſi nomine Marcelli libro de Medicamentis praefiguntur, potiori enim jure

Scri-

Scribonio Largo adſcribendae ſunt. Exſtiterunt tamen, ut *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 60. (quamvis §. 77. eas rectius Scribonio tribuit) & *Scalig.* de Re Numm. pag. 36. qui non haeſitarunt eas Celſo aſſignare: Inter illos certe miror etiam nominari Clar. *Rhodium*, qui in Vita Celſi ſui ipſius adeo immemor fuit, ne ambas has epiſtolas Celſo tribuere dubitaverit, toties quid circa Celſum probare annixus fuit. Quum nihiloſecius ad *Scrib. Larg.* pag. 10. eas Scribonio ſuo optimo vindicat jure. Quod & ſtilus (ut nunc caetera omittam) ſatis arguit, qui a Celſi dictionis genere ita diſcrepat, ut nulla amplius indigeat probatione. Optime vero & ſtilus & res Scribonii characteri respondent: quippe ſic *Scribonius* C.I.Calliſtum in Comp. CLI. & Peroratione operis aeque ac in Epiſtolae initio compellat; & Caeſarem quoque in Comp. LX. & CLXIII. ſicuti in illa Epiſtola, Deum vocat. Conf. *Barth.* Lib. I. Advers. Cap. II. Lib. XXXVI. Cap. IV. & Lib. XLVIII. Cap. XIX. Liber de Viribus Herbarum quoque non Celſo ſed Apulejo aſſignari debet, uti *infra.* §. 17. videbimus. Praeterea varia Celſi nomine fragmenta, ut de Febribus, Balneis, & Poſitu ac Figura oſſium totius corporis humani reperiuntur ap. *Mercklin.* Linden. Renov. pag. 101. Denique vero an

de

de Medicina Veterinaria ſcripſerit, ut *Rhod.* in Ejus Vita ex *Mercur.* Lib. IV. Cap. II. teſtatur, non eſt credendum. Concedimus quidem eum varia ad animalium morbos ſpectantia propoſuiſſe remedia, uti ipſe teſtatus fuit Lib. V. Cap. XXVIII. §. 16. ubi de Scabie agens ſic loquitur: *Ac, ſi nihil aliud eſt, amurca ad tertiam partem decocta, vel ſulphur pice liquidae miſtum, ſicut de pecoribus propoſui, hominibus quoque ſcabie laborantibus opitulantur* *Columella* quoque, ut Lib. VI. Cap. V. & XIV. ſaepius talia Celſi laudat remedia. Atqui *Almelov.* ne locus Celſi male intelligeretur, in Scholiis ad iſtum locum nullus dubitare voluit, quin Celſus indigitat Libros ſuos de Re Ruſtica; quare libenter *Morgagn.* amplectimur ſententiam, docentis in memorata Epiſt. I. pag. 8. nullos peculiares de Medicina Veterinaria libros a Celſo fuiſſe conſcriptos ſed eum inter Rei Ruſticae praecepta (quod & ipſe *Cato* & *Columella* fecerunt) iſtius meminiſſe affirmat: Sic de Re Ruſtica Celſum ſcripſiſſe patet ex *Plin.* qui in Indice Scriptorum Lib. XXVII. ubi de herbarum generibus agitur, Cornelium Celſum laudat ut ſcriptorem, ex quo iſtum librum partim compoſuit. & ex *Quintil.* Lib. XII. Inſtit. Orat. Cap. XI. *Sed amplius Rei Militaris & Ruſticae etiam & Medicinae praecepta reliquerit?*

rit? Dignus vel ipſo propoſito, ut eum ſciſſe omnia illa credamus. & ex *Colum.* Lib. I. R. R. Cap. I. *Quippe Cornelius totum corpus diſciplinae quinque libris complexus eſt.* Hi quinque de Re Ruſtica libri octo ſuperſtitibus *Celſi* de Medicina libris olim praefixi fuerunt, hinc *Henr. Stephanus* auctoritate Veterum Codicum Mſſ. talem exhibet Inſcriptionem ſuae *Celſi* Edit, quae reperitur inter Medicae Artis Principes, *Aurelii Cornelii Celſi de Re Medica Libri octo, operis ab eo ſcripti de artibus, pars ſexta.* Quae ultima verba a quibusdam V. D. ut *Rhod.* in Ejus Vita, ab ipſo *Stephano* addita, credita fuerunt: At *Morgagn* in Ep. II. in Cels. in initio pag. 40. ſe ab hac ſuſpicione liberatum gloriatur, poſtquam in antiqua *Alexandri Paduani*, Medici Doctiſſimi, Bibliotheca invenerat vetus noſtri Celſi exemplar, calamo in membranis deſcriptum, in quo Codice ad finem Lib. IV. ita ſcriptum erat: *Artium Aurelii Cornelii Celſi Liber* IX. *Idem Medicinae Liber* IV. *explicit feliciter.* Ita ut clare pateat, ſi illum ſequamur Codicem, quinque de Re Ruſtica Libros anteceſſiſſe octo his de Medicina Libris. Quod Medicorum Librorum Exordium etiam indicare videtur hiſce verbis: *Ut alimenta ſanis corporibus Agricultura, ſic ſanitatem aegris Medicina promittit.* Praeterea plurimis in Veter.

Cod.

Cod. Mſſ iſta Inſcriptio reperitur *A Corn. Celſi Artium Liber* VI. ut in principio hujus §. indicavimus. Quinimo *Fabrit*. Lib. II Bibl. Lat. Cap. IV. in Cod. *Gudiano* ante primum *Celſi* de Medicina Librum ita legi aſſerit: *Artium Liber* VI. *idemque Medicinae* I. Adeoque de noſtro Celſo intelligendus videtur *Auguſtinus*, qui Praefat. Lib. de Haereſibus teſtatur opiniones omnium Philoſophorum, qui varias Sectas condiderunt uſque ad ſua tempora ſex non parvis voluminibus Celſum quendam abſolviſſe. Plurima enim Celſus de Philoſophia conſcripſiſſe oſtendit *Quintil*. Lib. X. Inſtit. Orat. Cap. I. Meliora deſiderantes adire poſſunt *Morgagn*. Ep. I. in Cels. pag. 6. *Fabrit*. Bibl. Graec. Lib. VI. Cap. VII. §. 2. & Vol. XIII. pag. 127. Poſtremo ergo ſoli ejus octo de Medicina Libri nobis ſuperſunt, quorum quatuor priores de his corporis morbis agunt, quibus victus ratio ſive diaeta maxime ſubvenit; duo vero ſequentes agunt de illis, quos medicamenta curant morbos; denique duo poſteriores de Chirurgia. Qui libri tantam comprehendunt doctrinam, ut *Hier. ad Aquapend.* Medicus vel uſu vel annis nemini ſecundus, in Oper. Chir. Cap. de Chir. Dent. hiſce verbis ſeſe in ipſius diffuderit laudes: *Mirabilis Celſus in omnibus: quem nocturna verſare manu; verſare diurna conſulo. Lomm.*

in fine praef. ante Comm. de Sanit. Tuend. d
iſtis octo Celſi libris ita loquitur: *Opus m*
hercle dignum, quod ab omnibus non legi mod
ſed etiam ediſci oporteat, ſeu opulentiſſimum r
rum Medicarum promptuarium, ex ipſiſſimo n
tum pectore Celſiano, membrisque abſolutu
omnibus & optima cohaerens doctrinae via. & *J*
vander Linden in Ep. ad Guid. Patinum teſt
tur eum *non ſolum dignum, qui legatur, ſe*
qui nunquam de manibus deponatur, & fatetu
ſe nullius poſt Hippocratem lectione vel affi
magis, vel erudiri. Horum librorum prim
Editio fuit impreſſa a *Nicolao* Florentiae A
MCDLXXVIII. Fol. Deinde poſt vari
repetitas Editiones in lucem prodiit Amſte
ap. *J. Wolters.* A. MDCCXIII. 8to. cu
Clar. Medici ac Philologi *Th. Janſſ. ab A*
meloveen, dum in vivis eſſet, Academiae Ha
derovicianae ornamenti ſingularis; qui paſſi
per totum volumen indicavit & *Hippocratis* &
aliorum veterum loca parallela, ſubnexitqu
ſelecta *Joh. Caeſarii, Roberti Conſtantini*, &
inedita *Iſaaci Caſauboni* brevia ſcholia, alic
rum itidem undecunque conquiſitas in Celſu
caſtigationes atque indicem utiliſſimum. Qua
Editio hoc anno iterum lucem vidit Lug
Batav. ap. *I. A. Langerak.* A. MDCCXXX
8to. plurimum aucta; nam cum Almelove
niana collata fuit Editio Vulpiana, nuper i
Itali

ſtalia in lucem emiſſa; praeterea Prolegomena ſunt aucta; *Almelovenii* notae ex Mſſ. ejus uctiores ſunt redditae, *Caſauboni* ſcholia uberiora exhibita, quibus excerpta ex *Morgagn.* Epiſt. in Cels. ſunt addita. Tandem Colatio trium Veterum Editionum, nim. Prim. Florent. A. MCDLXXVIII. Mediolan. A. MCDLXXXI.&Pariſiens A.MDXXIX.manu *Almelovenii* conſcripta, fideliter eſt expreſſa.

XIV SCRIBONIUS LARGUS ex communi Virorum Doctorum ſententia inter Medicos ponendus eſt, quod pluribus probat *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 3. ſeq. Floruit circa Claudii tempora, nam illius Imperatoris uxorem Meſſalinam Comp. LX. tanquam adhuc viventem memorat. & Comp. CLXIII. e Claudio in expeditione Britannica adfuiſſe oſtendit. Praeterea ejus aetatem etiam ſatis ndicat Epiſtola ab eo ad C. J. Calliſtum ſcriptam, qui Claudii Imperatoris libertus erat, *Plin.* Lib. XXXVI. H. N. Cap. VII. Hinc quoque ubique iſtius temporis Medicos laudat, ut Caſſium Comp. CXX. Julium Baſſum Comp. CXXI. Apulejum Celſum Comp. CLXXI. Valentem ut ſuum praeceptorem Comp. XCIV. qui Claudii Meſſalinae uxoris adulterio nobilitatus fuit, *Tac.* Lib. XI. Ann. Cap. XXXI. & XXXV. Imo Tryphonem, qui a *Celſo* in Praef. Lib. VII. pater vocatur,

praeceptorem nuncupat Comp. CLXXV. CCI. & CCV. Qui omnes iſtius temporis Clariſſimi fuere Medici. Conf. *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. pag. 191. & *Voſſ.* de Philos. Cap. XII. §. 3. Natus fuit ſecundum *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib. I. Cap. III. ex gente Scribonia, quae illuſtrium in Republica Romana Virorum proventu admodum clara ac foecunda fuit, uti apparet ex tabella iſtius gentis Genealogica, quam exhibet *Lips.* in Excurs. ad *Tac.* Lib. II. Ann. Cap. XXVII. Ad quem locum & *Gronov.* inſpici poteſt, uti *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 3. Alii autem, ut *Pignor.* de Serv. pag. 531 eum gentis Scriboniae libertum volunt; nam liberti priſtinorum dominorum nomina & praenomina aſſumebant, quibus cognominis loco proprium ſuum adjungebant nomen, veluti Tiro a M. Tullio Cicerone libertate donatus, vocatus fuit M. Tullius Tiro, & Eutychides T. Caecilii Attici libertus, T. Caecilius Eutychides. Vid. *Sigon.* de Nomin. Rom. Atqui illud de noſtro non conſtat Scribonio, qui ſolummodo ubique vocatur Scribonius Largus, quod factum fuiſſe credibile non eſt, ſi gentis Scriboniae libertus fuisſet. Nomen enim Largus tam parum a Latio alienum eſt, ac Scribonius, docente *Rhod.* L. L. pag. 4. Imo noſtrae quoque ſententiae

fave-

favere videtur haec Inſcriptio ap. *Grut.* pag. MCXLV. n. 1.

DIIS MANIBUS
SCRIBONIAE
JUCUNDAE
L. SCRIBONIUS
ASCLEPIADES
UXORI. OPTIMAE
ET. CARISSIMAE.

Quem ſi quis noſtrum putaverit Largum, haud multum ex *Rhodii* mente L. L. peccabit: nam Aſclepiades ibi non eſt nomen perſonae, ſed Sectae, cui iſte L. Scribonius ut Medicus addictus erat, teſte *Reines.* Cl. XI. Inſcr. 4. & Epiſt. XLVI. ad Rupertum pag. 396. Noſter certe Scribonius Aſclepiadem ſequutus fuit, uti elicimus tum ex ejus Epiſtola ad C. J. Calliſtum, cum ex Comp. LXXV. & LXXXIV. Habemus hujus Scribonii Largi praeter duas iſtas Epiſtolas ipſi *ſup.* §. 10. vindicatas Librum de Compoſitione Medicamentorum; nam *Barthius* audiendus non videtur, qui Lib. XXXVI. Advers. Cap. IV. & Lib. XXXIX. Cap. XVI. dubitat, an non potius *Siburius* ut verus illius, qui hodie *Scribonii Largi* nomine circumfertur liber, ſit habendus auctor: Nomen enim

 Scri-

Scribonii Largi quaſi fictitium credit. In quam dubitationem Vir ille magnus incidit I. Quod ſtilum Scribonii aevo indignum exiſtimet. II. Quod *Marcell.* in ſua Praefat. dixerit, ſe multum ex Siburio ſcriptore ſe paulo antiquiori profeciſſe: nunc vero conſtat plurima Scribonii Largi, de quo tamen nullam facit mentionem, cum fontes, ex quibus ſua hauſit, indicat, apud eum verbotenus exſcripta inveniri. Quemadmodum Cap. XVII. ex quo patet, quam fideliter bonus *Marcellus* noſtrum exſcripſerit Scribonium, nam ibi eadem refert, quae ap. *Scribonium* Comp. XCIV reperiuntur, ac quidem ita, ut eundem Valentem, quem *Scribonius* ſuum vocat praeceptorem, etiam ſuum nuncupat praeceptorem. Nec non eadem, quae *Scribon.* Comp. XCVII. & CXXII. de ſe refert, Marcellus, quaſi ſibi accidiſſent, narrat Cap. XX. & XXIX. Cui ultimo Cap. etiam tota Comp. CXX. inſerta legitur. Videſis *Caſtell.* Vit. Ill. Med. ap. *Gron.* Tom. X. Ant. Graec. pag. 898. *Reines.* in Ep. XLIV. ad Caſp. Hofmannum. & *Almel.* Plagiar. Syll. pag. 26. Ideoque iſtis *Barthii* argumentis rite perpenſis atque exploratis, neminem facile induci credo, ut iſtam amplectatur ſententiam; nam ad primum reſpondere poſſumus, concedere nos nonnulla in hoc ſcriptore occurrere

licen-

icentiora, melioris notae ſcriptoribus communia, noſtro etiam peculiaria; at illa ſolenni elegantiae ſtudioſis formula excuſat Comp. CV. Porro damus ipſius ſtilum neutiquam eſſe comparandum priſci nitoris elegantiae Celſi, quem ſolum orationis venuſtas ita commendavit, ut Latinus Hippocrates & Medicorum Cicero dici meritus fuerit, veluti §. 13. vidimus. Verum quid inde? Nonne ſtilus Claudii temporis quantulumcunque ab iſto Celſi temporis ſtilo declinat? Nam iſtud ſeculum Latini ſermonis caſtiſſimum vix ad Auguſti tempora pertigit: hinc quoque eloquentiam poſt Ciceronem ſe retro dediſſe conqueritur *Senec.* in Praef. Lib. I. Controv. Imo cur non ſicut olim & hodie diverſa ingeniorum diſcrimina, quibus oratio variatur? Praeterea animadvertendum eſt, eum non hiſtorias ſed compoſitiones Medicas conſcripſiſſe, adeoque Graecam loquendi rationem aemulatum fuiſſe, nam iſto tempore artes Graecorum apud Romanos linguae uſum ſenſim invexerant. Vid. Cl. *Ott.* Vit. Papinian. Cap. IV. §. 2. Adde quod Scribonius Graeca ſuis ſcriptis non aliter miſceat, ac Celſus. Quod fere ne evitare quidem potuerunt; nam ſi cum *Plinio* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. credamus Romanos Medicos ſtatim ad Graecos transfugas, tunc certe quoque concludere licet

 plu-

plurima Medicinalia ſcripta Graeca fuiſſe, adeo-que Graeca iſta vocabula continua lectione hiſce Medicis Romanis familiariſſima fuerunt: imo licet lingua Latina ſatis ampla, dives & copioſa fuerit, aliquando tamen accidit, ut vocabulum Graecum apte atque accurate uno verbo verti non poſſit, at multis aliquando opus eſſet circumlocutionibus : quali in caſu ſaepe vocabula Graeca ſuis inſerebant ſcriptis, uti ex *Cic.* Epiſt. patet. Ac quis noſtrûm Belgica lingua omnia vocabula Medicis uſitata rite maximo abſque labore exprimere poſſet? Nec aliter *Pub. Vegetius* Rei Veterinariae auctor, A. MDLXXIV. in 4to. per *Jo Sambucum* editus, quem Latinum nullus dubitat, Graecos quandoque ſcriptores imitatus fuit. Quinimo aliquomodo Scribonius ab hoc exſangui genere dicendi excuſari debet, ſi conſideremus eum has Compoſitiones peregre ubi minori cura fiunt pleraque, & forte in expeditione Britannica ſcripſiſſe, minima librorum ſupellectili inſtructum, ut ipſe fatetur in fine Epiſt. ad C. I. Calliſtum. Sed quid Plura? Nonne eadem ſermonis Latini duritas a Viris Doctis deprehenditur in *Vitruvio*, quemadmodum praeter *Blount.* Celeb. Auct. Cens. pag. 79. & *Cellar.* in Proleg. Cur. Poſter. Ling. Lat. pag. 16. notata nonnulla reperiuntur in *Philmanni* Romano Bilingui, ſive Diſſ. edita

Upſa-

Upſaliae in 8to. de Differentia linguae plebejae & ruſticae tempore Auguſti a ſermone honeſtiore hominum urbanorum. Denique huic auctori pari cum caeteris ſcriptoribus facto ab inficeta librariorum licentia non parum flagitii fuit perpeſſus, docente *Rhod* in ſua ad *Scrib. Larg.* Praef. Quippe ſic Comp. CCXXX. medicamentum in memoriam vocat ut ante deſcriptum, de quo tamen nulla toto libro fit mentio; ita defecta quoque videtur Comp. CCXXXV, ſi Indici credamus; nec non deficiunt Comp. LXXII, CLXVII, CLXVIII, CLXIX, CCXXXVI, & partim, CLXX. quarum quaedam ex Galeno, reſtituuntur, quaedam non. *Fabrit.* Bibl. Lat. Lib. IV. Cap. XII. notavit, poſt Compos. CXVI. quasdam etiam defuiſſe compoſitiones, quod tamen non animadvertimus, quare eum numero deceptum credimus. Ad alterum vero *Barthii* quod attinet argumentum, reſpondemus, iſtum *Marcell.* locum corruptum videri, quare & *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. pag. 191. & *Fabrit.* Vol. XIII. Bibl. Graec. pag. 423. loco Siburii legendum monent Scribonium, quippe nullum apud ſcriptorem, Marcello excepto, minimum iſtius nominis veſtigium reperitur; unde factum fuit, quod iſta lectio *Cornario* in ſua ad *Marcell.* Praef. jam placuiſſet, niſi *Marcellus* proximo tempore

eum vixiſſe, & civem ſuum veluti Auſonium & Eutropium, qui Burdegalenſes, diceret; quod tamen de Scribonio intelligi nequit: qui multo ſenior & Romanus, niſi tam inconſiderantem circa temporum & hominum rationem fuiſſe credamus Marcellum, ut Scribonii aetatem & patriam ignorarit. Tale enim quid jam ſupra §. 13. de eo circa Apulejum Celſum obſervavimus. Poſtremo denique, ut noſtrum tueamur Scribonium contra *Barthium*, qui ex voce Siburius nomen Scribonius fictum judicat; monendum, longe ante *Marcellum*, (qui tempore Gratiani & Theodoſii floruit, uti ex Praef. ſui operis conſtat, in qua vocatur Marcellus vir inluſtris ex magno officio Theodoſii Senioris,) Galenum variis in locis noſtri Scribonii Largi mentionem feciſſe, & ex eodem opere, quod hodie ipſius Scribonii nomine habemus, varias laudaviſſe compoſitiones, ita ut ex Galeno ſaepius noſtrum Scribonium, quibusdam in locis mutilum, emendemus, uti mox oſtendemus. Ultimo omnes, quos ad partes vocat, tum Medicos, tum alios Viros celeberrimos ſunt ſui, non autem iſtius poſterioris aevi, uti in hujus §. principio vidimus. Ad aliam iterum pervenimus quaeſtionem, nimirum an Scribonius Graece an Latine ſcripſerit, qua de re quidam magni nominis viri acriter inter ſe dis-

diſceptarunt. Quippe Graece eum ſcripſiſſe non dubitavit *Cornar.* in Praef. ad *Marcell.* & ibidem ad Epiſt. ad Pub. Natalem. Nec non in Comment. ad *Galen.* plurimis in locis, uti Lib. III de Comp. Pharm. ſec. loc. Cap. III. Lib. IV. Cap. VII. Lib. VII. Cap. III. & Lib. IX. Cap. IV. Cum quo & ſtare voluerunt *Conring.* Introd. in Art. Med. Cap III. §. 13. *Casp. Hofmann.* uti ex *G. Richteri* Epiſt. pag. 571. conſtat. *Cornarius* ad illud ſtatuendum incitatus fuit, I. Quod pleraque ex his Pharmacis, quae in Galeno Graece leguntur, itemque in Scribonio Latine habentur, diſſideant tum in rerum diverſitate, tum in ponderum ratione, & hoc tamen ſic ut ea diverſitas ex ſimilitudine quadam appellationum ipſarum rerum videatur oborta; veluti V. Gr. quod καρδάμωμον in Graeco Galeni, Naſturtium, id eſt, κάρδαμον legitur in Latino Scribonii exemplari: quod ſolummodo alicui poſteriorum temporum interpreti, qui Scribonium Graecum vertens, Graeca vel non intellecta, vel ex ſimilitudine vocum corrupta male tranſtulit, imputat. II. Quod ſtilus ſit nimis incomtus adeoque iſto aevo minus dignus III. Quod *Plinius* ejus nullam fecerit mentionem, ac de ſuo dixerit tempore, ut quicunque ex Romanis Medicinam exercerent, ſe ad Graecos tranſtuliſſe; nam illud eſt, quod

quod dicit Lib. XXIX. Cap. I. *In tanto fructu pauciſſimi Quiritium attigere, & ipſi ſtatim ad Graecos transfugae.* Verum enim vero ad has objectiones egregie jam reſpondidit *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 5. Cui & nomina ſua ſubſcripſerunt *Barth.* Lib. XXXVI. Advers. Cap. IV. & Lib. XLIX. Cap. XIX. (quamvis Lib. XXXIX. Cap. XVI. ſui ipſius plane immemor videtur) *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib. I. Cap. III. & *Fabrit.* Vol. XIII. pag. 391. Quippe ſic primo objicitur argumento, omnibus pernotum eſſe, ob vocum ſimilitudinem vix tolerandis ejusmodi vitiis optimos auctores, noſtri etiam ſeculi, a librariorum imperitia ſeu negligentia mire foedatos. Nonnulla vero in ſerie medicamentorum a Galeno hic diverſa reperiri, non eſt novum: Nam & ipſe, quae ab aliis habuit, varia nonnunquam facie prodidit. Ratio autem, cur ejusdem nominis compoſita, & a Galeno & a Scribonio deſcripta, tam ſaepe variant, clara eſt, ſi inſpiciamus ipſam Comp. XXXVIII. ubi *Scribonius* haec monet: *Non praeterit me, habere te prudentes ocularios, quibus ſi nomina dixeris collyriorum in hoc libro ſcriptorum, contendant forſan ſe quoque habere eadem compoſita: ſed ſi pondera, aut effectus comparare voles, longe diverſos invenies. Ego enim ipſe eodem nomine multa compoſita, non*

iis

iisdem ponderibus & rebus, interdum habeo: ſed his maxime probatis utor. Imo quam varie Caſſii colicon in Celſi, Scribonii, Galenique ſcriptis celebratur? Altera ut tollatur objectio, non multa adducam, quum de ejus ſtilo me jam ſatis egiſſe puto. Ad ultimum igitur tranſeamus argumentum. Cui ita reſpondemus, quod hoc loco *Plinio*, omnes Medicos Romanos ad Graecos transfugas affirmanti, concedamus; at nulla datur regula, quae non patitur exceptionem: nam ita vidimus Celſum ſua de Medicina praecepta jam Latine ſcripſiſſe. Ac uti nullibi de Scribonio Largo verba facit, ita quoque nullam Dioſcoridis, cujus tamen omnia fere ſcripta ſuis inſeruit, ſecundum *Bilibald. Pirckheim.* in Resp. ad *Oecolampad.* de Ver. Chriſt. Carn. A. IV. & *Salmas.* Tom. I. Exerc. Plin. pag. 290. mentionem fecit. Verum quid omnibus hiſce ambagibus? Ipſe Scribonius ſe Latine ſcripſiſſe ſatis indicat in Epiſt. ad C. J. Calliſtum, ſic ſcribens: *Ut primum enim potuiſti, non es paſſus ceſſare tuae erga me pietatis officium, tradendo ſcripta mea Latina medicinalia Deo noſtro Caeſari: quorum poteſtatem tibi feceram, ut ipſe prior legeres, ſimpliciterque indicares mihi, quid ſentires.* Illud etiam ex infinitis ejus locis concludimus, nam quoties lingua Latina non ſatis exprimere poteſt vim rei

rei ſignificatae, toties ſemper addit, *Sic.* (expreſſo vocabulo Graeco) *Graeci vocant.* Ex plurimis duntaxat locis noto Comp. XXXIX, LXIII, XCIV, CXXXIV, CLXXVII, CLXXXVIII, CCXVII, CCXLII. & CCLII. Quin imo ſe manifeſtis verbis a Graecis diſtinxit Comp. XII. *Ad comitalem morbum, quem Graeci* ἐπιλεψίαν *vocant, herbam, quam iidem* πολύνευρον, NOS *nervalem appellamus.* & Comp. CL. *Ad initia vetuſtave comprimenda, & emendanda benefacit ad calculoſos herba* σκολοπένδριον, *quam* NOS *calcifragam appellamus.* Paulo poſt: *Eodem modo* ἱερὰβοτανη, *quam* NOS *Vettonicam dicimus.* Prima hujus *Scribonii* Editio fuit Pariſienſis A. MDXXIX. 8to. cura *Jo. Ruellii*, qui certe nimis ſevere Scribonii ſatis audax reſtitutor vocatur a *Barth.* Lib. XLIX. Advers. Cap. XIX. Nam Vir ille omnium primus glaciem fregit, & hunc auctorem codicis, ut apparet, non uſque boni adminiculo e tenebris in lucem produxit. Prae caeteris etiam haec Editio laudatur a *Rhod.* pag. 31. & 174. Cujus induſtriae praeſtantiſſimam Scribonii Largi Editionem cum notis uberrimis eruditiſſimisque debemus, qui Clar. *Octavii Ferrarii* conſilio Scribonium emendatum & a ſe illuſtratum in lucem emiſit Patav. A. MDCLV. 4to.

XIV.

XV. PETRONIUS ARBITER Medicis annumeratur a *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 240. auctoritate paucorum fragmentorum de Medicina verſibus compoſitorum; quos, cum vidiſſet *Raph. Volaterranus* Lib. XVIII. Comm. huic Petronio Arbitro addicere veritus non fuit. Verum enim vero ap. *Petron.* ex Edit. Magni *Burm.* in *Pithaei* Teſtimon. de Petron. Scriptis pag. 255. & pag. 279. in notula ad Teſtim. in Lundorpianis Omiſſa recte exiſtimatur haec de Medicina carmina potius alteri Petronio Aſclepiadaeo tribuenda eſſe: cujus ita meminit *Dioſcorid.* in Praef. Lib. I. de Mater. Med. ὧν ἐστὶ Βάσσος ὁ Ἰυλᾶιος, καὶ Νικήρατος, καὶ Πετρώνιος, Νίγερτε καὶ Διόδοτος, Ἀσκληπιάδαι παντες. *At recentioribus (quo in numero ſunt, Julius Baſſus, Niceratus, Petronius, Niger & Diodotus, Aſclepiadae omnes) aſſentiendum non eſt.* Hic autem paululum ſubſiſtendum duxi, ut hunc *Dioſcoridis* locum paulo accuratius perpendamus, an ibi verba fiant de Petronio & Diodoto tanquam duobus diverſis, an vero de Petronio, cognominato Diodoto. Varii Viri Docti, ſicuti ultimo laudato Petronii loco videre eſt, illum locum, ita expoſuerunt, quaſi haec verba: καὶ Πετρωνιος, Νίγερτε, καὶ Δίοδοτος.

hunc

hunc haberent ſenſum: *Uterque tam Niger quam Diodotus*, ita ut *Dioſcorides* duos Petronios ſcil: Petronium Nigrum, & Petronium Diodotum intelligeret. Qui Viri ad illud credendum videntur inducti loco *Plin.* Lib. XX H N. Cap. VIII. & Lib. XXV Cap. VIII qui eos ut unum eundemque laudat ſcriptorem: at *Fabrit.* Bibl. Graec. Vol. XIII. pag. 142. potius apud Plinium legendum cenſet Petronius & Diodotus; quia *Epiphanius Cyprius* Lib. I contra Haereſes pag. 3; Petronium & Diodotum veluti diſtinctos rei herbariae ſcriptores memorat. Sic ſolius Petronii mentio fit ap. *Galen.* Lib. V. de Compos. Medic. per Gener. Cap XI. & unius Diodoti ap. ipſum *Plin.* Lib. XXIV. H. N. Cap. XVI. Diodotum Philoſophum *Cic.* Lib. IX. ad Fam. Ep. IV. & Diodotum Stoicum Lib. XIII. Ep. XVI. laudat. Aliquem Theodotum etiam memorat *Cels.* Lib. VI. Cap. VI. Caeterum eos ut duos diverſos item conſiderat *Caſtell.* in Vit. Ill. Medic. ap. *Gron.* Tom. X. Ant. Graec pag. 874. & *J. Ant. Saracenus* ad *Dioſcor.* Praef. Lib. I. de Mat. Med. Haec poſterior ſententia etiam veroſimilior reddi poteſt, ſi per Dioscoridis Nigrum intelligamus Sextium Nigrum Medicum Romanum & Petronio fere aequalem, uti fecerunt *Reines.* Epiſt. XLVI. ad Rupertum pag. 395.

395. *Salmas.* in Proleg. Homon. Hyl. Jatr. pag. 8. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. III. Cap. XI. Quare putamus *Fabritium* in Bibl. Graec. Vol. XIII. pag 361. quoque melius feciſſe, ſi hos duos nimirum Petronium & Nigrum diſtinxiſſet; quemadmodum paulo infra in eadem Bibl. Graec. Vol. XIII. pag. 394. fecit: nam ibi aſſerit *Dioſcoridem* inter rei herbariae ſcriptores Sextium Nigrum memorari in ſua Praef. Quod tamen pace Tanti Viri monere debui. Quidquid autem ſit, ſufficit, aliquos Petroniorum, quae nobiliſſima Romae gens fuit, uti ex Faſt. Conſul. ap. *Petron.* pag. 277. & ex *J. Sambuc.* in Ejus Vita eodem loco pag. 215. conſtat, Medicos fuiſſe. Plura de variis Petroniis reperiuntur ap. *Noris.* Cenotaph. Piſan. Diſſ. II. Cap. XVI. §. 13. in Tom. VIII. Part. III. Thes. Antiq. & Hiſt. Ital. pag. 303 & ap. *Gruter.* Inſcript. pag. CDXLIX.

XVI. C. PLINIUS SECUNDUS floruit circa Neronis tempora, nam *Plin.* Jun. Lib. III. Ep. V. teſtatur avum ſuum Plinium octo dubii ſermonis libros ſub Nerone ſcripſiſſe. In eadem quoque Epiſt. Imperatori Vespaſiano dicitur familiaris, cui ſuum etiam inſcripſit opus, uti ex *Plin.* Praef. ante H. N. conſtat. Quintum Titi Conſulatum memorat Lib. II. H.N. Cap. XXV. De ejus pa-

tria Viri Docti non conveniunt. quidam ut *Harduin.* in Chronol. V. T. pag 212. eum patria Romanum aſſerit, quia ſaepius de Roma verba faciens dixit: *Noſtrae urbis.* Alii ut *Bened. Jovius* Novocomenſis Plinium auctoritate veteris Inſcriptionis, in qua tamen nulla Plinii, ſed duntaxat L Caecilii Secundi ſit mentio, Novocomenſem dixit. Inſpice ejus Hiſtor. Novocom. pag. 213. & 219. ſeq. Venet. A. MDCXXIX 4to Qui etiam ſervatur in Tom. IV. Part. II. Thes. Antiq. & Hiſt. Ital. Jovio additur *P. Cigalin.* Novocom. Praelect. Poſtum de C. Plinii Secundi Nat. Hiſt. Script. Vera Patria Novocomo, & de Ejusd. Plinii Fide & Auctoritate. Novoc. A. MDCV. 4to. Qui hodie etiam reperitur in Tom. IX. Part. VIII. Thes. Antiq. & Hiſt. Ital. Reliqui Viri Docti Plinium Novocomenſibus vindicantes recenſentur a *Polyc. Palerm.* mox laudando Lib. III. Cap. III. Quibus jungitur *Vinet.* ad Vitam Plinii, vulgo *Suetonio*, at ex mente *Caſaub.* ad eand. Vitam minus recte attributam. Prodeunt tandem alii, ut *Rhodig.* Lib XIV. Cap. V. & *Polycarpus Palermus* Veronenſis, qui tribus de Vera Plinii Patria Verona Libris. Veronae A MDCVIII. 4to. priorum ſententias refutat: Ad quam magis verificandam ſententiam iſti opuſculo praefixit ſeriem viginti quinque eruditorum Plinium

nium Veronenſem ſtatuentium. Cum quibus ſtat *Scalig.* ad *Euſeb.* Chron. pag. 190. oſtendens ſaepius, veluti ap. *Euſeb.* in Chron. ad Olymp. CCXXII. & ap. *Anonym.* in Vit. Plinii. ambos Plinios & majorem & minorem, qui Novocomenſis erat, confundi; & Plinium noſtrum Veronenſem pronuntiat. Quippe *Plinius* in ſua ad H. N. Praef. Catullum, qui teſte *Martial.* Lib. XIV. Epigr. CXCV. & *Ovid.* Lib. III. Amor. El. XV. ỿ. 7. Veronenſis erat, vocat conterraneum ſuum: conterranei autem dicuntur, qui in eadem urbe nati ſunt. Conf. *Voſſ.* Lib. I. de Hiſt. Lat. Cap. XXIX. Tandem illud adhuc obiter monendum duxi, quod, ſicuti *Gaud. Merul.* de Gallor. Ciſalp. Antiq. ac Orig. Lib. I. Cap. X. in Tom. I. Part. I. Thes. Ant. & Hiſt. Ital. pag. 98. Plinium Novocomenſem aſſerere videtur, Veronenſem negans; ita *Alex. Dukerus* in Hiſt. Comi Urbis, quae habetur in Tom. III. Part. II. Thes. Ital. pag. 1201. eum tacite Veronenſem ſtatuere videatur. Porro hic Plinius variis functus fuit muneribus, ſic Procurator Caeſaris in Hiſpania fuit, teſte *Plin.* Jun. Lib. III. Ep. V. Etiam claſſi praefuiſſe dicitur ap. *Eund.* Lib. VI. Ep. XVI. Quantos hic Vir in Arte Medica fecerit progreſſus, ſatis ſuperque unicuique ejus Hiſtoriam Naturalem perlegenti patere exiſtimo,

 unde

unde etiam inter Medicos recenſetur a *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 68. *Caſtell.* in Vitt Ill. Med. ap. *Gron.* in Thes. Ant. Graec. Tom. X. pag. 890. *Conring.* Introd in Art. Med. Cap. III. §. 14. & *Voſſ.* de Phil. Cap. XIII. §. 11. Varia, at hodie plurima deperdita, ſcripſit, teſte *Plin.* Jun. Lib. III. Ep. V. ad Marcum ſive Macrum, quae digna eſt, ut legatur. Sola nobis ſuperſtes eſt ejus Hiſtoria, ſive potius Theſaurus, Naturalis, quae continet XXXVII. Libros, in quibus a Libro ſecundo (prior enim Liber eſt Index, de quo vid. *Reines* Lib. II. Var. Lect. Cap. V. pag. 157.) ad ſeptimum uſque Coſmographiam & Geographiam perſequitur; ſeptimus ad decimum Animalium Naturam deſcribit; in decimo ad undevigeſimum diſſeritur de Plantis, Agrorumque Cultura & Hortorum; in vigeſimo ad trigeſimum ſecundum de Medicamentis, quae a plantis animalibusque petuntur; denique in trigeſimo tertio uſque ad ſeptimum & trigeſimum de Metallis atque Lapidibus &c. Diverſa ſemper Eruditorum de Plinio ejusque Naturali Hiſtoria judicia exſtiterunt. illorum enim una pars Plinium ſummis extulerunt laudibus, maximamque ejus ſcriptis auctoritatem conciliarunt, imo quaecunque ab eo dicta ſunt, haud ſecus ac ſi ab oraculo profecta eſſent, pro veris ac certis haben-

Ali-

Alii autem in contrariam abierunt partem, nam hunc auctorem adeo contemptim conterunt, ut infra omnes etiam infimos ſcriptores ponant: quod ad fidem attinet rerum, quas narrat, eam omnimode elevent, omnium mendaciſſimum eſſe, & nihil veri ſcripſiſſe autument. Rari enim ſunt, qui in medio conſiſtunt. *Salm.* vero in Judicio de Plinio, quod reperitur in Proleg. ad Homonym. Hyl. Jatric. pag. 18. longe tutius exiſtimat media incedere via, nec omnia condemnare, nec omnia rurſus adprobare rectiſſimum dicit. Praeterea contra illos, qui Plinium ſaepiſſime in reddendo Ariſtotele aut Theophraſto, maxima enim ex parte hanc Hiſtoriam ex Graecis ſcriptoribus compoſuit; offendiſſe, nec in illorum ſenſu aſſequendo ubique aeque feliciter verſatum dicunt, defendit *Scalig.* ſive *Yvo Villiomar.* in Loc Controv. Rob. Titii pag 14. Ubi aliud non Plinii inſcitiae attribuit, ſed negligentiae eorum, qui excerpta ex auctoribus mala fide deſcripta ad eum deferebant, ut in ordinem ab eo digererentur. *Quare errores in Plinio notamus*, pergit, *qui non ſunt Plinii, ſed Amanuenſium.* Conf. quae habentur ap. *Reines.* Lib. III. Var. Lect. Cap. V. pag 414. & in Epiſt. ad Daum. pag. 316. Cui adjungas *Fabric.* Bibl. Lat. Lib. II. Cap. XIII. §. 3. Prima & perrara

Hiſtoriae Naturalis Editio eſt Veronenſis, docente *Beughem*. Incunab. Typograph. pag. 110. Ultima vero atque praeſtantiſſima eſt *Harduini* ante tres vel quatuor annos Pariſiis iterum Edita. in Fol.

Caeterum & hodie habemus Libellum ſub *C. Plinii Secundi* nomine A. MDIX. impreſſum, cui titulus eſt *C. Plinius Secundus de Re Medica Libri*, de cujus auctore paucis inquirere, ut huic loco convenientiſſimum, fert animus. Illius igitur verus quis ſit auctor nondum conſtat inter Eruditos: *Mercur.* Lib. II. Var. Lect. Cap. I. credidit totum illud opuſculum ex *Plinii* Majoris Hiſtoria Naturali compoſitum, & mentitum Plinii nomen praepoſitum. Lib. III. Art. Gymn. Cap. XIII. vocat Librum Plinii nomini falſo inſcriptum. & Lib. VI. Cap. XI. barbarum nuncupat auctorem Sic *Barth.* quoque fatetur ſe verum illius auctorem neſcire Lib. I. Advers. Cap. XIV. & Lib. VI. Cap. XVII. Quos Viros ſequutus *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib II. Cap. II. exiſtimat hanc Inſcriptionem *C. Plinii Secundi de Re Medica Libri*, nihil aliud indicare, quam quod iſte Libellus ex C. Plinii Secundi de Re Medica Libris ſit compoſitus. Contra alii Viri Docti, ut *P. Jovius* de Piſcib. Rom. Cap. XXXV. alterum *Plinium Valerianum* verum credidit hujus libelli auctorem,

rem, haec ejus ſunt verba: *Fuit is procul dubio Plinio Naturalis Hiſtoriae ſcriptore & Plinio Caecilio poſterior, vocatusque eſt Plinius Valerianus Medicus, cujus marmoreum ſepulcrum Comi, ubi Pliniorum familia floruit, in templo Divi Probini, aquae ſacrae labello ſuppoſitum & pulcerrimis inciſum characteribus conſpicitur.* Cui aſſentitur *Fabrit.* Bibl. Lat. Lib. II. Cap. XIII. §. 8. Iſtius Plinii Valeriani Medici memoriam etiam ſervat Inſcriptio ap. *Gruter.* pag. DCLIII. n. 1.

D. M
C. PLINII
VALERIANI
MEDICI
QUI. VIXIT
ANN. XXII. M. VI. D. V
PARENTES.

Quisquis autem verus ſit auctor, ſufficiat dixiſſe eum ante *Marcelli* tempora vixiſſe, nam ille ſua in Praef. jam teſtatus fuit ſe in ſuo opere condendo plurima ex utroque Plinio hauſiſſe. Sic eum a nomine Chriſtiano etiam alienum fuiſſe facile illi, qui inſpiciet, veriſimile videbitur, etſi aliter viſum fuerit *Rei-*

 nes.

nes Lib. II. Var. Lect. Cap. VIII. pag. 181. At merito Libro III. Cap. IV. pag. 388. ſuam revocavit ſententiam, ut & in defenſione adverſus Andr. Rivinum pag. 137. Ethnicum eum etiam facit *Steph. le Moyne* in Diſſ. ad *Jerem.* Cap. XXIII. ℣. 6. de Jehova juſtitia noſtra pag. 47. Maxima ex parte hic Liber ex Plinio Majori conflatus eſt, non tamen ita, ſicuti quidam fecerunt, ut totus quantus ex Plinio depromptus ſit dicendus, nam ita ſaepius ad partes vocantur ſcriptores, qui diu poſt Plinium Majorem vixerunt, ut Galenus fere ſingulis Libri IV. Capitibus. Traduntur & ibi varie medicamentorum compoſitorum deſcriptiones, quae apud Plinium Majorem non reperiuntur. Imo totus Liber V. a Plinio diverſa continet. Videſis *Fabrit.* Cent. Plagiar. Num. 76. ubi late de hoc Plinio Valeriano egit, & Reineſii aliorumque Virorum Doctorum de eo ſententias expedit.

XVII. L. APULEJUM, quamvis ex Madaura, Africae civitate in confinio Numidiae Gaetuliaeque ſita, oriundus fuerit, Medicis tamen Romanis accenſere volui; quod ex gente Romana Apuleja, cujus paſſim tum apud ſcriptores tum in monumentis antiquis mentio fit, originem duceret: Madaura enim ſplendidiſſima veteranorum Romanorum militum colonia fuit, teſte ipſo *Apul.* in Apol. pag.

pag. 289. Edit. *Elmenh.* Conf. *Scip. Gentil.* in Comm. ad iſtam Apolog. pag. 62. & *Bayle* Dict. Hiſt. & Critiq. in Art. Apuleé. Hinc quoque Madaurenſis Platonicus vocatur a *Macrob.* Lib. VII. Sat. Cap. III. *Auguſt.* Lib. VIII. de Civit. Dei Cap. XI. & Epiſt. XLIX ad Deogratian. pag. 132. *Caſſiod.* de Muſic. pag. 309. & *Sidon. Apollin.* Lib. IX. Ep. XIII. Quin imo ſe ipſe ſaepius ut Lib. III. de Habit. Doctr. Philos. poſt initium & in principio Apolog. & Lib. XI. Metam. pag. 271. Philoſophum Platonicum Madaurenſem appellat. Diverſimode ejus nomen antiquis in monumentis legitur, ita per ſimplex *p.* in Nummo apud *Andr. Morellum* in Specim. Rei Numm. pag. 45. Tab. II. & in Inſcriptione ap. *Grut.* pag. XLI. n. 8. Contra vero per duplex *pp.* exprimitur in Lapide apud *Spon.* Miſcell. Erud. Antiq. pag. 60. *J. Lucidum* in Inſcript. Dalmat. pag. 548. & *Reines.* Cl. XI. Inſcr. XXIV. Quare promiſcue apud ſcriptores Apuleji nomen ſcriptum reperitur, quemadmodum ap. *Suet.* de Clar. Gramm. Cap. III. & *Aur. Vict.* de Vir. Illuſtr. Cap. LXVII. §. 3. qui per duplex *pp.* ſcripſerunt: ſaepius tamen per ſimplex *p.* exprimitur, veluti ap. *Plin.* Jun. Lib. X. Ep. XVI. *Macrob.* Lib. I. Somn. Scip. Cap. II. *AEl. Spart.* in Sever. Cap. IV. *J. Capitol.* in Clod. Albin. Cap.

 XII.

XII. & *Lactant.* Lib. V. Divin. Inſtit. Cap III. Vid. quae huc ſpectantia etiam obſerv Eruditiſſimus *Duker.* ad *Flor.* Lib. III. Cap XII. §. 8. & in addendis ad iſtum locum Hic iterum nos moratur Eruditorum diſſenſi de ejus Praenomine. *Eryc.* enim *Puteanus* Cen I. Ep. XXXVIII. ad Lipſium Praenome illud *Lucii* a vulgo ſive miniatoribus add tum cenſet, cui aſſentitur *Elmenhorſt.* ad *Apu* Lib. I. de Habitud. Doctr. Plat. in princ. qu in nullis libris Mſſ. quos *Elmenh.* invenit, reperi tur, & quia ſe ipſe ante Florid. & Apol. u & aliis in locis ſimpliciter nuncupat Apule jum Madaurenſem Platonicum. Ex inſign familia Apulejus natus videtur, quippe ip in Apol. pag. 289 ſcribit: *Se habuiſſe patrem loco principe Duumviralem, cunctis honoribu perfunctum.* Quod inſigne erat munus docen te *Scip. Gentil.* in Comm. ad Apul. Apol. pag 141. Per ſanguinem autem maternum, ut quibusdam Viris Doctis, inter quos *Elmenh.* in Ejus Vita. & *Scip. Gentil.* L. L. pag. 102 *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib. III. Cap IX. placuit, refertur ad Plutarchum ejusque nepotem Sextum Philoſophum, quia apud ipſum *Apul.* in initio Lib. I Metam. haec traduntur verba: *Theſſaliam (nam & illic originis maternae noſtrae fundamenta Plutarcho ill inclito ac mox Sexto Philoſopho nepote ejus pro-*

dita

dita gloriam nobis faciunt) *eam Theſſaliam ex negotio petebam.* Addantur, quae exhibentur in princ. Lib. II. Metam. Verum enim vero verba illa, ſi rite perpendantur, non ita capienda videntur, quaſi ad Apulejum ſpectarent, ſed potius de Lucio Patrenſi ſunt explicanda, quem plurima ex parte Apulejus ſequutus fuit, illius enim Aſini Metamorphoſin Latino ſermone converſam in opus ſuum transtulit & plures fabulas ex aliis Lucii Patrenſis operibus petitas intexuit. Quare merito prior iſta ſententia erudite rejicitur a *Salmas.* in Proleg. ante Exercit. Plin. Etenim ſi genus maternum Apulejus a Plutarcho ejusque nepote Sexto Philoſopho, qui teſte *J. Capitol.* in M. Anton. Philos. Cap. III. ſub Marco Antonino Philoſopho vixit, duceret, neceſſe eſſet Apulejum longe infra Marci tempora vixiſſe, quem tamen veroſimiliter conjicere poſſumus ſub Antonino Pio, & Divis Fratribus M. Antonino Philoſopho & Vero floruiſſe; nam ita in Apol. pag. 289. & 333. Lolliani Aviti, pag. 274. Lollii Urbici, & Florid. pag. 357, 358. Scipionis Orphiti V. C. ut ſibi aequalium meminit, quos conſtat honores ampliſſimos imperante Antonino Pio geſſiſſe: quippe ita Lollianus Avitus Conſul ſub Antonino Pio fuit, docente *Caſaub.* ad *J. Capitol.* in Pertin. Cap. I. Bithyniaeque Praeſes

Praeſes fuit ſub Divis Fratribus, teſte *Ulpian.* in L. III. §. 2. D. de Decurion. Conf. *Scip. Gentil.* L. L. pag. 137. Per Lollium Urbicum Legatum Britannos vicit, & Mauros ad pacem poſtulandum coëgit, indicante *J. Capitol.* in Anton. Pio Cap. V. Vid eundem *Scip. Gentil.* L. L. pag. 22. & Scipio Orphitus quoque ſub Antonino Pio Conſul dicitur a *Caſaub.* ad *J. Capitol.* in Anton. Pio Cap. VIII. Tandem circa Commodi tempora Apuleji Mileſiae, id eſt, Metamorphoſis jam hominum Eruditorum manibus teri videntur, uti liquet ex Epiſtola Severi ad Senatum ap. *J. Capitol.* in Clod. Albin. Cap. XII. ubi dicit: *Clodium Albinum, qui ſub Antoninis etiam innotuit, inter Mileſias Punicas Apuleji ſui conſenuiſſe.* Plura de ejus aetate habet *Cozzand.* de Magiſter. Antiq. Philos. pag 101. Caeterum hujus Apuleji effigies cum ramo lauri conſpicitur in Nummo ap. *Morell.* in Specim Rei Numm. pag. 45 Tab. II. & in fronte Edit. *Elmenhorſt.* Franc. A. MDCXXI. Etiam ejus effigies ſervatur a *Gronov.* in Tom. III. Thes. Ant. Graec Tab. nnnn ex Numismate aeneo in Theſauro Chriſtinae Reginae Aug. Quanta autem hujus Viri fuerit ſcientia Medica, colligimus ex ipſius Apol. pag. 299. ubi affirmat ſe Medicinae neque inſtudioſum neque imperitum. & paulo poſt dicit:

cit: ſe de Partibus Animalium, de Situ earum, Cauſa & Remediis ſcripturum. Dentifricium etiam praeſcribit Calphurniano pag. 276. Praeterea ſic etiam ex iis, quae hodie nobis ſuperſunt, intelligimus, eum varia opuſcula Medica reliquiſſe, uti recte arbitratus fuit *Barth*. Lib. XXXIX. Advers. Cap. XV. Ita enim ſcripſit Quaeſtiones Medicinales, teſte *Priſcan*. Lib. VI. pag. 681. Quaeſtiones Naturales ipſo indicante in Apol. pag. 298. Libros de Arboribus ſecundum *Serv*. ad *Virg*. Lib. II. Georg. ỽ. 126. & de Re Ruſtica ſecundum *Pallad*. Lib. I. R. R. Cap. XXXV. Vid. *Scip. Gentil*. in Comm. ad *Apul*. Apol. pag. 423. Praeterea & hodie ſub Apuleji Platonici nomine circumfertur libellus de Herbis, ſive de Nominibus ac Virtutibus Herbarum, qui invenitur inter ejus opera Pariſiis A. MDXXVIII. Fol. & mox eodem anno Baſil. Fol. editus fuit cum *Antonii Muſae* Libello de Betonica ex recenſione *Albani Torini*, qui ſimul junxerat *Soranum Epheſium*, *Oribaſium*, & *Plinium Secundum* ſive *Valerianum*: reliquas editiones jam miſſas facimus. Verum enim vero hoc loco non absque re fore exiſtimavi paucis de vero iſtius libelli auctore diſquirere. Quidam noſtrum Apulejum verum hujus libri auctorem affirmant, uti ſunt *Humelberg*. in Praefat. ante ſuam

Ant.

Ant. Muſae de Herb. Betonic. & *Apulej.* de Medicam. Herbar Editionem A. MDXXXVIII. *Conring.* in Addit. ad Introd. in Art. Medic. Cap. III. §. 13. & *Elmenhorſt.* in Ejus Vita. Forte quia auctor ſe Libycum dixit Cap. LXXXIV. Apulejus etenim ex Libya fuit civitate Madaura, haec ejus ſunt verba: *Graeci myacantlia, alii acanthillida appellavere, alii aſpharagon, alii aſparagon agrion, Latini corrudam, alii aſparagum agreſtrem, alii aſparagum ruſticum, alii aſparagum* NOSTRUM. Id eſt, Libycum. Uti ex his *Plinii* Lib. XX. H. N. Cap. X. verbis monet *Humelb.* ad iſtum locum: *Sylveſtrem aſparagon, aliqui corrudam, alii Libycum vocant.* Caeterum alii, ut *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 277. illam gloriam Apulejo Madaurenſi denegant & potius tribuendam cenſent Apulejo Celſo, cum quibus ſtare veritus non fuit *Scip. Gentil.* in Comment. ad *Apul.* Apol. pag. 205. & *Joh. Brantius* ad *Apul.* Lib. I. Metam. in princ. Qui Apulejus Celſus tempore Auguſti vitam egit, & Valentis ac Scribonii Largi praeceptor fuit, teſte *Scrib. Largo.* Comp. XCIV. & CLXXI. Atqui minus recte illud opuſculum ei asſignatur, docente *Salmas.* in Prolog. Homon. Hyl. Jatric. pag. 15. Cum potius poſterioris ſit auctoris, qui Cap. CIX. citat Dioſcoridem, qui ex calculo *Marſil. Cagnat.* Lib. II.

Var.

Var. Obſerv. Cap. ult. ap. *Grut*. Tom. V. Thes. Crit pag. 570 circa Neronis tempora vixit. Praeterea auctor ille etiam non tantum Plinio uſus, ſed etiam omnia fere ſua a Plinio mutuatus dicitur a *Budaeo a Stapel.* in *Theophr.* Lib. I. Hiſt. Plant. Cap. IX. pag. 321. docente *Almelov.* in Plagior. Syll. pag. 4. Conf. *Salmaſ.* L. L pag. 12. & in Exercit. Plin. pag. 261. *Fabrit*. Centur. Plagiar. num. 58. & *Clercq*. Hiſt. Med. Part. III. Lib. I. Cap. . Imo Apulejus Celſus Centuripenſis Siculus fuit, teſte *Rhod.* ad *Scrib. Larg*. pag. 256. Cum noſter ſe Libycum vocat, uti mox vidimus. Inſurgunt iterum alii, qui de certo c vero auctore haeſitare videntur, quemadmodum *Rhodig*. Lib. XX. Ant. Lect. Cap. XX. & *Keuchen*. ad *Ser. Sammon*. pag. 273. mo variis hujusmodi ſententiis quoque jactaus fuit Magnus *Barthius*, nam ita Vir ille Lib. IV. Advers. Cap. XIV. & Lib. XXXVII. Cap. XXIII. de Apulejo Celſo dubitat; Lib. XXXVIII. Cap I. videtur *Sexto Placito* tribuere; Lib. XXXIX. Cap. XV. auctorem ncertum dicit; & Lib. LV. Cap. V. duntaxat auctorem veterem vocat, qui nec Apulejus Madaurenſis nec Celſus fuit. Rectius autem Vir Celeb. Lib. XXVI. Advers. Cap. XVI. divinavit, ubi oſtendit hunc libelum ex Apuleji Naturalibus Inquiſitionibus

colle-

collectum fuiſſe, quae ſententia haud ſpernenda videtur, quare potiori jure dicenda erit Epitome contracta ex noſtri Apuleji Platonici Libris Medicinalibus, quorum *Priſcian.* Lib. VI. pag. 681. mentionem fecit. Vide ſis *Fabrit.* Bibl. Lat. Lib. III. Cap. II. §. 59. Poſtremo non audiendi ſunt, qui Apulejo noſtro hunc libellum negant, quoniam Apulejani ſermonis uberem laciniosumque torrentem, ut ita dicam, non redolere videatur. Conf. *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 157 Verum illi objectioni jam reſpondidit *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib. III. Cap. IX. Qui ibi de hujus libelli Editionibus quoque conſuli meretur. Illa autem, quae in iſtis Editionibus deſiderantur, ita ſe aucta atque emendata daturum promiſerat *Voſſ.* in Obſerv. ad *Pomp. Mel.* Lib. II. Cap. III. ℣. 66. & Lib. III. Cap. VI. ℣. 40. ut pene alius videri poſſit, ex aliquo Codice Apuleji de Herbis ante annos mille ducentos ſcripto litteris uncialibus, quem in Bibliotheca ſua Voſſius habebat, teſte *Fabrit.* L. L. Ita ut ex hoc Codice etiam hujus ſcriptoris aevi calculum ſubducere liceat. Ea, quae *ſup.* Cap. III. §. 31. de Libello de Betonica ſub *Ant. Muſae* nomine circumlato diximus, hic non repetam, ſed transeo ad alterum forte hujus Apuleji grande fragmentum de Remediis Salutaribus, quod poſſe-

dit

dit *Salmaſius*, in antiquiſſimis membranis deſcriptum litteris majuſculis, quod illi magno uſui fuit ad veram eruendam lectionem in aliquot Plinianis pene deſperatis locis, & quae nec ipſe ſanaſſet AEſculapius abſque hujus fragmenti ope, ut ipſe teſtatur in Proleg. Homon. Hyl. Jatr. pag. 12. Simile fragmentum mſſ. ſervatur in Gallia in Bibliotheca Regia, docente *Harduin.* ad *Plin.* Lib. XIX. H. N. Cap. XVIII. Conf. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib. I. Cap. I.

XVIII. Sequitur QUINTUS SERENUS SAMMONICUS, de cujus nomine hic in principio pauca annotanda veniunt. I. Quod Praenomen *Quintus* apud nullum, qui de Sammonico verba fecerit ſcriptor, reperiatur. II. Quod quibusdam nominetur Serenus Sammonicus, uti ab *AEl. Lampr.* in Alex. Sever. Cap. XXX. *J. Capitol.* in Gordian. Cap. XVIII. & *Serv.* ad *Virg.* Lib. I. Georg. ℣. 102. Ab aliis autem appellatur Sammonicus Serenus, veluti ab *AEl. Spart.* in Ant. Carac. Cap. IV. *Macrob.* Lib. II. Saturn. Cap. XII. & XIII. & Lib. III. Cap. IX. Conf. *Kuchen.* in Proleg. ad *Q. Ser. Samm.* pag. 75. Tandem quibusdam in Mſſ. cognomen *Sammonicus* ſcribitur per ſimplex *m.* contra vero in aliis per duplex *mm.* obſervante *Caſaub.* ad *AEl. Spart.* in Ant. Carac. Cap. IV. Serenus Sammoni-

cus pater (duo enim iſtius nominis pater & filius fuerunt) tempore Severi claruit, *Macrob.* Lib: II. Sat. Cap. XII. A cujus filio Caracalla inter coenandum occiſus fuit, *AEl. Spart.* in Ant Carac. Cap. IV. Vir ſeculo ſuo apprime doctus nuncupatur a *Macrob.* L. L. Plurimos etenim ad doctrinam ſcripſit libros, *AEl. Spart.* L. L. Varia quoque hujus Viri ſcripta memorat *Macrob.* Lib. II. Sat. Cap. XIII. & Lib. III. Cap. IX. Ita Antonius Geta dicitur ejus libros ad *Antoninum* familiariſſimos habuiſſe, *AEl. Spart.* in Anton. Geta Cap. V. Conf. quae habet *Voſſ.* Lib. III. de Hiſt. Lat. Cap. II. Egregiam hic Vir filio ſuo, etiam Sereno Sammonico dicto, reliquit Bibliothecam, quae continebat LX. & duo millia librorum; filius autem moriens iſtius eruditionis theſauri haeredem inſtituit Gordianum Juniorem, cujus praeceptor Serenus Sammonicus filius fuerat, *J. Capitol.* in Gordian. Cap. XVIII. Illum filium inter amicos habuit Alexander Severus, teſte *AEl. Lampr.* in Alex. Sever. Cap. XXX. Nam hunc locum non de patre, ſed de filio accipiendum aſſerit *Morgagn.* in Epiſt. in Ser. Samm. ad Vulp. pag. 98. Habemus & hodie Carmen Heroicum, cujus haec eſt Inſcriptio: *Q. Sereni Sammonici de Medicina Praecepta Saluberrima.* Quod poëma an patri an vero filio

debeas,

debeas lis adhuc ſub judice haeret: a pleriſque, veluti jam memoratis & mox memorandis Viris patri tribuitur, contra vero ſolus, ni fallor, Sagaciſſ. *Morgagn.* L. L. pag. 100. illud filio vindicat. Libellus iſte primus editus fuit Venet. A. MCDLXXXVIII. cum *Arato*, *Avieno* &c. Fol. docente *Fabrit.* Bibl. Lat. Lib. III. Cap. V. §. 4. Ultimam editionem curavit *J. B. Vulpius* Petavii A. MDCCXXII. 8to. Nonnulla illius opuſculi loca illuſtravit *Turneb* Lib. XVII. Advers. Cap. XVIII. & *Morgagn.* in laud. Epiſt. Ante vero quam manum de tabula monendum ſaepius hunc patrem & filium ad Eruditis confundi, ut a *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 241. *Caſtell.* Vit. Ill. Med. ap. *Gron.* Tom. X. Thes. Ant. Graec. pag. 895. *Gyrald.* Hiſt. Poët. Dial. IV. *Conring.* Introd. in Art. Med. Cap. III. §. 17. *Mercklin.* Lind. Renov. pag. 928. Alioſque, quos notat *Morg.* in ſua Epiſt. pag. 81. Rectius vero a *Caſaub.* ad *AEl. Spart.* in Ant. Carac. Cap. IV. & ad *J. Capit.* in Gordian. Cap. XVIII. *Voſſ.* de Poët. Lat. Cap. IV. pag. 52. & de Philos. Cap. XII. §. 21. & *Rob. Keuchen.* in Prol. ad *Samm.* pag. 68. diſtinguuntur.

XIX. Tandem accedimus ad illum, cui hujus Illuſtrium datorum Medicorum Elenchi agmen claudet, nimirum JULIUM AU-

SONIUM, virum ſane nobilem, uti conſta[t] ex *Auſon.* Epiced. in Patrem ℣. 5.

Curia me duplex, & uterque Senatus habe[-]bat
Muneris exſortem, nomine participem.

Illyrici Praefectus & Valentiniani Seniori[s] Archiater dicitur a *Voſſ.* de Philos. Cap. XII[I] §. 31. Ejus ſtemma exhibetur a *Vinet.* ad *Auſon.* Parent. XXX. Ex libris, quos hic Auſonius Medicus reliquit, multum ſe pro[-]fectum teſtatur *Marcell.* in Praef. ſui Libri de Medic. qui & Cap. XXV. iſtius operis no[-]ſtrum Auſonium memorat. Quippe hic Julius Auſonius Medicinam profeſſus legitur ap. *Au[-]ſon.* in Parent. I. in Patrem ℣. 13.

Praeditus & vitas hominum ratione medendi
Porrigere, & fatis amplificare moras.

& Epiced. in P trem ℣. 1.

Nomen ego Auſonius, non ultimus arte me[-]dendi:
Et mea ſi noſſes tempora, primus eram.

Is Auſonius quoque duos e filiis Medicinae conſecraſſe videtur, quorum unus, Avitianus dictus,

dictus, paterna veſtigia ita preſſit, ut jam magnos in Arte progreſſus feciſſet, ſed mediis in parentum votis, acerba morte interceptus fuit, ut patet ex *Auſon.* Parent. XIII. in Fratrem. Alter filius fuit Decius Auſonius poëta, cujus carmina hodie habemus, qui etiam Medicis accenſetur a *Lang.* Lib. I. Med. Ep. LXX. pag. 377. & *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. . 248. qui illud multa Auſonii Epigrammata inſinuare contendit. Conſ. *Barthol.* de Med. Poët. pag. 125. Denique forte etiam quia pater ejus Medicus fuit, vel quia ipſe Medicinam fecit, dicitur Auſonius Paeonius. Vi- eſis *Barth.* Lib. VI. Advers. Cap. I. & ad *Auſon.* Epigr. I.

XX. Hic Medicorum nec ſervorum nec bertorum, ſed virorum ab omni tempore Noiliſſimorum catalogus ſatis eſto: quippe aninus hac vice non fert, neque inſtituti ratio oſtulat, ut ex infinito illo Medicorum haud gnobilium, qui prioribus iſtis temporibus in ac Arte ſcripſerunt aut alias ſe exercuerunt, umero plura memorem exempla; nam haec atis multa ſunt & plura potius quam neeſſe fuit. Animus enim fuit leviter pleraque ranſire, ac tantummodo perſtringere, ut ex ngue leonem liceat cognoſcere, & e paucis, quae ex ubere penu deprompſi, de reliquis onjecturam facere. Majorem vero qui deſide-

 rat

rat copiam, praeter jam ſaepius ad partes vocatos ſcriptores, ut *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. ejusque ſequaces *Caſtell.* Vit. Ill. Medic. ap. *Gron.* Tom. X. Thes. Ant Graec. *Canonher.* Proleg. in *Hipp.* Aphor. *Voſſ.* de Philos. Cap. XI. & XII. *Lang.* Oper. Med. Tom. I. *Clercq.* Hiſt. Med. & *Fabrit.* Bibl. Graec. Vol. XIII. adeat *Cels.* Praef. *AElian.* Lib. IX. Hiſt. Anim. Cap. IX. *Plin* Lib. XXV. H. N. Cap. II. & Lib. XXIX. Cap. I. *Rhodig.* Lib. XXIX. Cap. XI. *Barth.* Lib. X. Advers. Cap. XXV. *Barthol.* de Medic. Danor. Diſſ. VIII. pag. 362. *Caſtell.* in Opt. Med. pag. 36. & 51. *Matth. Bernegg.* Orat. V. pag. 150. ſeq. *Gutberl.* Orig. Mund. Lib. I. Cap. XII. §. 17. & Cap. XX. §. 46. *Ten Rhyne* de Antq. Chem. pag. 264. & *Zahn.* de Orig. ac Progr. Medic. pag. 64. & 68. Si enim Clariſſimorum poſteriorum temporum Medicorum exempla hiſce immiſcere vellem, quis modus, quis finis eſſet? Quippe inter illos recenſere deberemus plurimos a Romanis pro Sanctis cultos, *Canonher.* Prol. in *Hipp.* Aphor. pag. 7. & *Chr. Ben. Carpzov.* in Diſſ. de Medic. ab Eccles. pro Sanctis habitis, Lips. A. MCCCIX. Sic fuerunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Cardinales & Pontifices Maximi, ut Paulus II. Nicolaus V. Euſebius, qui ipſe Medicus & Medici filius fertur, & Joannes

annes XXII. (male ab aliis Joannes XXI vocatur) ante Pontificatum Petrus Hiſpanus dictus, Theſauri Pauperum & Medicinae Canonum haud imperitus ſcriptor, *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI §. 164. *R. a Caſtro* Lib. I. Med. Polit. Cap. XII. & Lib. II. Cap. IX. & *Barthol.* de Morb. Bibl Cap. X. & in Hiſt. Paralyt. prima ap. *Cren.* in Faſcic. V. pag. 332. & in Hiſt. Paralyt. tertia ap. *Cren.* L.L. pag. 371. ubi etiam docet in Eccleſia antiqua plurimos Sacerdotes Medicorum catalogo fuisſe adſcriptos. Conf. *Prosp. Mandos.* de Pontif. Max. Archiatris in Act. Erudit. A. MDCXCVII. pag. 183. & *Agnanus* Le Preſtre Medicin, Pariſiis A. MDCXCVI. Caeterum hic nil dicam de Sereniſſima Magnorum Hetruriae Ducum proſapia, a Medicis oriunda; qui nec inde quinque rubras pilulas in Ducalibus Inſignibus habere erubeſcunt, uti ea de re amplius apud Genealogicos atque Heraldicos agitur. Videſis *Barthol.* Diſſ. VIII. de Medic. Danor. pag. 363. *Serbait.* Oper. Med. pag. 779. & *G. a Reies* Elys. Camp. Jucund. Quaeſt. II. §. 30. Hiſtorici inter Duces Genuenſes ſeptem fuiſſe Medicos memorant, nec non apud Scotos Medicos omnes fuiſſe Viros Nobiles ex *Buchan.* referunt *Camer.* Cent. I. Oper. Subcis. Cap. LXVI. & *Menag.* Amoenit. Jur. Cap. XXXV. pag. 278.

278. Inſuper noſtros ſi conſulamus Annales, ex illis intelligemus Viros hac in Republica Principes, atque generoſiſſimos Patriae Patres hanc Artem tractare ab omni tempore ſibi laudi duxiſſe: ita Dordracenſes *Beverovicio & Van Someren* Senatoribus gloriantur, Amſtelis ſibi *Tulpium* Conſulem gratulatur, *Elemannus* Lugd. Batav. Conſularibus Faſcibus fulſit: qualia quoque prae caeteris Illuſtriſſima & Ampliſſima ſpecimina ipſa noſtra *Urbs Trajectina* varia ſuppetere poſſet. At alta illorum Virorum nomina hoc loco modeſtiae ergo ſilentio premo.

CAPUT V.

Medici apud Hebraeos, AEgyptios atque Graecos non Servi, ſed Viri Celeberrimi fuerunt.

I. Ne igitur Vos, B. L. diutius morer longa ſerie exemplorum indicantium, qui & quanti Viri hanc Artem exercuerunt, Capiti praecedenti finem impoſui: temporis etenim ratio me quoque monet, ne in hiſce ſim prolixior, ne latius excurrant, & in tam aperto patentique campo effuſius exſultent hae *Amoenitates*; quia tum ex illis, quae jam in me-

medium protulimus, ſatis liquet non tantum ſervos, verum etiam Viros Nobiliſſimos ac Clariſſimos hanc Artem feciſſe; tum etiam ut quibusdam aliis adhuc argumentis hanc maculam Medicis inuſtam detergere poſſimus. Igitur ut ordine progrediar, ſciendum eſt primos Medicos, quorum ab antiquiſſimis ſcriptoribus mentio fit, homines ingenuos & in ſummo honore a pleriſque nationibus habitos fuiſſe, veluti ex dato Medicorum Elencho jam conſtare poteſt.

II. Ita apud *Hebraeos* haec Ars praeſtantisſimis ac celeberrimis Viris, non vero ſervis demandata fuit, quemadmodum ex enumerato *ſupra* Cap. I. eorum catalogo cuique conſtat: quod & locus *J. Syrach.* Cap. XXXVIII. v. 1. ſatis confirmat: *Honora Medicum propter neceſſitatem, etenim creavit illum Altiſſimus, a Deo enim eſt omnis medela. & a Rege accipiet donationem, diſciplina Medici exaltabis caput ejus & in conſpectu Magnatum collaudabitur; Altiſſimus creavit de terra Medicinam, & vir prudens non abhorrebit illum. Da locum Medico, Dominus enim illum creavit.* Tandem hiſce addere poſſem, ſi notiſſimum non eſſet, apud Hebraeos ipſos Sacerdotes Medicinam feciſſe. Conf. *Jos. Scalig.* Scaliger. Prim. pag. 61.

III. Ad *AEgyptios* autem quod attinet, Me-

dicina apud illos ad ſummum honoris faſtigi-
um pervenit, & non niſi Viris Illuſtribus
curae fuit, ſicuti illud praeter *ſup.* Cap. II. jam
in ſcenam producta indicia etiam conſtat ex eo,
quod eorum Magi vel Sacerdotes, qui ipſi
Reges vel ex eorum ſanguine nati erant, om-
nes fuerint Medici. Vox enim *Magus*, quae
licet jam infamis, primo tamen honoris fuit
& vel Philoſophum vel Sacerdotem ſignifica-
bat, *Ouſel.* ad *Minut. Felic.* Oct pag. m. 245
Adeoque nos per Magos non intelligimus
iſtos incantatores, nefariae abominandaeque
artis tractatores, qui deinceps ſub generali
illa appellatione quoque comprehenſi fuerunt
D. Hieron in *Daniel.* Cap. II. ℣. 2. *Rhodig.*
Lib. IX. Cap. XXIII. & *Barth.* Lib. XLI
Advers. Cap. X. Sed rerum divinarum In-
terpretes, Philoſophiae Naturalis cultores:
nam ita vocabulum Magus vera ſua ſignifica-
tione exprimit Sacerdotem, docente *Apul.* i
Apol. pag. 290. Conf. *Menag.* ad *D. Laërt.*
Lib. I. Segm. I. Merito etiam vox Magus
ap. *Matth.* Cap. II. ℣. 1. ab Interpretibus per
Sapientes vertitur. Vid. *Barth.* Lib. XXI
Advers. Cap. XX. & Lib. XLVIII. Ca
II. & *Humelb.* ad *Apul.* de Herb. Cap. LXV. Ma-
igitur Perſarum ſunt iidem, qui Babyloni-
rum Aſſyriorumque Chaldaei, & AEgypti-
orum Sacerdotes ac Prophetae. Conſ. *G. M-*
rel-

rell. de Vet. Phil. Orig. ap. *Gron*. Tom. X. Thes. Ant. Graec. pag. 308. Ita ſub Prophetae nomine Magi deſignantur ap. *Ant. Mus*. de Herb. Beton. in princ. & *Apul*. de Virib. Herb. centenis in locis. & ab eodem *Apul*. Lib. II. Metam. pag. 127. Zachlas AEgyptius Propheta Primarius vocatur. Conf. *Macrob*. Lib. VII. Sat. Cap. XIII. & *Reines*. Lib. II. Var. Lect. Cap. V. pag. 155. Caeterum hi Magi vel Sacerdotes apud AEgyptios tanto in honore fuerunt poſiti, ut illis quaſi hominibus Sacris nefas eſſet cum plebe verſari. Inſpice *Barth*. Lib III. Advers. Cap. II. & *Morell*. L. L. pag. 302. Verum cum Regibus converſatos fuiſſe indicat *Strab*. Lib. XVII. pag. 1135. Quin imo ipſi Reges, vel ſaltem ex eorum ſanguine prognati olim ſacerdotio fungebantur, *Barth* Lib. XI. Advers. Cap. III. & Lib. XLIII. Cap. IX. & *Lang*. Lib. I. Medic. Ep. XXXIII. pag. 135. Nam ſic nemo apud Perſas Rex fieri potuit, ni prius Magorum diſciplinam ſcientiamque percepiſſet, teſte *Cicer*. Lib. I. Divin. Cap. XLI. Conf. *Hier. Elen*. Lib. II. Diatrib. Cap. XXIII. ap. Clar. *Ott*. Tom. II. Thes. Jur. pag. 1450. Praeterea ipſe Darius moriens ſuis praecepit, ut inter tumidos ejus titulos ſepulcro inſcribendos, etiam poneretur *Archimagus*, id eſt, Magorum Primus. teſte *Porphyr*. de Abſtinent.

Lib.

Lib. IV. pag. 165. Edit. Cantab. Quare *Gyrald.* Hiſt. Poët. Dial. II. & *Camer.* Cent. III. Oper. Subciſ. Cap. XLVI. ex Platone docent AEgyptiis morem fuiſſe ex Philoſophis Sacerdotes, & ex Sacerdotibus Reges elicere. Vid. *Strab.* Lib. I. Geogr. pag. 43. Hinc etiam dixit *Apul.* Apol. pag. 290. *Quippe inter prima regalia docetur. nec ulli temere inter Perſas conceſſum eſt Magum eſſe, haud magis quam regnare.* Sic in amplis olim aedibus illi Sacerdotes quoque habitaſſe dicuntur ap. *Strab.* Lib. XVII. pag. 1159. Hi, dico, Sacerdotes apud AEgyptios omnes fuerunt Medici, teſte *Rhodig.* Lib. IX. Cap. II. *Dalec.* ad *Athen.* pag. 621. *Scip. Gentil.* ad *Apul.* Apol. pag. 517. *Conring.* Herm. Med. Cap. IX. pag. 81. *Borrich.* de Herm. AEgypt. & Chem. Sap. Lib. I. Cap. VII. §. 1. & *G. a Reies* Elys. Camp. Juc. Quaeſt. II. §. 28. Unde apud iſtos populos Medicinam inter Sacras diſciplinas habitam, & non niſi ſelectis ingeniis concreditam fuiſſe oſtendit *Conring.* Diſſ. II. Ant. Acad. pag. 51. & Diſſ. IV. pag. 106. Ita denique a Sacerdotibus AEgyptiis curatum legimus Platonem ap. *D. Laërt.* Lib. III. Segm. VI. Ex quibus dictis ſatis conſtat Medicinam apud AEgyptios in ſummo honoris faſtigio locatam imo omnibus fere caeteris artibus antepoſitam fuiſſe. Vid. *Borrem.*

Var.

Var. Lect. Cap. XV. pag. 181. Unica ſolummodo ſupereſt difficultas ex Sacris Litteris petita, *Genes.* Cap. L. ✝. 2. *Et Joſephus praecepit ſervis ſuis Medicis, ut defunctum in AEgypto patrem aromatibus condirent* &c. Ex quibus verbis contrarium volentes, uti *Fer. Adduens.* Lib. II. Explicat. ap. Cel. *Ott.* Tom. II. Thes. Jur. pag. 567. *Pignor.* de Serv. pag. 75. *Dempſt.* ad *Roſin.* Lib. II. Ant. Rom. Cap. XVII. & *Anonymus*, quem *Boekelmannum* eſſe fert fama, in Diſſertatiuncula, cui titulus eſt: Medicus Servus LX Solidis aeſtimatus pag. 48. concludere tentant Medicos apud AEgyptios (male enim iſte locus de Hebraeis intelligitur, uti fecit *Anonymus* mox nominatus) fuiſſe homines ſervilis conditionis: cui ſententiae haud facile calculum adjicere vellem, niſi monitus, meliora ſequar. Vid. *Borrem.* L. L. pag. 180. & *Zahn.* de Orig. Progr. & Dignit. Med. pag. 152. Joſephus enim cum Aulicorum Regiorum Princeps, & primus a Rege eſſet, qui ad clavum vaſtiſſimi illius Imperii ut Prorex ſedebat, *Genes.* Cap. XLI. ✝. 40 Quis dubitaret, eum Medicos quosdam veluti Archiatros ſuos aluiſſe, nullatenus vero ſervorum loco eosdem habuiſſe? Hinc illis juſſit, *Ut patrem ſuum aromatibus condirent.* Quod proinde eadem ratione intelligendum eſt, ſicuti hodie adhuc, qui Regi vel

Magno

Magno Principi a Conſiliis, ab Actis, a Cubiculis, vel ut brevi dicam, inter Purpuratos ſunt, miniſtri vel ſervi eorundem Regum vocantur; quum tamen ipſi ſaepiſſime Duces, Marchiones, Comites &c. ſint. Recte ideo inter tales miniſtros vel famulos & ſervos magnam obſervat differentiam *Aus. Popm.* de Differ. Verbor. Lib. II. pag. 122. Ergo verbum illud Hebraicum *Gnebed*, quod *Genes.* Cap. L. ℣. 2. per ſervum vertitur, non ſolum ſervum, verum etiam Aulicum atque Purpuratum denotat: nam ita Naaman, qui Lib. II. *Reg.* Cap. V. ℣. 1. vocatur Vir Princeps & Imperator exercitus Syriae Regis, ℣. 6. etiam ſecundum vulgatam traditionem ſervus Regis dicitur. Atque ſic Regina Zebrs Hieroſolymam ad audiendam Salomonis ſapientiam profecta, felices atque beatos depraedicabat ſervos ejus continuo ipſum circumſtantes, ejusque ſapientiam percipientes, Lib. II. *Chron.* Cap. IX. ℣. 4. & 7. Quo nomine procul dubio Purpuratorum Regiorum haud infimos intellexit. Imo Chaldaei, quos jamjam vidimus Illuſtres fuiſſe homines, respectu Regis ſe appellant ejus ſervos ap. *Daniel.* Cap. II. ℣. 4. Quod nomen & hodie adhuc Summates Turcici Imperii ſibi honori ducunt: nam ſeſe ſemper *Kul*, id eſt, ſervos Imperatoris vocant. Vid. *Hoogſtr.* Diction. Univ

ii

Voce *Kul.* Haec ſunt, quae circa hunc *Ge-nes.* locum obſervanda ex locupletiſſimis ſuis :heſauris mihi humaniter communicavit Vir Eruditus *Arnoldus Arntzenius* Theologus, quem propter animi candorem ſingularemque doctrinam ſemper feci plurimum; ſed proh dolor! nunc ſpei, quam de eo Orbis Litte-ratus ejusque amici fovebant, nimis mature ereptus, cujus ſancta memoria mihi ſemper in cariſſimis erit.

IV. Quanta vero Medicorum apud *Graecos* uerit dignitas, ampliori non indiget illuſtra-ione, quippe ubi teſtimonia rerum, in Elen-ho Medicorum Graecorum tradita, adſunt, non ppus eſt verbis. Niſi lex Athenienſium ad-atur, qua id plane confirmatur, cujus frag-nentum ſervat *Hygin.* Fab. CCXLVII. *Nam Athenienſes caverant, ne quis ſervus aut foemi-a Artem Medicinam diſceret.* Inſuper Me-icinam inter Artes Liberales a Graecis po-itam fuiſſe ex eo etiam concludimus, quod *Hippocrates*, cum Abderitae ipſi X. talenta, d eſt, 63750. aureorum ad Democriti ſana-ionem offerrent, reſponderit in Epiſt. ad . P. Q. Abderit. Tom. II. pag. 904. *Sinite pera liberae Artis eſſe libera, qui mercede lo-ant, hi ſcientias ſervire cogunt.* Vid. *Crell.* Diſſ. de Ant. Muſa §. 5. pag. 13. Praeterea ti AEgyptiorum, ita & Graecorum Sacer-

dotes

dotes ſimul Medicos exſtitiſſe docet *Lang.* Lib. II. Medic. Ep. II. pag. 480. *G. a Reies* Elys. Camp. Quaeſt. II. §. 28. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. I. Lib. I. Cap. IX. Qui Sacerdotes nequaquam fuerunt ſervilis conditionis, ſed ſummae auctoritatis, uti conſtat Plutarchi Medici, de quo *ſup.* Cap. III. §. 33. vidimus, exemplo; qui & Apollinis Pythii Sacerdos fuit; ut *ipſe* docet in Lib. An ſeni gerenda ſit Respublica Cap. XXVII. Conf. *Mead* Orat. Anniv. Harvei. pag. 9. & de Numm. a Smyrn. in Medic. Honor. Percuſſ. pag. 50. & 51. Quemadmodum nunc de Sacerdotio & Medicina conjuncto vidimus, ita quoque iidem apud Graecos fuerunt, qui Medicinae Legumque peritiam habuerunt; nam plures *ſup.* Cap. III. inter Medicos Graecos recenſiti etiam Legumlatores exſtiterunt, ſic de Thalete hoc teſtatus fuit *AElian.* Lib. III. Var. Hiſt. Cap. XVII. Conf. *Petit.* Lib. IV. Miſcell. Obſerv. Cap. V. De Pythagora *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. III. De Democrito S. P. Q. Abder. in Epiſt. ad Hipp. Tom. II. pag. 901. De Platone *Lucian.* Pro eo, quod inter Salutandum verbo lapſus fuerit pag. 270. Cui additur *AElian.* Lib. II. Var. Hiſt. Cap. XLII. & *Menag.* ad *D. Laërt.* Lib. III. Segm. XXIII. Praeter illos Eudoxus etiam vocatur Medicus & Legumlator a *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. LXXXVI.

CA-

Caput. VI.

Inquiritur, an Populus Romanus Medicinam dignam cenſuerit, ut illi operam daret.

I. Tandem denique ad *Romanos* accedimus, ita ut hoc loco paullo longius ſubſiſtere debebimus; quippe hic nobis accuratiore indagatione opus erit, ut intelligamus, an Populus Romanus hanc Artem dignam cenſuerit, ut ejus gravitas illi operam daret, an ſervis potius & libertinis commiſerit. Ad quam quaeſtionem omnis ordinis fere Eruditi frequentem habuerunt Senatum; alea enim iſta jam dudum fruſtra magna animi contentione a quibusdam agitata fuit. Quippe ſunt inter illos, qui, ut virulentum illud virus longe lateque diſpergeretur, Medicinam apud Romanos ſolummodo Artem ſordidam, illiberalem, & homini ingenuo indignam fuiſſe contendunt, cujus exercitium tantum ſervis fuiſſet commiſſum, ut hominibus ad omnium juſſa & imperium compoſitis, & natura quaſi ſervis: cui opinioni ſua ſubſcribere nomina non detraxerunt Viri caeteroquin in litteris nequaquam hoſpites, ſed apprime Principes, ac quorum nomina nunquam

 non

non magna animi veneratione appello, ut *Briſſon.* Lib. II. Sel. Antiq. Cap. III. & de Verb. Signif. in Voce *Medicus Robortell.* in Annot. ad Utriuſque Ling. Auct Lib. I. Cap. XXI. *Ald. Manut.* Lib. II. de Quaeſit. per Epiſt. Cap. IX. ap. *Grut.* in Thes. Crit. Tom. IV. pag. 265. *Paul. Manut.* ad *Cicer.* Orat. pro Cluent. Cap. XVI. & Lib. XIII. ad Famil. Ep. XX. *Gruter.* & *Lips.* ad *Senec.* Lib. III. de Benef. Cap. XXIV. *La Cerda* ad *Virg.* Lib. III. Georg. ℣. 455. & Lib. XII. AEn. ℣. 396. *Taubm.* ad *Plaut.* Epid. Act. II. Sc. II. ℣. 14. *Fer. Adduens* Lib. II. Explicat. ap. Cl. *Ott.* in Tom. II. Thes. Jur. pag. 567. *Pignor.* de Serv. pag. 71. *Dempſt.* ad *Roſin.* Lib. II. Cap. XVII. *Menag.* Amoenit. Jur. Cap. XXXV. pag. 277. *Boekelm.* in Diſſ. cui inſcribitur Medicus Romanus ſervus ſexaginta ſolidis aeſtimatus. *Borremans.* Var. Lect. Cap. XV. *Pitiſc.* ad *Suet.* Caes. Cap. IV. & in Lex. Ant. Rom. in Voce *Medicus. Heinecc.* Ant. Rom. Lib. I. Tit. XXV. §. 19. Nec non nuperrime Clar. *Cong. Middleton.* Acad. Cantab. Protobiblioth. Cantab. A. MDCCXXVI. 4to. & in Defenſione ſua contra Anonym. ibid. A. MDCCXXVII. 4to. Qua vero ratione, quove jure hoc ſtigma a Magnis iſtis Viris Medicis ſit inuſtum, jam viſum ibimus.

II. Plurimi, quorum alter alterius veſtigia

gia fideliter preſſit, id fecerunt ex male intellecta vocis Medicus ſignificatione, quae cum nomen ſit generale, & aeque Medicum Clinicum ac Chirurgum denotat; hujus Artis obtrectatores ſemper eo nomine, ubique occurrit, deſignare volunt Medicum Clinicum, vel ſaltem Clinicum & Chirurgum eundum dicunt: quod tamen veritati plane contrarium conſtat, quum tunc temporis Chirurgia a Medicina Clinica aeque ac hodie ſeparata & hominibus diverſae conditionis unaquaeque provincia demandata fuit, ut *infra* latius demonſtare conabimur.

III. Alii alio nituntur fundamento, nimirum quod aegri paucis in locis dicantur imperare Medicis, ut apud *Cicer.* in Orat. in Piſon. Cap. XXXIV. *Varro.* Lib. I. de Re Ruſt. Cap. XVI. *Senec.* Lib. III. de Benef. Cap. XXIV. & Lib. VI. Cap. XVI. *Quintil.* Declam. VIII. Cap. XX. & *Dict. Cretens.* Lib. II. Cap. VI. Quod manifeſtiſſimum ſervitutis indicium autumant *Duaren.* Lib. I. Diſput. Anniv. Cap. LIV. ejuſque ſequaces: nil etenim proprius dici contendunt, quam ut ingenui aegri & honeſtiori loco poſiti dicantur imperare Medico ſervili nota quaſi ſtigmate inuſto. Conf. *Weſterhov.* ad *Terent.* Andr. Act. III. Sc. II. ℣. 4. ita ut verbum imperare proprie ſumtum de aegro, non vero de

Medico adhibeatur. Qualia ad receptam L. XXVI. D. de Oper. Libert. lectionem vindicandam plerumque producuntur, ubi *Medicus libertus, quod putaret, ſi liberti ſui Medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturum, poſtulabat, ut ſequerentur ſeneque opus facerent.* Atqui quam varie Maximorum Virorum ingenia iſta Legis lectio jam dudum torſerit, monuiſſe ſufficiet, ſi duntaxat dixerim, quosdam multi nominis fuiſſe Viros, qui receptam lectionem a Legis ſenſu alieniſſimum judicarunt, & pro *imperantes* legendum cenſuerunt *parentes*, *impetrantes*, *implorantes*; ita ut ſenſus eſſet, *Cum Dominus libertorum etiam Medicus eſſet, quod putaret ſe tanto plures habiturum imperantes, id eſt, opem ipſius implorantes, ſi liberti ſui non eſſent Medici, nam ad illos etiam aegroti accedebant, ut ab ipſis curarentur, qui forte ad illum accediſſent, non ad libertos, ſi illi Medici non fuiſſent* Alii, ut *Perron.* Lib. I. Var. Lect. Cap. XXVIII. ap. Cl. *Ott.* Tom. I. Thes. Jur. pag. 628. ſi lectionem imperantes ſervent, illud verbum ullo abſque dubio ad Medicos Imperatores, nequaquam autem ad aegros pertinere ducunt. Quidquid vero de hac Legis lectione ſentiendum ſit, meam non interpono criſin, ſed illud potius Maſculae Jurisprudentiae cultoribus, qui in hiſce caſtris ſunt verſatio-

ſatiores, relinquo. Nuperrime hanc provinciam ſuſcepit Vir Eruditus atque nequaquam plebeji ſaporis, amicus mihi praetextatis ab annis conjunctiſſimus, *All. Rud. van Waay*, qui in nervoſe conſcripta Diſſertatione ad L. XXVI. ח de Operis Libertorum, plurimorum Eruditorum ſententias circa illius Legis lectionem examinavit, & Florentinam hodieque vulgo receptam lectionem egregiis ſolidiſque argumentis tueri conatus fuit. Conſequentia vero inde deducta, optarem, ut mihi quoque ita arrideret: quare hac vice ab amici mei ſententia, quam caeteroquin magni facere ſoleo, quaſi invitus paululum diſcedere cogor, ſalvis nihilominus amicitiae vinculis. Vir enim Doctus hanc locutionem ita torquere adniſus fuerat, ut inde ſervilis Medicorum conditio probaretur. Quod autem ad pauca illa attinet loca, unde illud deducitur, illis facillime centena alia loca opponere poſſemus, in quibus propria locutione de Medicis dicitur Imperare, Jubere, Praecipere. Ex quibus hoc loco pauca quaedam delibare non ingratum fore credo: ita ap. *Cicer*. Lib. II. de Divinat. Cap. LXIV. *Si quis Medicus aegroto imperet, ut ſumat. Terent*. in Andr. Act. III. Sc. II. ℣. 10.

Non imperabat coram, quid opus facto eſſet puerperae.

& apud Medicorum Ciceronem *Celſ.* Lib. III. Cap. VI. habetur, *Imperare famem, ſitim, vigiliamque.* Cap. XXI. *Imperare quietem.* Lib. VII. Cap. XX. *Imperare abſtinentiam. Gell.* Lib. XVI. Noct. Att. Cap. III. *Imperata inedia. Cael. Aurel.* Lib. I. Morb. Chron. Cap. IV. *Aſclepiades imperat phlebotomari. Symmach.* Lib. VI. Ep. XVIII. *Medicorum coactu imperata curatio.* Unde & idem *Symm.* Lib. X. Ep. X. eleganter ita ſcribit: *Solent enim qui Medicinam callent, cum jam forte uſu in magiſterium provehuntur, ac fiunt emeriti officii, proximis imperare, & feriata manu curationem juvare praeceptis.* Tali ſenſu hoc verbum imperare etiam reperitur ap. *Macrob.* Lib. I. in Somn. Scip. Cap. VI. & *Plin. Valer.* Lib. IV. de Re Med. Cap. II. & XXVII. Sic imperare & jubere tanquam Synonyma junguntur ap. *Terent.* in Andr. Act. III. Sc. III. ℣. 3.

Nunc primum fac, iſtaec ut lavet: poſt deinde,
Quod juſſi ei dare bibere, & quantum imperavi,
Date.

Unde juſſa Medicorum ap. *Ovid.* Ep. XX. Heroid. ℣. 133. *Martial.* Lib. II. Epig. XL. ℣. 7.

Om-

Omnes Tongilium Medici juſſere lavari.

Qui plura deſiderat, evolvat *Colum.* Lib. VI. de Re Ruſt. Cap. V. & XIV. *Scrib. Larg.* Comp. XCVII. *Plin.* Lib. XX. H. N. Cap. IV. & XXII. *Apulej.* Lib. III. Florid. pag. 364. Edit. *Elmenh. Cael. Aurel.* Lib. I Morb. Acut. Cap. XV. & *Plin. Valer.* Lib. IV. de Re Med. Cap. XXIX. Tandem Medici praecipere dicuntur ap. *Cels.* Lib. II. Cap. XIV. Lib. III. Cap. VI. & Lib. VII. Cap. VII. & *Colum.* Lib. VI. de R. R. Cap. XII. Hinc Medicorum praecepta ap. eund. *Colum.* Lib. I. Cap. I. *Senec.* Epiſt. XCV. *Plin.* Lib. XXVI. H. N. Cap. II. & *Quintil.* Lib. XII. Inſtit. Orat. Cap. XI. Quae praecepta & hodie vulgo *Ordinantien* audiunt; quo ita alludit *Owenus* Lib. I. Epigr. LIII.

Ordonner *Medicos, aegros* Or donner *oportet,*
Alterius ſic res altera poſcit opem.

Conf. *Du Cange* in Gloſſar. Med. & Infim. Latin. in Voce *Imperare.* Merito igitur imperare & jubere propria Medicis verba docuit noſtri ſeculi Decus Clar. *Burm.* ad *Petron.* Cap. LVI. Cui adjungi poteſt *Cellar.* ad *Plin.* Paneg. Cap. XXII. §. 3. Quemadmodum vero huc uſque vidimus propriam hanc apud

Romanos de Medicis fuiſſe locutionem, ita quoque idem dicendi genus obtinuit apud Graecos, quibus uſitata de Medicis verba fuere, διατάττειν, προστάττειν, συντάττειν, & ſimilia. Vid. *Hippocr.* de Natur. Puer. Tom. I. pag. 136. *AElian.* Lib II. Var. Hiſt. Cap. XXXVII. *Athen.* Lib. X. Cap. VII. *Galen.* Lib. I. de Sanit. Tuend. Cap. VIII. & *Herod.* Lib. I. Cap. XII. Conf. *Caſaub* ad *Perſ.* Sat. III. ℣. 90. Hinc igitur tantum abſuit, ut Commentatoribus ad *Senec.* Lib. VI. de Benef. Cap. XVI. lectio, qua *aegri* dicuntur *imperare Medicis*, placuerit, cum multo potiori jure Medico quam aegroto imperium convenire optime intellexiſſent, ut continuo annotent hunc locum aliqua indigere emendatione. Haec *Senecae* ſunt verba: *Itaque Medico, qui nihil amplius quam manum tangit, & me inter eos, quos perambulat, ponit, ſine ullo affectu facienda vitandave praecipiens, nihil amplius debeo: quia me non tanquam amicum vidit, ſed tanquam imperatorem.* Nam verba imperare & jubere Medicis ſint propria atque uſitatiora; unde idem *Senec.* Lib. I. de Ira Cap. XVI ita locutus fuit: *Si intraſſem valetudinarium exercitatus & ſciens, aut domum divitis, non idem imperaſſem omnibus, per diverſa aegrotantibus.* Ideoque *Ant. Muretus* pro *Non tanquam amicum, ſed tanquam imperato-*

rem

rem legere mavult cum *Dalec.* ad eund. loc. *Non tanquam amicus ſed tanquam imperator.* Ita ut iſta verba non ad aegrum, ſed ad Medicum eſſent referenda; nam rationi convenire negat, quod aegroti Medicis, quorum utuntur opera, dicerentur imperare. Quin imo Medicos iſtos, qui ſuae nobilitatis adeo obliti, ut mancipiorum ritu aegris magis parere & obſequi quam imperare malint, indignos Medici nomine habendos aſſerit *Valleriol.* Lib. VI. Enarrat. Med. Cap. IV. Caeterum *Mureti* ſententiam amplexus fuit *Perron.* Lib. I. Animadv. Cap. XXVIII. ap Clar. *Ott.* Tom. I. Thes. Jur. pag. 628. Qui ex ipſis *Senecae* verbis concludit Medicum, nequaquam vero aegrum, dici debere Imperatorem, nam Medicus ibi traditur *facienda vitandave praecipere.* Adeoque *Salmas.* ad *Spart.* in Adrian. Cap. III. ex *Seneca* atque *Alpheno* falſo argutatos pronuntiat, qui aegros eſſe ac dici Medicorum Imperatores ſtatuunt. Similiter *Jo. Opſopeus* in ſuis ad *Senec.* Collect. nunquam ſibi ſatisfeciſſe ait, vocem *imperatorem*, quare ita ſcribit: *Nec credere poſſum aegros a Seneca imperatores Medicorum nominari, quos alibi Medicorum genua tangere dicit,* (ut de Brevit. Vitae Cap. VIII.) *& ſi ita eſſet, aeque id nominis amico aegro competeret atque cuivis alii, & jaceret omnino auctoris ſen-*

tentia. Inquirit igitur, an non legi debeat: *Qui me non tanquam amicum, ſed tanquam intemperantem vidit.* Quia *aegri intemperantes* vocantur a *Senec.* de Conſtant. Sapient. Cap. XIII. Praeterea eodem modo *Ferd. Pincianus* in Doctiſſ. ad *Senec.* Caſtigat. licet in omnibus, quae viderit, exemplaribus verbum imperatorem haberi dicat, minime tamen aſſentitur, ſed alterutro ex duobus modis corrigendum eſſe ſtatuit, vel ſic, *Quia me non tanquam amicum vidit, ſed invocatorem.* Nam *invocare Medicum* plerumque *Senec.* ponit pro *accerſere Medicum*, ut paulo poſt: *In turba multorum invocantium ego illi potiſſima cura fui.* Aut certe legendum putat: *Emptorem* pro *imperatorem*, ex verbis *Ciceronis*, quae mox addit; *Non quia pluris eſt, quod vendiderunt, quam emimus.* *Juretus* vero pro *imperatorem* legendum cenſuit *imploratorem*, cum quo ſtare veritus non fuit *Jugeus*. Quicquid ſit, hi Doctiſſimi Viri, qui in *Seneca* repurgando, corrigendo & explanando tam multum impenderunt operis & laboris, etiam probe intellexerunt, hanc non propriam eſſe aegrorum erga Medicos locutionem; quippe potius Medicorum opem implorare dicuntur ap. *Scrib. Larg.* in Ep. ad C Jul. Calliſt. pag. 2. Imo maxima cum veneratione, ſimulac intelligant periculum adeſſe, Medicorum auxilia petere ferun-

feruntur ap. *Epictetum*, qui ita loquutus fuit: *Si quis ſenex vivat, Deos accuſat, quod tam diu fatigetur, cum mori jam diu debuerit. At, ſi mors advenit, vitam deſiderat, Medicum acceſſit, & orat ſubmiſſe nihil omittere induſtriae in medendo.* Quin imo per genua tunc obſecrare & rogare dicuntur a *Senec.* de Brevit. Vitae Cap. VIII. *At eosdem aegros vide, ſi mortis periculum admotum eſt proprius, Medicorum genua tangentes.* Recte igitur aegri ſe in poteſtatem Medicorum tradere dicuntur ap. *Hipp.* in Med. Tom. I. pag. 45. *Non exigua autem commercia aegris cum Medico ſunt. Nam ſeipſos Medicis ſubditos faciunt, & omni hora uxoribus, virginibus, & opibus maximi pretii illi occurrunt.* Sic quoque ſe Medicis *credere* feruntur ap. *Quintil.* Decl. VIII. Cap. XV. & *Committere* eod. loco Cap. V. Unde Cel. *Burm.* ad Cap. IV. iſtius Decl. monet, proprium aegrorum eſſe verbum *credere.* Porro ita aperte Medici in aegrum extollit imperium *Plin.* Lib. XXIV. H. N. Cap. I. ſcribens eos *Imperatoribus imperare.* Unde aegris tanquam Duces militibus & Reges ſubditis imperaſſe dicuntur a *Zacch.* Quaeſt. Med. Leg. Lib. VI. Tit. III. Quaeſt. IV. §. 12. Quod confirmat *Galen.* Lib. I. Meth. Med. Cap. I. ubi verba adverſus Medicos adulatores faciens & iſtos Pſeudomedicos objurgans, poſt plu-

plura ſic loquitur: *Eoque jure ſit, ut cum aegrotare coeperint, Medicos advocent, non quidem optimos, utpote quos per ſanitatem noſcere nunquam ſtuduerunt, ſed eos, quos maxime familiares habent, quique ipſis maxime adulantur: qui & frigidam dabunt, ſi hanc popoſcerint, & lavabunt, cum juſſerint, & nivem vinumque porrigent: poſtremo quicquid jubebitur, mancipiorum ritu facient, contra, quam veteres illi Medici ab AEſculapio oriundi, qui, tanquam Duces militibus, & Reges ſubditis, imperare aegris voluerunt, nequaquam vero Getarum, & Tibiorum, & Phrygum, & Thracum emptitiorum ritu, parere, atque obſequi. Itaque, non qui melius Artem callet, ſed qui adulari aptius novit, apud iſtos magis in pretio eſt: huicque omnia plana, perviaque ſunt: huic aedium fores patent: hic brevi efficitur dives, plurimumque poteſt.* Atque ſic intelligendus eſt *Plato*, qui ad illud imperium Medicorum in aegros reſpiciens Lib. I de Repub. pag. 307. dixit: *In confeſſo omnibus eſt, verum Medicum corporum eſſe Principem.* uti apertius ipſe indicat in Lib. de Regno pag. 539. *Exiſtimare vero eos civiles, ac regios homines oportet, qui Arte quadam imperant volentibus ac nolentibus ſecundum ſcripta; nam & Medicos ſic appellamus ſive invitis, ſive volentibus, ſecando, aut urendo, aut aliter affligendo, ſcriptis, aut ex uſu curent, dummodo qui*

qui curant ad bonum corporis reſpicientes, ex deteriori habitudine in meliorem reſtituant, ac ſervent. Et a *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. *Imperatores vitae ac necis* vocantur. Eleganter quoque hanc in rem facit locus *Caſſiod.* Lib. VI. Var. Ep. XIX. *Indulge te Palatio noſtro, habeto fiduciam ingrediendi, quae magnis ſolent pretiis comparari; nam licet alii ſubjecto jure ſerviant, tu rerum Domino ſtudio praeſtanti obſerva. Fas eſt tibi, nos fatigare jejuniis: fas eſt contra noſtrum ſentire deſiderium, & in locum beneficii dictare, quod nos ad gaudia ſalutis excruciet. Talem tibi denique licentiam noſtri eſſe cognoſcis, qualem nos habere non probamur in caeteros.* Nec non ea, quae exhibentur ap. *Lucian.* in Med. Abdic. pag. 457. egregie huc pertinent: *Atqui medendi Ars quanto eſt honoratior, vitaeque conducibilior, tanto convenit eſſe liberiores, qui hac utuntur: ac juſtum eſt, ut Ars aliquo gaudeat privilegio in exercendi facultate, ut neque cogatur uſquam, neque ferat imperium, res ſacra, deorum doctrina, virorum eruditorum cura: neque in ſervitem trahatur legis: neque timori poenisque tribunalium, neque calculis ac patris minis & indocti hominis irae ſit obnoxia.* Paucis interjectis, *Siquidem iſtiusmodi officia blanditiis precibusque, ni fallor, non legibus, ira, judiciis convenit elicere: perſuadere Medico oportet*

tet, non jubere, ut velit, non ut metuat: neque ad ſanandum adigendus eſt, ſed ultro ac lubens accedat, oportet. Ac revera quae ſpes ſanitatis aegrotantibus, ſi non per omnia Medicis obtemperent? Quam tuta navigatio, ſi nautae gubernatoris juſſa non pareant? AEger etenim, ſi curari deſideret, Medico certe obediens eſſe debet, uti teſtatur *Aët. Tetrab.* Lib. II. Serm. I. Cap. I. Ita quoque Philippus Acarnan Alexandrum M. hortatus fuit, bono, ſi curari velit, eſſe animo & ſibi obſequi, ap. *Plut.* in Alex. M. Cap. XXXI. Ipſa quotidiana experientia ſaepe demonſtrat, quod morbi periculoſi multos occidant aegrotos Medicis morem haud gerentes; unde *Senec.* Epiſt. CXXIV. dicit: *Nullam habet ſalutis ſpem aeger, ubi ad intemperantiam Medicus hortatur.* Pluribus hanc locutionem Medicis etiam vindicavit *G. a Reies* Elys. Camp. Quaeſt. VIII lectionem tum L. XXVI. D. de Oper. Libert. cum loci *Senec.* Lib. VI. de Benef. Cap. XVI. examinans. Cui adjungas licet *Briſſon.* de Verb. Signif. in Voce *Imperare.* Tandem addo, quod *Laurent.* de Med. & Baln. Cap. I. ap. *Gron.* IX. Thes. Ant. Graec. pag. 627. obſervet hinc AEſculapium ſcipionem tenere, ut imperium in aegrotos notaret. Illud tamen, antequam iſtud Medicorum imperium miſſum facio, obiter ano-

notare non detrecto, aegros aliquando per impatientiam Medicis imperare, & contra Medicos miſeris iſtis hominibus plura indulgere; quippe non mirum eſt, morbo oppreſſos atque victos imperioſius Medicos ſaepius alloqui: quo in caſu patienter Medicus ſe tunc gerere debet, ubi praeſertim gravi morbo cruciantur aegrotantes, ſiquidem afflictis afflictio non eſt addenda, permittendumque, ut morbo devicti, doloribus impatientes, morte territi, cum de vita migrare & hanc ſuavem derelinquere auram timeant, adverſus ſemetipſos iraſcantur, ac importuna importune & imperioſe loquantur. Quo tempore tale imperium nullum Medicis detrimentum adfert; at contra talis obſequioſus Medicus ea de re a *Seneca* cum Sapiente comparatur in Lib. de Conſtant. Sapient. Cap. XIII. *Quis enim Phrenetico Medicus iraſcitur? Quis febricitantis, & frigida prohibiti maledicta, in malam partem accipit? Hunc affectum adverſus omnes habet Sapiens, quem adverſus aegros ſuos Medicus: quorum nec obſcoena, ſi remedio egent, contractare, nec reliquias & effuſa intueri dedignantur, nec per furorem ſaevientium excipere convicia. Scit ſapiens, omnes hos qui togati purpuratique incedunt, valentes coloratosque, male ſanos eſſe, quos non aliter videt, quam aegros intemperantes. Itaque ne ſuccenſet quidem, ſi quid in morbo petulantius auſi ſunt adverſus*

me-

medentem: & quo animo honores eorum nihil aeſtimat, eodem parum honorifice facta. Praeterea quid mirum, ſi aeger Medico amico ſuo & familiari leniter imperet, an inde deduci poſſet, quod imperare de aegris dicatur, imperium in Medicos homines ſervilis conditionis habentibus: certe ridiculius eſt, quam ut reſponſioni vacemus; nam Medicus tali in caſu humanitatis ergo ſeſe aegro amico obſequioſum praebet, nequaquam tamen ſervit. Alicui enim obſequi aut ſervire toto coelo differunt, cum *obſequi* verbum ſit humanitatis; *ſervire* vero muneris. Ideoque aeger Medico familiari amico leniter praecipit, ut amico, non vero ut ſervo. V. Gr. *Explora, ſi placeat, arteriae pulſum*, aut ſimile quid. Quali in ſenſu haec locutio admitti poteſt; vel etiam ſi intelligatur de Medicis Chirurgis, qui plerumque ſervi erant, non vero de Medicis Clinicis, quemadmodum hanc locutionem etiam expoſuit *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 21.

IV. Deinde alii, qui in Medicis cavillandis ſtudium poſuerunt, Medicinam artem vilem, minus honeſtam, atque abjectam probare adniſi fuerunt ex loco *Virg.* Lib. XII. AEn. ℣. 395.

Ille, ut depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum uſumque medendi

Ma-

Maluit, & mutas *agitare* inglorius *artes.*
Concedimus quidem cum *Barth.* Lib XIX. Advers. Cap. XIV. ſaepius a poëtis res ignobiles, abjectas, nulliusque pretii modo mutas, modo ſurdas vocatas fuiſſe: atqui ex citatis *Virgilii* verbis, ſi juſta trutina ponderentur, comperiemus nihil tale quicquam in noſtrae Artis vilipendium deduci poſſe: quare etiam diverſi Viri Docti iſtum locum exponere aggreſſi fuerunt non tantum ut Medicinam & Medicos ab hac vindicarent accuſatione, ſed potius ut *Virgilio* manum porrigerent, & eundem tuerentur, qui *Homeri* ſemper ſequutus veſtigia nunc videretur ab illo valde diſſentire, quippe *Homer.* Medicum ita extollit, ut hominum nullum voluerit illi praeponere; nam ita ſcribit Il. Λ. ỳ. 514.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Medicus enim vir multis aequiparandus aliis.

& Odyſſ. Δ. ỳ. 231.

Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων Ἀνθρώπων.

Medicus vero unusquisque peritus ſupra omnes Homines.

V. Quidam igitur haec verba ita explicant ac ſi Virgilius mutam vocaverit Artem Medicinam, quia tota conſiſtit in operationibus ac remediis, non vero in ſermonibus ac eloquentia, cum morbi non verbis, ſed herbis curentur; unde *Hipp.* ita loquitur in Lib. de Decent. Ornat Tom. I. pag. 57. §. 9. *Pleraque enim non ratiocinatione, ſed auxilio rerum opus habent.* A quo *Celſus* edoctus in Praef. Lib. I. ita ait: *Morbos autem non eloquentia, ſed remediis curari.* Quare juxta *Menandrum*

Ἰητρὸς ἀδολέσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος.

Medicus loquax ſecundus aegro morbus eſt.

Lucian quoque hunc in modum verba facit in Hipp. pag. 846. *Quippe aegrotus, cui quidem pectus ſapit, non eos accerſit Medicos, qui ſuper arte multa luculente & excellenter diſputare noverunt, ſed qui uſu medendi illam diu multumque exercuerunt.* Hinc etiam ap. *Barth.* Lib. XXIV. Advers. Cap. IX. eſt proverbium, quod Muſicus ad aegrum periculo eripiendum non ſit ducendus, ſed Medicus. Caeterum quemadmodum *Medicina*, ita quoque *ars pingendi*, quia res ipſas ſine loquela exprimit, *muta* vocatur a *Cicer.* Lib. III. de Orat. Cap. VII. Etiam *Libri* dicuntur *muti magiſtri* a *Gell.*

Lib

Lib. XIV. Cap. II. Quod loquendo nunquam, tamen doceant perpetuo, auctorum judicia prodant, & doctrinarum dulciſſimum nectar libandum offerant, vivaeque vocis praeceptorum loco continuo ſuppleant defectum.

VI. Alii autem aliam amplexi fuerunt ſententiam, atque aſſerunt *Virgilium* Medicinam comparaſſe Poëſi, Vaticinio & Muſicae, cum ita canit ℣. 391.

Jamque aderat Phoebo ante alios dilectus Japyx
Jaſides: acri quondam cui captus amore
Ipſe ſuas artes, ſua munera, laetus Apollo
Augurium, citharamque dabat, celereſque ſagittas.
Ille ut depoſiti . . . .

Ergo reſpectu Muſicae, quae tota ſonora & voce exercetur, *muta* dicitur. *Inglorius* vero reſpectu poëtarum vatumque; poëtae enim nomini immortalitatem conciliant, unde *Ovid.* Lib. III. Art. Amat. ℣. 403.

Quid petitur ſacris, niſi tantum fama, Poëtis?
Hoc votum noſtri ſumma laboris habet.
Cura Deum fuerant olim Regumque Poëtae:

Praemiaque antiqui magna tulere chori.
Sanctaque majeſtas, & erat venerabile no-
men
Vatibus: & largae ſaepe dabantur opes.

Augures autem quam magnae olim religioni atque reverentiae habebantur, docet *Alex. ab Alex.* Lib. V. Cap. XIX.

VII. Attamen multo magis rem acu tetigiſſe videntur illi, qui ex his verbis:

Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi
Maluit. . . . .

Concludunt *Virgilium* ſolummodo locutum eſſe de Medicina Empyrica, vel Chirurgica, non vero de Medicina Ratiocinali vel Clinica; quod ipſe *Virg* indicare videtur ℣. 403.

Multa manu Medica, Phoebique potentibus
herbis,
Nequidquam trepidat, nequidquam ſpicula
dextra
Sollicitat, prenſatque tenaci forcipe ferrum.

Ita ut merito dixerit:

- - - - *Mutas agitare inglorius artes.*

Nam

Nam *Ars* tunc *muta* dicitur, quia duntaxat conſiſtit in ſimplici operatione vel remediis nullo judicio conquiſitis. Si vero reſpectu hodiernorum Empyricorum ac Chirurgorum Medicinam Artem Mutam vocare vellemus, certe non liceret, quippe quo hodie talis quis ſit indoctior, eo eſt loquacior atque garrulior; imo plurimi revera ut inania vaſa maxime tinniunt. Ideoque nulla in re adeo verum exiſtimo, quam in iſtis Medicis, vulgare illud dictum: *Mundus, qui decipi amat & ambit, regitur opinionibus, & univerſus orbis exercet hiſtrionem.* Porro *Inglorius* dicitur, quod non ſequutus ſit gloriam ſcientiae ipſius Medicinae, ſed Empyricae, quae per ſe ſine gloria eſt, cum nullius ſcientiae principiis innixa omni gloria diſtituatur: quod certe veroſimile ac veritati apprime conſentaneum eſt ſibi voluiſſe *Virgilium*, cum introducat Medicum manu operantem vulnusque curantem; quales Medicos conſtat plerumque eſſe Empyricos. Latius autem de hoc *Virgilii* loco egerunt *Serv.* & *La Cerda* ad *Virg.* L. L. *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXXI. §. 415. *Rod. a Caſtro* Lib. I. Med. Polit. Cap. XII. *Mercur.* Lib. III. Var. Lect. Cap. XIII. *Hippol. Obic.* de Nobil. Med. pag. 99. *Laur.* de Med. & Baln. Cap. I. ap. *Gron.* Tom. IX. Ant. Graec. pag. 626. *Salmas.* in Prol. Homon-

mon. Hyl. Jatr. pag. 13. *Zacch.* Quaeſt. Med. Leg. Lib. VI. Tit. III. Quaeſt. IV. §. 21. *G. a Reies.* Elys. Camp. Quaeſt. VII. §. 18. & *Borrem.* Var. Lect. Cap. XV.

VIII. At licet haec ultima explicatio videatur optima, non ceſſant tamen Clariſſima ingenia aliquid novi indagare, ut in re difficili aliis ulterius progrediendi via aperiatur. Quare *Meibom.* ad Jusjur. Hipp. Cap. XIX. §. 20. & qui eum ſecutus fuit *Fromm.* de Faſcin. pag. 348. in aliam fertur ſententiam, aſſeritque Virgilium ideo *mutam* vocaſſe Medicinam, quod taciturnum Medicum eſſe oporteat, & inprimis ſilentio ea premere, quae ab aegris ipſi concreduntur, & quae ſecreta illi eſſe cupiunt. Quae ſententia eo potiſſimum nititur, quod Hippocrates Medicum futurum jurejurando adegerit, ut non minus ea, quae in vita communi, quam Artem factitando ſive viderit, ſive audiverit, tacita habeat, uti *ſup.* Sect. I. Cap. I. §. 16. vidimus.

CA-

Caput VII.

Romani ipſi Medicinam fecerunt, & inter Artes Liberales eam Scientiam habuerunt.

I. Faceſſite ergo ab hinc roſores atque oſores Artis Nobiliſſimae, ex inevitabili neceſſitate prognatae ac nobilitatae, absque ratione ultra verum adſirmantes, Medicos omnes apud Romanos ſervos fuiſſe, cujus contrarium ex exemplis datis in catalogo eorum, quibus Medicina in deliciis fuit, jam patuit: omnes etenim ſi Medicos Romanos, qui vigente imperio floruerunt, in ſcenam producere vellem, ubi mihi finis eſſet? Nam ita praeter AEmilium Macrum, Julium Baſſum, Sextium Nigrum, Corn. Celſum, Petronium, Scrib. Largum, Seren. Sammonicum &c. nobis ap. *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. occurrunt *Mulſi*, *Caſſii*, *Calpitani*, *Arruntii*, *Albutii*, *Rubrii*; qui omnes ex inſignibus Romanorum familiis fortaſſe nati creduntur a *Mars. Cagnat.* Lib. II. Var. Obſerv. Cap. XV. ap. *Gruter.* Tom. III. Thes. Crit. pag. 548. & *Clercq* Hiſt. Med. Part. III. Lib. I. Cap. III. Nec non nobiliſſimas familias Populo Romano Medicos dediſſe inſignes, prae-

ter laudatum Plinii locum & jamjam mem
ratos Medicos etiam clare conſtare videtur
eo, quod in Nummis Rubriorum conſpic
tur anguis, Deae Salutis ſignum, certum
ut *Mead* ſuſpicatur, indicium familiae ſi
Medicinae laudem vindicantis, in Orat. Anni
Harvij. pag. 16 Qui & in Diſſ. de Numm
a Smyrn. in Medic. honor. percuſſis pag. 4
& 66. oſtendit, familiam Rubriorum Me
dicinae profeſſione ita celebrem fuiſſe, ut
Nummis illius familiae exhibeatur AEſcul
pii ab Epidauro ſub Draconis forma advectio
qualis Nummi effigiem exhibet in Tab. II
n 15. De familia Calpurniorum id docer
poteſt inſcriptio ap *Grut*. Pag. CCCXXXIV. 1
12. D Arruntiorum vero familia illud colligimu
ex lapide, in quo forte prioris Arruntii, quem
Plin. L. L. inter celeberrimos Medicos ponit
nepos aut filius memoratur, docente *Reine*.
Epiſt. XLVI. ad Rupertum pag. 396. La
pis ipſe exhibetur ap. *Reines*. Cl. XI. Inſcr. 3

L. ARRUNTIO
SEMPRONIANO
ASCLEPIADI
IMP. DOMITIANI
MEDICO. T. F. J
IN. FRONTE. P. XX. IN. AG. P. XX.

Vox

Vox enim Aſclepiades hic aeque, ac *ſup*. Cap. IV. §. 14. ad aliam monuimus Inſcriptionem, non deſignat Perſonam, ſed Sectam, cui ille Arruntius addictus fuerit. Caeterum ita quoque quidam L. Arruntius memoratur a *Plinio* in Indice inter ſcriptores, qui ſibi profuerunt in condendo Lib. XVIII. ubi de Agricultura agit: cujus etiam mentionem facit *Senec.* in Praef. Lib. III. Controv. Tandem alicujus D. Sempronii Jucundi Medici memoriam ſervat Inſcriptio ap. *Grut*. Pag. DCXXXV. n. 2.

II Quippe plures mihi animus non fert in medium proferre Romanos, qui Medicinam exercuerunt, ſic enim praetereo Antonium Caſtorem, Caecilium, C. Rabirium, C. Valgium, Camelum vel Cameliun, Granium, J. Atticum, L. Tuſcium Vallam, Nigrum Atticum, Ophilium ſive Opilium, Papyrium Fabianum, Rhemnium Favinum, Valerium Paulinum, pluresqne alios. Qui omnes non tantum priorum Imperatorum tempore Romae Medicinam fecerunt, verum etiam nativitate ipſa Romani fuerunt, ſicuti intelligimus ex *Mars. Cagnat*. Lib. II. Var. Obſerv. Cap. XV. ap. *Grut*. Tom. III. Thes. Crit. pag. 548. *Barth*. Lib. XXXVIII. Advers. Cap. III. *Salm*. Exerc. Plin. Tom. II pag. 897. & ex illis, quae in notula ad *Plinii* in-

dicem annotat *Fabrit*. Lib. II. Bibl. Lat. Cap. XIII. Caeterum ipſis ex Romanis aliquos Medicinam feciſſe etiam apparet ex his *Plinii* verbis, quae habentur Lib. XXIX. H. N. Cap. I. *Solam hanc artium Graecarum nondum exercet Romana gravitas, pauciſſimi Quiritium attigere, & ipſi ſtatim ad Graecos transfugae*. Quirites enim nonne Romani dicebantur? Igitur Romanorum aliqui, *Plinio* auctore, Medicinam attigerunt. Pauciſſimos autem *Plinius* dixit, quia ſi Graecorum conferantur numero, pauciſſimi fuerunt; nam quos in praecedentibus commemoravimus, multi videri nequeunt. Ad Graecos etiam dixit transfugas, quia Sextius Niger & Julius Baſſus, quamvis eſſent Romani, Graece tamen de Medicina ſcripſerunt. Quod factum videtur, quia tunc temporis Romae Medicina a Graecis docebatur, unde probabile eſt rem inter Medicos Graece tractari plerumque conſueviſſe; quare & *Celſi* Latinum volumen Graecis refertum vocabulis videmus, & alias conſtat Graecum in urbe ſermonem valde plerisque familiarem fuiſſe. Conf. quae *ſup*. Cap. IV. § 14. reperiuntur.

III. Praeterea jam ante J. Caeſaris tempora Medicos non omnes ſervos, ſed etiam homines liberos fuiſſe concluditur ex eo, quod Caeſar a *Suet*. in Ejus Vita Cap. XLII. di-

catur:

catur: *Omnes Medicinam Romae profeſſos & Liberalium Artium Doctores, quo libentius & ipſi urbem incolerent & caeteri appeterent, civitate donaſſe.* Ex quo loco planum fit Medicos omnes Romae non fuiſſe ſervos: nam omnes, ſi vel ſervi vel mancipia fuiſſent, illorum domini ſine ullo dubio conqueſturi esſent, quod Caeſar aliorum ſervos & libertate & civitate donaſſet: & quoniam nemo, qui in ſervitute erat, poterat civis Romanus fieri; neceſſe itaque erat, ut ſit prius liber, antequam civis, veluti Eruditorum Princeps *Caſaubon.* docet ad *Suet.* in Caes. Cap. IV. ubi dicit: *Nimia eſt ſtultitia vel ſuſpicari, id beneficium in ſervos fuiſſe collatum.* Efficitur itaque his rationibus Medicos fuiſſe homines liberos, cum eos Caeſar civitate donaverit. Atque ita *J. Laurent.* in Sched. de Medic. & Baln. Cap. I. ap. *Gron.* Tom. IX. Thes Ant. Graec. pag 625. & *Faber* in Thes. Erudit. Schol. in Voce *Medicus* aſſerunt, Robortellum ejusque ſequaces omnino a veritate receſſiſſe, ſi dicant Medicinam Romae tantum Artem illiberalem ac minus honeſtam fuiſſe.

IV. Quippe Medicinam inter Artes Liberaliſſimas repoſuit *Seneca* in Epiſt. XCV. *Adjice nunc, quod artes quoque pleraeque, imo ex omnibus Liberaliſſimae habent decreta ſua,*

non

non tantum praecepta: ſicut Medicina. Int... Artes Optimas id. *Seneca* Lib. VI. de B... nef. Cap XVII. collocavit. Nec non *Plu...* in Lib. de Bona Valetud. Tuend. Cap. II eam ſic eſſe, dixit, de numero diſciplinaru... Liberalium, *ut nulla nitore, copia, jucunditat... que ſit inferior.* Hinc dixit *A. Gell.* Lib. XVIII Noct. Att. Cap. X. *Exiſtimavi non Medi... ſoli, ſed omnibus quoque hominibus liberis, li... beraliterque inſtitutis turpe eſſe.* Sic quoqu... ipſe Eloquentiae Pater *Cicero*, cum prim... Artes Sordidas enumeraſſet, Medicinam de... inde Artibus Honeſtis cooptavit, Lib. I. d... Off. Cap. XLII. *Quibus autem artibus au... prudentia major ineſt, aut non mediocris utilita... quaeritur, ut Medicina, ut Architectura, u... doctrina rerum honeſtarum, hae ſunt iis, quo... rum ordini conveniunt, honeſtae.* & eod. Lib... Cap. XVIII. Medicos cum Imperatoribus at... que Oratoribus junxit; quin imo alibi Medicinam non ſolum exiſtimat Artem Liberalem,... verum etiam homini dignam Nobili. Quod *Ovidius* confirmat Ep. V. Her. ℣. 145. Medicina quoque Ars Libera nominatur ab *Hip... pocr.* in Ep. ad. S. P. Q. Abder. Tom. II. pag. 904. Egregie huc etiam pertinent, quae reperiuntur ap. *Galen.* Suaſor. ad Art. Orat. Cap. ult. circa finem, cujus haec ſunt verba: *Cum artium igitur duo prima genera ſint, aliae*

no-

nobiles, quae in munere animi poſitae ſunt, quas liberales vocant: aliae ignobiles, quae labore corporis tractantur, quas mechanicas appellant, ſatius exiſtimare debetis, ſi vos primo genere electo, aliquam ex liberalibus diſcatis: aliae enim deſerere artificem in ſenectute ſolent. In primo genere ſunt Medicina, Rhetorica, Muſica, Geometria, Arithmetica, Computandi ſcientia, Aſtronomia, Grammatica, Legumque peritia: quibus adde, ſi placet Plaſticen, & Picturam: nam, & ſi utraque opificis manu tractatur, neutra tamen viribus juvenilis corporis eget. Caeterum ipſe JCtus Medicinam inter ſtudia Liberalia numerat in L. III. Cod. Theod. de Med. & Prof. ubi cauſam reddens, quare Medicis tot privilegia ac honores, de quibus *ſup.* Sect. II. Cap. VI. egimus, conceſſit, ita loquitur: *Quo facilius Liberalibus ſtudiis & memoratis artibus multos inſtituant.* Itaque merito Medici & Profeſſores conjunguntur ap. *Grut.* in Inſcript. Pag. XXXVIII. n. 14.

APOLLINI. SACRUM
Q. POSTHUM. HIGINUS. ET
POSTHUM. HERMES. LIB
MEDICIS. ET. PROFESSORIBUS
D. S. D.

Videatur etiam Inſcriptio, quae exhibetur Pag.

Pag. CXII. n. 3. Medici artium Liberalium Profeſſoribus etiam annumerantur ab *Herald.* Lib V. Anim. in Salm. Obſerv. ad Jus Att. & Rom. Cap. X. §. 2. Ac cauſa eorum eadem eſſe dicitur, quae eſt Profeſſorum in L. I. D. de Var. & Extraord. Cognit. Medicorum quoque cauſa eadem eſt, quae Profeſſorum, niſi quod juſtior, cum hi ſalutis hominum, illi ſtudiorum curam agant, & ideo his quoque extra ordinem jus dici debet. Ita ut ex hac Lege a quibusdam, veluti *Canonher.* Proleg. in *Hipp.* Aphor. pag. 9. colligitur Medicos Profeſſoribus Liberalium artium non tantum aequales, verum etiam praeponendos eſſe. His omnibus denique adhuc ſubjungam verba *Lucian.* in Med. Abdic. pag. 457. *Atqui medendi Ars quanto eſt honoratior, vitaeque conducibilior, tanto convenit eſſe liberiores qui hac utuntur: ac juſtum eſt, ut Ars aliqua gaudeat privilegio in exercendi facultate, ut neque cogatur uſquam, neque ferat imperium, res ſacra, Deorum doctrina, virorum eruditorum cura: neque in ſervitutem trahatur legis: neque timori poeniſque tribunalium, neque calculis a patris minis & indocti hominis irae ſit obnoxia.* Ad quem locum V. D. annotarunt Artem Medicam olim cum primis fuiſſe honorifi cam. Poſtremo inter ſtudia Liberalia Medicina ponitur a *Wouwer.* in Polymath. ap. *Gro*

Tom.

Tom. X. Thes. Ant. Graec. pag. 1016. *Hipp. Obic.* de Nobil. Med. pag. 71. *Catan.* ad *Plin.* Jun. Lib. I. Ep. X. & *Zacch.* Quaeſt. Med. Leg. Lib. VI. Tit. III. Quaeſt. IV. §. 20.

CAPUT VIII.

Diverſa argumenta, quibus Medicina a ſervitute liberatur.

I. Caeterum ad noſtram magis ſtabiliendam ſententiam multum facere videtur, quod Summi Principes ac Viri ab omni tempore arctiſſimam cum Medicis inierint amicitiam; quod, ſervi ſi fuiſſent, non feciſſent: quippe mihi perſuadere nequeo olim tantos Principes auctoritatis ſuae adeo negligentes fuiſſe, ut cum ſervis tam intimam contraherent amicitiam. Nam ita Medicos cum Regibus ſummam coluiſſe amicitiam patet ex exemplo Philippi, qui cum unus e numero Nobilium Medicorum Alexandri M. dicatur a *Curt.* Lib. III. Cap. VI. §. 1 *Plut.* in Alex. M. Cap. XXX. is a *D. Sic.* Lib. XVII. Cap. XXXI. *Arrian.* Lib. II. de Exped. Alex. Cap. IV. *Senec.* Lib. II. de Ira Cap. XXIII. & *Val. Max.* Lib. III. Cap. VIII. §. 6. traditur a Rege Alexandro in fideliſſimorum ordinem

dinem amicorum receptum fuiſſe. Sic quoqu
qui ap. *Plut.* in Caeſar. Cap. II. amicus Cae-
ſaris appellatur, is a *Suet.* in Ejus Vita Cap.
IV. eandem hiſtoriam referente, Medicus vo-
catur. Scio equidem quosdam V. D. ut pri-
mum *Robortel.* Annot. Cap. XXII. & deinde
Torren. ad *Suet.* L. L. pro *cum uno Medico*
legendum credidiſſe *cum uno amico.* Ete-
nim non veriſimile eſſe aſſerunt, ulli Medi-
co, cum ſervi illis temporibus eam Artem
exercerent, Romae eum honorem habitum,
ut inter Caeſaris amicos cenſeretur: atqui eos
erraſſe jam late docuit ad eundem locum &
ad Cap. XCI. in Aug. *Caſaub.* vir ſeculo ſuo
inter Litteratos facile princeps, qui ibi loci il-
lud ineptias ac vanitatem vocat, & ſe eorum
auctores nihil morari teſtatur. Vide quoque
ſi tanti ſit, *Land.* in Praeterm. ap. Clar. *Ott.*
in Tom III. Thes. Jur. pag. 1459. Porro
Olympus & familiaris & Medicus Cleopatrae
legitur ap. *Plut.* in Anton. Cap. CIV. Arto-
rius eodem modo Auguſti Medicus appellatur
a *Vell. Paterc.* Lib II Cap. LXX. §. 4. *Flor.*
Lib. IV. Cap. VII. §. 9. *Val. Max.* Lib. I.
Cap. VII. §. 1. & *Lactant.* Lib. II. Divin.
Inſtit. Cap. VII. quo a *Plut.* in Bruto Cap.
LX. & *Appian.* Lib. IV. de Bell. Civil. pag.
653. Auguſti amicus nominatur. Conf. *C.
Patin.* in Comm. ad Cenotaph. M. Artorio a

Smyr-

Smyrnens. poſitum pag. 439. Patav. A. MDCLXXXIX. 4to. Eudemus Medicus atque amicus Liviae Auguſti uxoris fuit, teſte *Tacit* Lib. IV. Ann. Cap. III. §. 6. Charicles Medicus, tanquam Tiberii familiaris deſcribitur ap. *Suet.* in Tiber. Cap. LXXII. & ap. *Tacit.* Lib. VI. Ann. Cap. L. ſic narrantem: *Erat medicus arte inſignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis ſolitus, conſilii tamen copiam praebere. Is velut propria ad negotia digrediens, & per ſpeciem officii manum complexus, pulſum venarum attigit. neque fefellit. nam Tiberius incertum an offenſus, tantoque magis iram premens, inſtaurari epulas jubet, diſcumbitque ultra ſolitum; quaſi honori abeuntis amici tribueret.* Adeo honorifice acceptus fuit ab Imperatore Romano vir iſtius profeſſionis, quam apud Romanos contemptiſſimam & nullo loco aut honore habitam fuiſſe adverſarii confingunt. Tandem *Cicero* Aſclepiade Medico amicoque uſus fuit, uti ipſe Lib. I. de Orat. Cap. XIV. refert. Tali modo de aliquo Aſclapone etiam Lib. XIII. ad Famil. Ep. XX. *Sulpitio* ſcribit: *Aſclapone Patrenſi, Medico utor valde familiariter, ejusque cum conſuetudo mihi jucunda fuit, tum etiam ars, quam ſum expertus in valetudine meorum. In qua mihi tum ipſa ſcientia, tum etiam fidelitate, benevolentiaque ſatisfecit. Hunc*

igitur tibi commendo: & a te peto, ut des operam, ut intelligat, diligenter me ſcripſiſſe de ſe, meamque commendationem uſui magno ſibi fuiſſe. Erit id mihi vehementer gratum. Quae ſane Conſuli Romano haud digna mihi videntur de Medico, ſi ſervus fuiſſet, ſcripta. Denique vero unde id factum fuerit, quod olim tanti viri cum Medicis tam arctam coluerint amicitiam, nos docet *Seneca* Lib. VI. de Benef. Cap. XVI. *Quid ergo? Quare Medico & praeceptori plùs quiddam debeo, nec adverſus illos mercede defungor? Quia ex Medico ac praeceptori in amicum tranſeunt, & nos non arte quam vendunt, obligant, ſed benigna & familiari voluntate.* Inſpice Clar. *Spon.* Miſcell. Erud. Ant. pag. 144. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib. I. Cap. II.

II. Ex hiſce igitur omnibus, L. H. ipſi judicate, an iſta jamjam memorata & inter ſe collata de Medicis ſervis intelligi poſſint; quod, quantum ad me pertineat, nullo modo fieri poſſe plane exiſtimabo, donec monitus, meliora ſequar. Nam ita quoque in Inſcriptionibus nullum ſervitutis ſignum video; at contra ex illis patet eos prima civitatis munera geſſiſſe: apud *Sert. Urſat.* enim aliquis Sextumvir Auguſtalis vocatur in Monum. Patav. pag. 70.

F

P. CHARM
SOSTHE
MEDIC
IIIIII. VIR. AUG
SIBI
ANCHAR.

Et apud *Gruter*. Inſcript. Pag. CDLXXXVIII. n. 11.

V. F
C. VIRIUS. VERUS
OUF. MED
VI. VIR. JUN
PONTIF. ET. DECUR
ITEM. MANIBUS FILIORUM
SUORUM
&c. &c.

Ferrariae quoque in aede ſacra majori in ſiniſtro latere in quadam columna ineſt affixa ſtatua quaedam marmorea, quae ut apparet ex liniamentis & habitu veſtium antiquiſſima ſane eſt, in qua hac mirandae vetuſtatis litterae corroſae, quae de aliquo Medico loquuntur, inciſae ſunt: P. PUPIUS. PL. MENTOI. MEDICUS. IIIIII. VIR. Videat quis in antiquorum marmorum litteris explicandis peritior, quid ſibi velit verbum illud *mentoi*, me ſaltem fugit. Quanta vero dignitate or-

na us fuerit hic Medicus, quod *VI. VIR* fuerit, intelligi poteſt ex *Sert. Urſat.* Monum. Patav. pag. 126. docente illud munus inter prima urbis officia eminuiſſe. Conf. *Land.* in Practermiſſ. ap. Cel. *Ott.* Tom. III. Thes. Jur. pag. 1460. Vindicianus Valentiniani Imperatoris Archiater, Africae Proconſul apud *Auguſt.* Lib. IV. Confeſſ. Cap. III. memoratur. Conf. *Fabrit.* Bibl. Lat. Lib. IV. Cap. XII. §. 2. Sic Medicos haud infimum dignitatis locum Romae obtinuiſſe confirmare voluerunt *Casp. Barthol.* de Tib. Veter. pag. 158. & *Th. Barthol.* de Med. Danor. pag. 362. & 373. *Vejel.* de Dignit. & Praeſtant. Stud. Medic. pag. 21. Quin imo eorum dignitas Romae tanta fuit, ut Collegium AEſculapii & Hygiae LX. virorum fuerit conſtitutum, cujus ordo publicis Romae legibus ſancitus eſt, quas deſcripſit & ex marmore antiquo expoſuit Clar. *Spon.* in Miſcell. Erud. Antiq. pag. 144. Iſtius Collegii mentio etiam fit in Lapide vetuſto ap *Cuper.* ad *Lactant.* de Mort. Perſec. Cap. XLVIII. Etiam videri poſſunt, quae nos *ſup.* Sect. I. Cap. I. §. 17. attulimus. At jus Collegiorum ſervis unquam tributum fuiſſe dici vix credo; unde liquere poteſt illam Artem viris, certe ingenuis a Romanis fuiſſe concreditam. *Cellar.* de Antiq. Med. Cap. VI. §. 6. & *Crell.* de Anton. Mus. §. 6. pag. 17.

III.

III. Praeterea cum *Barthol.* Hiſt. I. Paralyt. apud *Cren.* Faſcic. V. pag. 328. non inſiſtam, quod Medicorum ſalarium dicatur ſtipendium, cum ſervorum dicendum ſit peculium, *Herald.* Lib. V. Anim. in Salm. Obſerv. ad Jus Att. & Rom. Cap. X. § 2. Nec non cum eodem *Barthol.* L. L. eorum inhaerebo nominibus, quae ſecundum ejus opinionem ſervis raro niſi ſola, Medicis autem ſua Praenomina, Cognomina & Nomina, ut Aurelio Cornelio Celſo, & paſſim aliis. Neque oſtendere volo, quod ſuas uxores in Inſcriptionibus conjuges vocaverint, ſicuti ap. *Gruter.* Pag. DCXXXIII. n. 5. & *Mercur.* Lib. IV. Var. Lect. Cap. I. Cum ſatis conſtat uxores ſervorum proprie Contubernales appellatas fuiſſe, teſte *Ulpian.* L. XII. §. 33. D. de Inſtruct. vel. Inſtrum. Legat. Conf. *Petron.* Cap. LVII. & quae ibi a Magno Eruditorum Dictatore *Burm.* annotantur. Proinde nolo urgere, quod Medici variis in Legibus a tutela excuſentur, quod, ſervi ſi fuiſſent, opus non fuiſſet; nam hi a tutela tanquam haud capaces remoti fuerunt. Caeterum ita quoque ſilentio premo, quod de Medicis ingenuis verba fiant in L. XXV. & XXVI. D. de Oper. Libert. Nam jus patronatus, quod in memoratis legibus Medicis adſcribitur, neſcio unquam ſervos vel libertos habuiſſe. At

 ne

ne latius in Juris Civilis Oceanum excurram; potius, caſtra illa non ſequutus, vela contraham, & ex *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. III. Cap. XII. demonſtrabo ipſum Senatorem Romanum, tempore Ciceronis clarum, inter Medicos recenſeri. Quin imo expreſſe aliquis Medicus ingenuus nominatur ap. *Barthol.* L. L. pag. 329.

M. JULIUS. INGENUUS. P. R
MED. COH. II. VIG.

Neque ſequens, Moguntiae reperta, inſcriptio mihi de Medico ſervo interpretanda videtur:

PEREGRINO. HELIODORO
CONSUMMATAE. PERITIAE. MEDICO
ET. MIRAE. PIETATIS. JUVENI
COMINIA. FAUSTINA
MATER. INFELICISSIMA. F. C.

Exhibetur ap. *Fleedw.* Syll. Inſcript. Pag. CCVI n. 2. Nec non huc pertinet ea Inſcriptio, quam *Mercur.* de Potion. ac Edul. Ant. Cap. XIV. ap. *Gron.* Tom. IX. Thes. Ant. Graec. pag. 492 Romae in vetuſto lapide ſervari teſtatur:

D. M
A. ACTIUS. CAJUS
ARCHIATER. SIBI. ET
JULIAE. PRIMAE. CONJUGI
INCOMPARABILI.

Obi-

Obiter autem ad hunc *Mercurialis* locum obſervandum, quod omnia, quae *Mercur.* eo Capite de Archiatris tradidit, etiam verbotenus reperiantur in ejus Lib. IV. Var. Lect. Cap. I.

IV. Tandem ſic ipſi Medici ſuos habuiſſe dicuntur ſervos atque libertos. Servos habuiſſe conſtat ex *Scrib. Larg.* Comp. CXX. *Nam Caſſii Medici colice bona multis nota propter effectus, vera haec eſt, ut ab ejus ſervo Atimeto accepi, legato Tiberii Caeſaris: quia is eam ſolitus erat ei componere. Porphyr.* Lib. I. de Abſtinent. ab eſu carn. anim. pag. m. 8. *Crateri Medici ſervus novo & inuſitato morbo affectus, nempe carne ab oſſibus divulſa ac diſtracta Pharmacis quidem nihilo ſe habuit, ſed vipera piſcis in modum apparata, & comeſa convaluit.* Diogenes Cleophanti Medici ſervus appellatur ap. *Cicer.* pro Cluent. Cap. XVI. qui & Cap. LXIII. ejusdem Orationis memorat Stratonem A. Rupilii Medici ſervum. Themiſonem ſervum ſuum nominat *Apul.* Apolog. pag. 295. De Libertis id aeque verum eſſe patet ex Inſcriptione, quae occurrit ap. *Gruter.* Pag. DCXXXIV. n. 6. & *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 297.

D. M
M. JUNIO. DIONYSIO
MEDICO. DE. LUCILLIANIS

TITULENA. JUSTA
CONJUGI. B. M ET. SIBI
ET. SUIS. LIB. LIBERTABUSQUE.
POSTERISQUE
EORUM.

& *Spon.* in Miſcell. Erud. Antiq. pag. 142

DIIS. MANIBUS SACRUM
L. ANNIUS. CASSIUS. MITHR
ADORUS. MEDICUS IIII
FACTION. CIRCEN. FECIT
SIBI. ET. LIBER. SUIS. POSTE
RISQUE. EORUM. LOC.
&c. &c.

Hi jam ſervi plerumque fuere iſti Chirurgi ac Empyrici, qui tam ſaepius Medici ſub nomine occurrunt; quippe facillime Medicam quodammodo peritiam ſibi acquirere potuerunt, cum illis medicamentorum praeparandorum cura commiſſa videatur ex *Scrib Larg.* Comp. XCVII. & CXX. Adeoque illi potiſſimum ſervos curare ſolebant auxiliis, quae videbant aliquando a Dominis Medicis adhiberi: liberi enim a Medicis liberis curabantur, ut apertis verbis oſtendit *Plato* Lib. IV. de Legib. circa finem: *Nonne dicimus quosdam Medicos eſſe, & quosdam Medicorum miniſtros, quos*

etiam

etiam Medicos appellamus? C. Omnino. A. Sive liberi ſunt ſive ſervi, qui Dominorum mandato, conſideratione, peritia, experientia, Artis cognitionem ſint conſequuti; non autem vi & beneficio naturae quemadmodum liberi, qui & ipſi ſic didicerunt & liberos ſuos ſolent inſtituere? Haeccine duo ponis Medicorum genera? C. Quidni? A. Nonne igitur intelligis, quum ſervi & liberi in civitate aegrotent ſervos a ſervis plerumque curari, qui & in Medicorum officinis verſantur, & ultro citroque commeant, Medicinam factitantes? Neque rationem ullam de ſingulis ſervorum morbis aut reddunt aut accipiunt, ſed iis imperatis quae uſu & experientia profutura decreverunt, tanquam re bene perſpecta atque explorata, tyrannorum in morem ſuperbe & proterve diſcedunt ab aegroto ſervo, & ad alium ejusdem conditionis ſervum convolant, atque ita Domino ad curandos aegrotos facilem expeditamque rationem parant? Liber autem Medicus liberorum ut plurimum morbos curat atque conſiderat, ita ut a principio morbi naturam perquirat communiterque cum aegroto & ejus amicis verſetur. Conferri etiam meretur *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib. I. Cap. II.

Caput IX.

Medicina olim in tres partes diviſa ita ut Clinici a Chirurgis ac Pharmacopaeis fuerint diſtincti.

I. Accedimus igitur ad probandum, quod Medici Clinici ac Rationales apud Romanos diu ante tempora Corn. Celſi, qui, ut *ſup.* Cap. IV. §. 13. hujus Sectionis oſtendimus, ſub Tiberio floruit, ab Empyricis atque Chirurgis diſtincti fuerint, qui maxima ex parte ſervi & ſub generali Medici nomine comprehenſi erant. Sed ante, quam pergo, hic ex *Zacch.* Quaeſt. Med. Leg. Lib. VI. Tit. III Quaeſt. IV. §. 28. praemittere fert animus, nihil nos laborare, quod servi vel Chirurgi vel Empyrici hoc nomine dignati ſint: *Nam*, dicit, *quid hoc ad Mercurium? Homo dicitur tam vir quam mulier in L. 152. D. de Verb. & Rer. Signif. num id circo ejusdem conditionis ac dignitatis mulier eſt, ut vir quicquam dignitatis ob id amittat, quod etiam mulier, ut vir homo appellatur.* At pergit: *Si ex eo, quod nomen Medici etiam vilibus perſonis commune eſt, Medici dignitas imminuitur, cur non alia ex parte adaugetur ex eo, quod nomen Medici Deo ipſi tribuitur?* Ulterius

rius quoque praemonere operae pretium duxi, quod antiquitus tempore V. Gr. belli Trojani uſu quidem receptum fuerit, ut Medici ac Chirurgi iidem eſſent, veluti docet *Celſ.* in Praef. Lib. I. Cui adjungas licet *Meib.* ad Jusjur. Hipp. Cap. XVI. §. 13. *Salm.* in Prol. Homon. Hyl. Jatr. pag. 13. *G. a Reies* Elys. Camp. Quaeſt. III. §. 2. *Caſtell.* Opt. Med. pag. 39. & *Vander Linden* in Manud. ad Medic. pag. 105. qui ambo ultimae *Conringii* Introd. in Art. Med. Editioni juncti ſunt. Attamen tunc quoque ſciendum eſt, eodem tempore omnes iſtius Artis Profeſſores fuiſſe Viros Principes atque Nobiliſſimos ut Machaonem, Podalirium, Achillem &c. quemadmopum *ſup.* Cap. III. vidimus.

II. Adeoque haec Medicinae diviſio, qua Medici Clinici a Chirurgis ac Pharmacopaeis diſtincti fuerunt, circa Herophili atque Eraſiſtrati, qui vixit Olymp. CXVII. docente *Voſſ.* de Philos. Cap. XI. §. 33. tempora incidit. Medicina enim tunc ita ſeparata fuit, ut una eſſet, quae victu; altera, quae medicamentis; ac tertia, quae manu mederetur; quarumque primam διαιτητικὴν, ſecundam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν Graeci appellaverunt. Sic enim ſingulae illae Medicinae partes, quae ad illa uſque tempora uni tantum homini incubuiſſent, nunc a pluribus diffe-

differentibus fuerunt adminiſtratae, ut clariſſ indicat verbis *Celſ.* Praef. Lib. I. ubi de tempore Herophili ac Eraſiſtrati verba faciens, ita loquitur: *Iisdem temporibus in tres partes Medicina diducta eſt: ut una eſſet, quae victu: altera, quae medicamentis: tertia, quae manu mederetur. Primam* διαιτητικὴν, *ſecundam* φαρμακευτικὴν, *tertiam* χειρουργικὴν *Graeci nominaverunt. Ejus autem, quae victu morbos curat, longe Clariſſimos auctores etiam altius quaedam agitare conati, rerum quoque naturae ſibi cognitionem vendicaverunt, tanquam ſine ea, trunca & debilis Medicina eſſet.* Ex cujus loci ultimis verbis luce meridiana clarius conſtat, Medicos Diaeticos reliquis fuiſſe longe Nobiliores, quod & paulo poſt affirmat, cum ita ſcribat: *Quoniam autem ex tribus Medicinae partibus, ut difficillima, ſic etiam Clariſſima eſt ea, quae morbis medetur, ante omnia de hac dicendum eſt.* & in Praef. Lib. VII. hujus ſeparationis ſequenti modo meminit: *Haec autem pars* (ſc. Chirurgia) *cum ſit vetuſtiſſima, magis tamen ab illo parente omnis Medicinae Hippocrate, quam a prioribus exculta eſt. Deinde, poſteaquam diducta ab aliis habere Profeſſores ſuos coepit.* & paucis interjectis expreſſe aliquos enumerat, qui apud Romanos ſolam profeſſi fuerunt Chirurgiam: *Ac Romae quoque non mediocres Profeſſores, maximeque nuper*

Tryphon

Tryphon pater, & Euelpiſtus Phlegetis filius, &, ut ex ſcriptis ejus intelligi poteſt, horum eruditiſſimus Meges, quibusdam in melius mutatis, aliquantum ei diſciplinae adjecerunt. Ac poſtquam in eadem Praef. dixerat Chirurgos vulnerum ulcerumque multorum curationes ſibi vindicare, iis ea duntaxat curanda demandat, in quibus plus manu quam medicamentis proficitur. Reliquorum autem curam Medicis Diaeticis ac Rationalibus aſſignat. Caeterum hujus Medicinae partitionis non quaſi rei primum factae ac inauditae, ſed veluti bene notae uſuque diu receptae meminit *Cicer.* Lib. III. de Orat. Cap. XXXIII. *Tum Craſſus, Non in hac, inquit, una, Catule, re, ſed in aliis etiam compluribus, diſtributione partium, ac ſeparatione magnitudines ſunt artium diminutae. An tu exiſtimas, cum eſſet Hippocrates ille Cous, fuiſſe tum alios Medicos, qui morbis, alios, qui vulneribus, alios, qui oculis mederentur? Num Geometriam, Euclide, aut Archimede, num Muſicam Damone, aut Ariſtoxeno, num ipſas litteras Ariſtophane aut Callimacho tractante, tam diſcerptas fuiſſe, ut nemo genus univerſum complecteretur; atque ut alius aliam ſibi partem, in qua elaboraret, ſeponeret?* Conf. *Van Horne* Microtechn. pag. 13. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. I. Cap. IX. Quare valde demiror *Menagium* in Amoenit. Jur. Cap. XXXV.

pag.

pag. 274. cum paulo ante eadem pag. *Celſum* in Praef. laudet, mox hanc ſeparationem memorantem ita loqui: *Quando factum hoc disſidium, dixerit alius, non ego.* Et ad minimum poſt tempora Antoniorum imo & poſt Juſtinianum hanc diviſionem accidiſſe oſtendere conatur. Ac *Boekelm.* in Diſſ. Medicus Romanus LX. ſolidis aeſtimatus pag. 52. id demum per Arabes factum putat. Verum ſatis liquido ex *Celſo* atque *Cicerone* patuit jam factum fuiſſe longe ante eorum tempora.

III. Obſervandum igitur vocabulum Medicus apud antiquos non ſpeciatim, uti hoc tempore moris eſt, verum generatim adhibitum fuiſſe; qui enim cum maxime chirurgi, balneatores, herniae medentes, lithotymi & ſimili nomenclatura vocantur, hi olim univerſali nominatione Medici vocitabantur, quamvis inter ſe diſtincti eſſent, veluti affirmat *Galen.* ad Thraſyb. Cap. XXIV. *Etſi enim*, dicit, *quam maxime hunc herniae diſſectorem, illum perforatorem, alium calculi detrectatorem eſſe dicunt, omnes tamen iſtos communi nomine Medicos appellant, proinde ut eos puto, qui a quibusdam membris, quorum praecipue curam gerunt vocitantur, hos namque ocularios, auricularios, dentarios (ita dicere liceat) Medicos nominant: nonnullis a materia nomen indiderunt diaeteticos & medicamentarios aut per Joven etiam*

etiam herbarios vocantes: quidam praeterea & nonnullos Medicos vinidatores & veratridatores appellarunt, quia eos crebro talibus remediis utentes conſpexerunt. Ita Empyrici, qui Medicorum ſervi erant, etiam Medici appellantur ap. *Plat*. Lib. IV. de Legib. in calce. *Nonne dicimus quosdam Medicos eſſe & quosdam Medicorum miniſtros, quos etiam Medicos appellamus?* Praeterea egregie quoque ad rem noſtram facere videtur, quod nullibi in Corpore Juris alicujus Chirurgi mentio fiat, cum tamen ſaepiſſime eorum agatur cauſa, at ubique generalis vox Medicus adhibetur. Quare merito varii V. D. jam monuerunt non ſemper per iſtam vocem Medicus denotari Medicum Clinicum ac Rationalem, ſed ſaepius Chirurgum: quemadmodum fecerunt *Gothofr.* & *Cujac.* vocem Medicus exponentes ad L. XVIII. §. 10. D. de Inſtr. vel Inſtrum. Legat. ubi inter inſtrumenta Medicorum dicuntur eſſe Emplaſtra, Collyria & caetera ejus generis, quae Chirurgis ſunt propria; adeoque hi Duumviri per Medicos ibi memoratos intellexerunt eos qui medicamenta conficiunt, (ſc Pharmacopaei) vulnera curant, cucurbitulas admovent, item qui circumcidunt, aut caſtrant, (ſc. Chirurgi) non vero Medicos Clinicos vel Diaeticos. Medici enim Clinici olim, aeque ac hodie, medicamenta non praeparabant,

bant, ſed ſolummodo praeſcribebant, & jam praeparata, ut Emplaſtra, Collyria &c. a Medicis Seplaſiariis vel Pharmacopaeis emebant, docente *Salm* Prol. Homon. Hyl. Jatr. pag. 14. Vel eorum praeparationem ſervis ſuis committebant, uti Cap. praeced. § ult. oſtendimus. Inde etiam de Medicis Clinicis ſui temporis ita queritur *Plin.* Lib. XXXIV. H. N. Cap. XI. *Atque haec omnia Medici, (quod pace eorum dixiſſe liceat) ignorant, pars major & nominibus, in tantum a conficiendis medicaminibus abſunt, quod eſſe proprium Medicinae ſolebat. Nunc quoties incidêre in libellos, componere ex his volentes aliqua, hoc eſt, impendio miſerorum experiri commentaria, credunt ſeplaſiae, ea omnibus, quibus fraudibus corrumpenti, factaque jampridem emplaſtra & collyria mercantur, tabeque mercium.* Plura *inf.* §. ult. reperiuntur. Porro quis adeo demens eſt, ut diceret venam ſecare, cucurbitulas admovere, circumcidere aut caſtrare ad Medicos Diaeticos pertinere? Quippe ſimodo *Celſ.* atque *Cicer.* locis *ſup.* §. 2. adductis inſpexerit, ſtatim videbit, ambos illos auctores perſpicue Medicos Diaeticos a Medicis Chirurgis, quibus haec provincia manu curandi demandata fuerit, diſtinxiſſe. Hinc etiam V. D. ad *Lactant.* de Mort. Perſec. Cap. XXXIII. ubi Medici dicuntur ſecare, illud per Chirurgos expo-

exponendum ducunt. Inſuper recte *Barth.* Lib. II. Advers. Cap. XIV. animadvertit hos Chirurgos Medicorum ſectores atque miniſtros fuiſſe, & ab opera carnifices Medicorum vocari. Ergo per vocem Medicus etiam intelligendus eſt Chirurgus in L. VII. & VIII. D. ad Leg. Aquil., L. IV. D. ad. Leg. Corn. de Sicar., & in §. 7. Inſtit. ad Leg. Aquil. & ap. Paul. JCtum Lib. V. Recept. Sentent. Tit. 22. Conf. ſi tanti ſit, *Coler.* Parerg. Cap. XI. ap. Clar. *Ott.* Tom. I. Thes. Jur pag. 366. *Brod.* Lib. X. Miſcell. Cap. X. ap. *Grut.* Tom. IV. Thes. Crit pag. 63. *Calvin.* in Lex. Jurid. in Voce *Medicus.* & *Movius* in Diſſ. de Medicis Cap. I. §. 6. Atqui quemadmodum huc uſque oſtendimus, quibusdam in Legibus per Medicos tantummodo Chirurgos eſſe intelligendos, ita contra in aliis Legibus ſolos Clinicos ac Rationales intelligi debent: nam privilegia, quae in Legibus Medicis traduntur data, & de quibus nos *ſup.* Sect. II. Cap. VI. egimus, tantum conceſſa fuerunt Medicis Clinicis atque Diaeticis, nequaquam vero communicata ſunt iſtis Chirurgis, Empyricis vel Medicis ſervis, tanquam hominibus eorum prae ſervili conditione haud capacibus, uti oſtendit *M. Freher.* Lib. II. Parerg. Cap. XVI. ap. Cl. *Ott.* Tom. I. Thes. Jur. pag. 926. Nec non Conf. quae

 ipſe

ipſe Eruditiſſ. *Ott.* annotat in Lib. ſingul. de AEdil. Colon. & Munic. Cap. VI. §. 7. Adeoque plane conſtare arbitror, unde fit, quum Medici Clinici a reliquis jam tempore Eraſiſtrati fuerint ſeparati, quod nulla in Corpore Juris Chirurgorum fiat mentio: niſi quod vocabulum Medicus in eo pro generali ſumatur verbo. Nam ita ſub lata Jurisperitorum ſignificatione merito comprehendere poſſet Procuratores Notariosque, qui revera eodem quo Chirurgi modo, praecepta & juſſa JCtorum efficiunt, & illorum ſolummodo ſunt miniſtri neceſſarii. Tandem vox Medicus non ſolum apud JCtos, verum etiam apud alios ſcriptores generali ſignificatione ſumta fuit: quod quem magis forte moveat auctoritas ſive Marci Tullii, ſive Suetonii, ſive Lampridii, & hiſce aures det: *Cicer.* in Piſon. Cap. XXXII. *Sed ei Medico, quem tecum duxeras, imperaſti ut venas hominis incideret. Suet.* in Ner. Cap. XXXVII. *Mori juſſis non amplius quam horarium ſpatium dabat. Ac ne quid morae interveniret, Medicos admovebat, qui cunctantis continuo curarent. Ita enim vocabat, venas mortis gratia incidere.* & *Lamprid.* in Comm. Cap. XI. *Imitatus eſt & Medicum, ut ſanguinem hominibus mitteret ſcalpris feralibus.* Quae verba optime a Magno *Caſaub.* ad eum locum de Medico Chirurgo interpretantur. Poſtrem

dem

denique ille Heliodorus, qui a *Paul. AEgin.* Lib. IV. Cap XVIII definite nominatur Chirurgus; a *Schol.* ad *Juven* Sat. VI. ỽ. 373. dicitur Medicus. Plura de lata vocis Medicus ſignificatione reperiuntur ap. *Forner.* Lib. III. Select. Cap. XXVIII ap Cel. *Ott.* Tom. II. Thes. Jur. pag. 118. *Meib.* ad Jusjur. Hipp. Cap XVI. §. 29. & *Borrem.* Var. Lect Cap. XV. pag. 192.

IV. Verum enim vero cum jam olim hoc Medicinae nomen tam late ſumptum fuerit, hinc recte non ſolum apud Scriptores, ſed etiam in Monumentis antiquis illa obſervata fuit diſtinctio, ut plerumque, ſi de ſervis Medicis vel Chirurgis & ſimilibus, mentio fiat, nomini Medico Epitheton addatur, unde Medici erant. Etenim notandum eſt Medicinam apud Romanos fere aeque ac apud AEgyptios plurimas in partes fuiſſe diviſam, ita ut ſingulis fere morbis, & unicuique corporis parti Medici fuerint dicati, veluti docent *Rhodig.* Lib. XVIII. Cap XXXVII. *Mercur.* Lib. II. Var. Lect Cap. VIII. *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 76. & *Fabrett.* Inſcript. pag. CCXCIX. Apud AEgyptios enim, auctore *Herodot.* Lib. II. Cap. LXXXIV. Medicina hunc in modum fuit diſtributa, ut ſingulorum morborum ſint Medici non plurium, itaque omnia referta ſunt Medicis, alii enim

ſunt ocularii, alii capitis, alii dentium, alii alvi, alii morborum occultorum. Ac ita *Prosp. Alpin.* illum AEgyptiorum morem ad ſua tempora uſque obtinuiſſe teſtatus fuit, Lib. I, de Med. AEgypt. Cap. I. *Qui per eam urbem* (*Cayri nim.*) *medentur, alii promiſcue morbos omnes curare profitentur, alii partis alicujus tantum mala. veluti ſunt Ocularii, qui omnes morbos ac ſymptomata oculos laedentia ſanant. & dentarii, atque auricularii tantum malis dentium auriumque medentes. atque alii qui tantum inteſtinorum aegritudines, alii pudendorum, alii veſicae, & alii uteri curant.* Nec ſilentio praetereundum, quod *Almelov.* ſibi relatum affirmet Galliae Regem Ludovicum XIV. benignum ſcientiarum fautorem idem voluiſſe, in Inv. Nov. Ant. pag. 66. Hinc igitur, dico, Medicos apud Romanos plerumque addito Epitheto diſtinguebantur, ita ut primo intuitu pateret, an quis Medicus Rationalis, an vero Chirurgus eſſet: quamvis omnes Medici nomine gauderent, ut *Scrib. Larg.* in Ep. ad C. J. Calliſtum ſcribit: *Multos*, inquit, *animadvertimus unius infirmitatis ſanandae ſcientia, Medici plenum nomen conſequutos.* Sic quoque enucleate quis Medicus Clinicus (intellige Rationalem & ingenuum, teſte *Spon.* Miſcell. Erud. Ant. pag. 145.) nominatur ap. *Reines.* Cl. XI. Inſcr. VII.

D.

D. M
TI. CLAUDIUS JULIANUS
MEDICUS. CLINICUS. COH. III
PR. FECIT. VIVOS. SIBI. ET
TULLIE. EPIGONE. CONJUGI
LIBERTIS. LIBERTABUSQUE
CLAUDIIS. POSTERISQUE
EORUM
H. M. H. N. S.

Medicus Diaeticus ap. *Gruter*. Pag. DCXXXIII. n. 2.

DIS. MANIBUS
C. CAECILI. C. F. SAB
AQUILAE
CAECILIAE. C. L
MOSCHIDI
C. CAECILIUS. DIAETUS
MEDICUS
FILIO. ET. LIB. CONJUGI
SUAE. PIISSIMIS.

Chirurgi quoque ſaepiſſime definite vocabantur Medici Chirurgi, ita exſtat Inſcriptio apud *Manut*. Orthogr. pag. 243.

CHARISTAE. CONSERVAE
ET. CONJUGI

CELADIUS. ANTINOUS
DRUSI
MEDICUS. CHIRURG
BENE. MERENTI. FECIT
EA. VIXIT. AN. XVII.

Emendata haec Inſcriptio invenitur ap. *Fabrett.* pag. 300. T. AElius Aſclepiades Auguſti libertus Medicus ludi matutini Chirurgus dicitur ap. *Grut.* Pag. CCCXXXV. n. 1. Caeterum hujus forte, docente *Pignor.* de Serv pag. 71. Celadi mentionem fecit *Suet.* in Aug. Cap. LXVII. ſub depravato Enceladi Auguſti liberti nomine. Quam ſententiam tanto avidius amplector, quum intelligo eundem Auguſti libertum a *Joſeph.* Lib. XVIII. Ant. Cap XIV. Celadum appellari. At in viam. Vel Medici ab Oculis audiunt in Inſcr. ap. *Gruter.* Pag. MCXI. n. 6. & *Meib.* ad Jusjur. Hipp. Cap. XVI. §. 29

P. ATTIUS ATIMETUS
AUG. MEDICUS
AB. OCULIS
H. S. E.

Hunc *Rhod.* ad *Scrib. Larg.* pag. 189. eundem credit, quem *ſup.* Cap. VIII. §. 4. vidimus Medici Caſſii ſervum fuiſſe. Vel Medi-

dici Ocularii ap. *Reineſ.* Cl. XI. Inſcr. VIII.

Q. CLODIUS. Q. L. NIGER
MEDICUS. OCULAR. SIBI. ET
Q.CLODIO.Q.L.SALVIO.PATRONO.

Haec Inſcriptio integrior exhibetur ap. *Fabrett.* pag. 300. Porro ita Celadianus Tiberii Caeſaris Auguſti ſervus in Inſcriptione ap. *Spon.* Miſcell. Erud. Antiq. pag. 143 n. 7. adjecta conditionis nota Medicus Ocularius vocatur, Imo *Perron.* Lib. I. Var. Lect. Cap. XXIX. ap. Cl. *Ott.* Tom. I. Thes. Jur. pag. 628. quendam Medicum Eliricum Schirurgum Ocularium in veteri Inſcriptione dici obſervat. Praeterea veluti eo uſque vidimus hanc diſtinctionem in Inſcriptionibus obſervatam; ita etiam ea obtinuit optimos apud auctores, qui ſibi tali modo loqui conſuevêrunt, ſicuti colligitur ex *Martial.* Lib. IX. Epigr. XCVIII.

Clinicus Herodes trullam ſubduxerat aegro:
Deprehenſus dixit, ſtulte, quid ergo bibis?

Clarius vero illud conſtat ex eo, quod Cambyſes ab Amaſe AEgypti Rege petierit Medicum Ocularium, teſte *Herodot.* Lib. III. Cap. I. Evelpides Medicus Ocularius dicitur

ap. *Celſ.* Lib. VI. Cap. VI. §. 8. Qui forte idem eſt, quem deinde in Praef. Lib. VII. & *Scrib. Larg.* Comp. CCXV. vocaverint Evelpiſtum Chirurgum. Medicorum Ocularicorum mentio ſic quoque occurrit ap. *Galen.* Lib. X. de Uſu Part. Cap. XI. Ambo Chirurgi Archagates & Alcon ap. *Plin.* Lib. XXIX. H. N. Cap. I. Medici Vulnerarii & Vulnerum dicuntur. Conſ. *Crell.* in Diſſ. de Ant. Mus. §. 7. pag. 23. *Cell.* Ant. Med. Cap. VI. §. 4. & *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib. I. Cap. II.

V. Poſtremo hos Medicos Chirurgos apud Romanos ita, uti hodie apud nos, diverſos fuiſſe a Medicis Rationalibus, id eſt, a Medicis, qui Philoſophiae principiis innixi Medicinam exercent, ac cujus generis fuiſſe exiſtimo, qui jus civitatis a Caeſare acceperunt, jam conſtare potuit ex illis, quae jam in medium protulimus; nec non id inſuper colligimus ex loco *Plutarch.* de Frat. Amor. Cap. XXIV. ubi Medici praeſcribere dicuntur Chirurgis, haec ejus ſunt verba: *Sic & in Repub. praetores oratoribus popularibus raro invident, & de oratoriam artem tractantibus cauſidici ſophiſtis, & de Medicis ii, qui victus rationem praeſcribunt Chirurgis: ſed mutuo ſe adjuvant atque commendant.* Perſpicue Medici Diaetici a Chirurgis etiam diſtinguuntur

ap.

ap. *Scrib. Larg.* Comp. CC. *Itaque quamvis ex magna parte ad Diaetaeticos pertinentes compoſitiones jam exhibuerimus, tamen quaſi claudicat & vacillat hic liber, niſi eas quoque compoſitiones, quae ad Chirurgos pertinent, poſuerimus, quarum initium ex emplaſtris faciemus. Cael. Aurel.* Lib. II. Morb. Chron. Cap. XII. *Sed his reſpondemus, quod paſſio non Chirurgia, ſed Diaetetica traditur curatione. Omne etenim adjutorium, quod adhiberi videtur ſupradictis fluoribus eſt Diaeteticae partis, non Chirurgiae. Quapropter Diaetetices ſcriptores libris regularibus, quos Diaeteticos vocant, de Haemoptyicis ſcripſerunt, quos nos ſanguinem ſpuentes nuncupamus. Chirurgi vero in chirurgumenis hoc memorari auſi non ſunt.* Unde *Corn. Celſ.* Lib. VII. Cap. XI. ita ſcribit: *Id autem vitium, quod* ὄζαινα *a Graecis vocatur, ſi medicamentis non cederet, quemadmodum manu curandum eſſet, apud magnos Chirurgos non reperi.* Egregie noſtram etiam ſtabilit ſententiam *Galen.* Lib VI Meth. Med. Cap. poſtr. *Aggreſſus vero fuiſſem aliquando ipſe quoque experiri ejusmodi curationis rationem, ſi perpetuo in Aſia manſiſſem: ſed cum Romae plurimum agerem, civitatis morem ſum ſecutus, permiſſa iis, quos Chirurgos vocant, maxima ejusmodi operum parte.* Hinc quoque de Imp. Juliano ſequentia refert *Amm. Marc.* Lib. XXII. Cap. IV. *Evenerat iisdem diebus, ut*

ad demendum Imperatoris capillum tonſor veniret praeceptus, introiret quidam ambitioſe veſtitus: Quo viſo, Julianus obſtupuit: Ego, inquit, non Rationalem juſſi, ſed Tonſorem acciri. Ulterius obſervatur, quod plurimorum in Veterum ſcriptis reperiatur mentio, qui ſola ac propria appellatione Chirurgi appellantur. Ita Chirurgus dicitur Ariſtus ap. *Scrib. Larg.* Comp. CCIX. Dionyſius ap Eund. Comp. CCXII. Meges *Cels.* Lib. V. Cap. XXVIII. §. 7. *Plin.* Lib. XXXII. H. N. Cap. VI. & *Scrib. Larg.* Comp. CCII. Ptolomaeus *Cels.* Lib. VI. Cap. VII. Socrates *Cael. Aurel.* Lib. III. Morb. Chron. Cap. VIII. Traſeas *Scrib. Larg.* Comp. CCIV. & CCVIII. & Triphon ap. Eund. Comp. CCI. & CCXL. Ex quibus Chirurgis nonnulli, (uti credibile ſit) ſi ingenium ſtudio litterarum excoluiſſent, ad Medicinae Clinicae profeſſionem, tanquam ad altiorem aliquem Medicinae gradum adſpirare ſolebant, veluti probari videtur ex *Mart.* Lib. I. Epigr. XXXI.

Chirurgus fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus.
Coepit, quod poterat, Clinicus eſſe modo.

Nec non hujus loci ſequentem exiſtimo Inſcriptionem ap. *Gruter.* Pag. CD. n. 7.

P.

P. DECIMIUS. P. L. EROS
MERULA. MEDICUS
CLINICUS. CHIRURGUS
OCULARIUS. VI. VIR
HIC. PRO. LIBERTATE. DEDIT. H--S IↃↃↃ
HIC. PRO. SEVIRATU. IN. REMP
DEDIT. H-S. ∞ ∞
HIC. IN. STATUAS. PONENDAS. IN
AEDEM. HERCULIS. DEDIT.
H--S ↈ ↈ ↈ
HIC. IN. VIAS. STERNENDAS. IN
PUBLICUM. DEDIT.
H--S. ↈ ↈ ↈ IↃↃ ∞ ∞
HIC. PRIDIE. QUAM. MORTUUS. EST.
RELIQUIT. PATRIMONI
H--S ∞ ↈ ↈ

Etenim iis non libenter aſſentiri vellem, qui ex iterata vocis *Hic* repetitione memoratam Inſcriptionem tanquam de duobus diverſis loquentem explicare tentarunt, vocabulum *Clinicus* ut nomen proprium conſiderantes. Vid. quae annotantur ap *Graev.* Tom. V. Thes. Ant. Rom pag. 615. Tandem a parte noſtra plurimi quoque Celeb. ſteterunt Viri, ut *Mercur.* Lib. III. Var. Lect. Cap. XXII. *Laurent.*

rent. de Med. & Baln. Cap. I. ap. *Gronov.* Tom. IX Thes. Ant. Graec. pag. 626. *Rhod.* de Acia Cap. XI. pag. 163. *G. a Reies* Elyſ. Camp. Quaeſt. LXXXVII. §. 18. *Van Horne* Microtech. pag. 16. *Freinſh.* ad *Curt.* Lib. IX. Cap. V. §. 25. & *J. ab Almel.* Inv. Now. Ant. pag. 66. Praeterea ſicuti Chirurgi ita quoque Pharmacopaei a Medicis diſtincti fuerunt, nam illis olim tantummodo praeparatio medicamentorum a Clinicis praeſcriptorum curae fuit: unde Medicorum tabernas *Rhodig.* Lib. XI. Ant. Lect. Cap. I. exponit per Pharmacopolia. Eos etiam diverſos memorat *Cic.* pro Cluent. Cap. XIV. ad q. l. & *Sylvius* Pharmacopolam interpretatus fuit per Pharmacorum & Medicamentorum venditorem. Illorum verba facit *Horat.* Lib. I. Sat. II. ℣. 1. Imo iſtis Pharmacopolis nullus aeger ſeſe credere ſolebat, uti docet *Cato* ap. *A. Gell.* Lib. I. Cap. XV. *Itaque auditis, non auſcultatis, tanquam Pharmacopolam: nam ejus verba audiuntur, verum ei ſe nemo committit, ſi aeger eſt.* Verba enim illa de Medico Clinico intelligi nequeunt. Qui plura circa hanc rem ſcire cupiunt, praeter ea, quae nos *ſup.* §. 3. adduximus, adire poſſunt idem docentes *Reines.* Lib. II. Var. Lect. Cap XVIII. pag. 298. *Salmas* Exerc Plin. Tom II. pag. 740. *R. a Caſtro.* Lib. II. Med. Pol. Cap. IV. *Valeriol.*

Lib.

Lib. VI. Enarrat. Med Cap. IV. & *Bartbol.* de Tib Vet pag 159. Ad objectionem vero, quod non tantum paſſim in veterum Medicorum ſcriptis tot ad Chirurgiam ſpectantia veſtigia reperiantur, verum etiam quod aliquando ipſi Medici Clinici munia Chirurgorum ut venam ſecare, cucurbitulas admovere &c. obierint, reſpondemus, eandem rationem Medici eſſe erga miniſtros ſuos Herbarios vel Chirurgos, quae Architecti erga caementarios, lignarioſque fabros; Gubernatoris erga nautas; & Imperatoris erga milites, veluti illud conſiderat *Voſſ.* de Philos. Cap. X. §. 1. Quemadmodum igitur Architectus aſciam dolabramque tignis adhibere. Gubernator remos tractare, Imperator armis uti & militaria munera obire ipſe quandoque ſolet, ita Medicum inſervientium ſibi artium quamcunque exercere neque abſurdum eſt neque probroſum, ut egregie docet *Galen* Comm. V. in Lib. VI. Hipp. de Morb. Vulg. Sect. I. *Quam enim proportionem Architectus erga aedificatores, lignarioſque fabros, & alios, quibus imperat, artifices, eandem & Medicus erga miniſtros ſuos gerit. Iſti vero ſunt herbarii, unguentarii, coqui, cataplasmata adhibentes, humore conſpergentes, clyſterem ſuffundentem, ſcarificantes, venam ſcindentes, cucurbitulas affigentes. At ſi nos etiam haec didicimus & facimus, perinde faci-*

mus, atque gubernator remigandi peritus, & facile ſummum malum conſcendere valens, & omnia alia nautarum munera cognoſcens & exequens. Etenim multi Imperatores ſaepe & arcu uti, & jaculari, & pugnare gladio, haſtaque ſciunt & faciunt, & Reges pariter: ſed non ut Rex, ut Imperator erat Alexander Macedo, aut ejus pater Philippus, ſed per alias artes imperatoriae, atque regiae inſervientes haec militaria munera obibant. Itaque & nos, ut Medici, cujuscunque auxilii qualitatem, quantitatem, occaſionem, & utendi modum cognoſcimus: ut miniſtri vero, venam reſcindimus, & cucurbitulas admovemus, & reliqua manibus operamus.

Caput X.

Reſpondetur ad objectiones, quibus Medicina a Romanis ſero accepta, Graeciſque ſolis commiſſa dicitur: nec non inquiritur, utrum Medicina ſit Ars illiberalis, quia eam unus aut alter ſervus fecerit.

I. Poſtremo pervenimus ad indagandum; utrum paucorum veterum tenuitas Me-

Medicis hodiernis obeſſe queat. Quod attinet ad Medicinam initio ſolis Graecis commiſſam, & a Romanis tam ſero acceptam, respondemus primo hoc factum fuiſſe, quia Romani homines rudes & bellicoſi non magnopere liberalibus diſciplinis vacabant. Quis enim neſcit? Romanos tempore infantiae Reipublicae ſemper in vicinos latrocinia exercuiſſe, quietos turbaſſe, bellaque geſſiſſe: inter quae ferocia civium ſtudia omnis pubes Romana militiae uſum, armorumque frequenter jactationem ſub dio in campis inter claſſica & tubas duntaxat exercuit & addidicit. Si qui vero eſſent tempore inprimis poſteriori, ubi firmatior paulo Respublica ad frugem & mores redierat, qui altius ſaperent & a gentis ferocitate ad litterarum ſtudia procedebant, a Medicina avocabantur per ſtudium politicum, ut eo ſtatum Reipublicae polire & ſtabilire poſſent. Vid. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. III. Lib. I. Cap. II. & *Falſter.* Quaeſt. Rom. Lib. I. Cap. IV. Quaeſt. VIII. Ulterius cum efferi adeo armorum uſu, & libertatis ſtudio homines, plurima parte ruſtici & militares, ad Artem teneram & politiſſimam, atque cum cura ac ſollicitudine obeundam parum idonei, illotis quaſi manibus accederent, & in illa parum proficerent, fides atque auctoritas Medicis Romanis nulla in initio fuit.

Unde

Unde vel a Graecis addiſcenda Ars Medic
vel ipſis relinquenda, & ſoli Medici Graec
aegrotis fuerunt adhibendi. Coacti igitur ne-
ceſſitate Romani ad Graecos confugere debue-
runt. Hinc quoque *Borrich.* de Ort & Progr.
Chem. ap. *Manget.* Tom. I. Bibl. Chem
pag. 8. ita loquutus fuit: *Sed quid Romanis,
Martiis illis pullis, cum interiori naturae ſacra-
rio? fortia & facere, & pati Romanorum erat;
ingenioſa & ſubtilia nationum aliarum: hinc ad
curioſa omnia, Graecorum ingenio & manibus
utebantur.* Quia itaque in Medicina rarius
& remiſſius verſati Romani deprehenduntur,
id magis arguere praeſtantiam & veneratio-
nem Artis Medicae, quam ejus opprobrium
& contemptum videtur *Crellio* in Diſſ. de Ant.
Mus. § 7. pag. 17. ſeq.

II. Atqui res ſeſe non ita habuit reſpectu
ſolius Medicinae, ſed etiam reliquarum ſcien-
tiarum. Sic enim Jurisperitia a Graecis ad
Romanos dimanavit. Quippe ſcimus, cum
uſque ad Annum U. C. CCC. admodum
Romani non niſi pauciſſimas haberent leges a
Regibus prioribusque Conſulibus latas, ac ple-
rumque arbitria Magiſtratuum pro legibus
haberentur, unde eveniebat, ut ſaepiſſime jus
iniquum redderetur, plebem Romanam ul-
terius hoc ferre noluiſſe, ſed poſt varia cer-
tamina ea de re cum Patriciis habita perfe-
ciſſe,

ciſſe, ut tres Legati in Graeciam mitterentur, qui leges eorum deſcriberent, inque XII. Tabulas conferrent; adeoque Graecis ſcientiae & litterarum palmam non inviderunt. Ita etenim A. U. C. CCC. Sp. Tarpejo, & A. AEternio Coſſ. tres Legati ad illas omnium doctrinarum inventrices Athenas miſſi ſunt, qui inclytas Solonis leges deſcriberent, quas ille, unus e ſeptem Sapientibus Graeciae, Athenienſibus ſcripſerat, auctore *Liv.* Lib. III. Cap. XXXI. *Miſſi Legati Athenas Sp. Poſtumius Albus, A. Manlius, P. Sulpitius Camerinus. juſſique inclytas Solonis leges deſcribere & aliarum Graeciae civitatum inſtituta, mores, juraque noſcere.* Quibus Legatis A. U. C. CCCII. C. Menenio & P. Sextio Coſſ. reverſis, Decemviri legibus ſcribendis creati fuerunt, *Dion. Halic.* Lib. X. pag. 678. Plures, imo fere omnes, hanc hiſtoriam referentes ſcriptores collegit Vir Doctiſſimus, qui unus inſtar omnium eſſe poteſt, *Jac Gothofredus* in aureo libello, cui titulum fecit, *Fontes quatuor Juris Civilis in unum collecti*, qui nunc reperitur in Tom. III. Thes. Jur. pag. 53. Hic vero quaeſtio movetur, an praeter leges Athenienſibus per Solonem ſcriptas, Romani etiam leges, quas Lycurgus Spartanis tuliſſe dicitur, deſcripſerint: quod affirmare videntur *Athen.* Lib. VI. Cap. XXI. *Plin.* Jun.

Lib. VIII. Ep. XXIV. *Amm. Marc.* Lib. XVI. Cap. V. *Symm.* Lib. III. Ep. II. & *Juſtin.* §. 10. Inſtit. de Jur. Natur. Nec nom id elicere volunt ex verbis *Livii* jamjam adductis: *Juſſique inclytas Solonis leges deſcriberent & aliarum Graeciae civitatum inſtituta, mores juraque noſcere.* Verum *Dion. Halic.* qui plerumque in ejusmodi circumſtantiis accuratior eſſe ſolet, ea *Livii* verba ita explicat Lib. X. pag. 676. *Quod vero ſuaſionis meae caput eſt, cenſeo Legatos mittendos partim ad Graecas urbes, quae ſunt in Italia, partim Athenas; qui petant a Graecis leges optimas, & inſtituto noſtro convenientiſſimas.* & pag. 678. *Per idem tempus reverſi ſunt Legati, leges afferentes ab Athenis & Graecis Italiae urbibus.* Hinc quoque *Serv.* ad *Virg.* Lib. VII. AEn. ℣. 695.

Hi Faſcenninas acies, aequosque Faliſcos.

Ita commentatus fuit: *Faliſcos aequos dicit, id eſt, juſtos: quia Populus Romanus miſſis Decemviris ab ipſis Jura Fecialia & nonulla ſupplementa XII. Tabularum accepit, quas ab Athenienſibus habuerant.* Duplex enim Graecia erat, una Vera ſive proprie dicta, in Peloponneſo ſita; altera plerumque Magna vocata, quae Italiae pars erat. *Ovid.* Lib. IV. Faſt. ℣. 63.

Nec

Nec tibi ſit mirum Grajo rem nomine dici.
Itala nam tellus Graecia major erat.

Vid. Cicer. Lib. III. de Orat. Cap. XXXIV. Conf. *Taubm.* ad *Plaut.* Menaech. Act. II. Sc. I. ✝. 11. Adeoque veſtigia Summi Viri, & aeque ſtudiorum humanitatis ac juris peritiſſimi *Ever. Ottonis*, plurima notatu digniſſima circa hiſtoriam Legum XII. Tabularum in Praef. ante Tom. III. Thes. Jur. obſervantis, premens nullam video rationem, quare cum *Rupert.* ad *Pomp.* de Orig. Jur. Cap. V. ſtatueremus *D. Auguſtinum* erraſſe, cum Lib. II. Civit. Dei Cap. XVI. Romanos laudibus extollat, quod Lacedaemoniorum leges ſpreverint. haec ejus ſunt verba: *Si autem a Diis ſuis Romani vivendi leges accipere potuiſſent, non aliquot annos poſt Romam conditam ab Athenienſibus mutuarentur leges Solonis. Quas tamen non ut acceperunt, tenuerunt, ſed meliores & emendatiores facere conati ſunt: Quamvis Lycurgus Lacedaemoniis leges ex Apollinis auctoritate ſe inſtituiſſe confinxerit: Quod prudenter Romani credere noluerunt, propterea non inde acceperunt.* Quae ſententia maxime ſtabilitur ſecundum Clar. *Virum* jamjam nominatum ex eo, quod ſicut, libertatis munere, univerſam per Graeciam, nulla civitas cum alia leges habuit communes, ita Lacedaemoniorum

 in-

inſtituta ab Athenienſibus ſummopere erant diſtincta, & mutuis conviciis proſcindebantur, auctore *Phil. Jud.* Lib. II. de Vit. Moiſis. Cum enim duo illi Graeciae oculi, inter caeteras reſpublicas veluti emicantes, de principatu non gloriae ſolum, ſed etiam potentiae inter ſe decertarent, accidit, ut, metu collationis in diverſum ſtudia ſua deſtinarint, atque alia inter ſe lingua, alio dicendi, ſcribendi & preliandi genere uterentur, teſte *Symmach.* Lib. I. Ep. XLV. Quis igitur tam patientes credat fuiſſe viros Conſulares, ut leges adeo repugnantes deſcribere ſtuduerint quas in uſum non erant deducturi? Nec unum quidem eorum, qui hiſtoriam XII. Tabularum deſcripſerunt, de Lacedaemoniis vel verbum habet. Quin imo collatio ſi legum Romanarum fiat cum Spartanis illis, quas *Nic. Cragius* Lib. III. de Repub. Lacedaem. duodecim Tabulis complexus eſt, vix una aut altera ſimilitudinem habebit, ſed pleraeque duodecim Tabulis contrariae reperientur. Ideoque *Athenaeus*, *Plinius* & *Symmachus* ſupra citati, duntaxat de legibus Romanorum ſumtuariis accipiendi ſunt: quarum *Cicero*, *Gellius* & *Macrobius* crebro verba fecerunt. Has enim ex Rhetris Lycurgi, poſt tempora Decemvirorum, auctis divitiis, & intemperantia Aſiatica increbeſcente, Romam eſſe tranſlatas diuquu

diuqui obſervatas, tradit *Amm. Marcell.* Lib. XVI. Cap. V. Tantum quoque abeſt, ut Tribonianus, auctoritate Caji forſan, vel alterius veterum, a quo illud deſumſit, innixus, nobis ſcrupulum injiciat, ut potius noſtram ſententiam firmet; dum jus in Tabulis praeſcriptum ab Athenienſibus, jus vero non ſcriptum a Lacedaemoniis derivat.

III. At redeamus, unde digreſſi ſumus Quemadmodum vidimus Romanos Juris Scientiam ex Graecia hauſiſſe, ita quoque eos non puduit omnium fere reliquarum litterarum vim atque faſtigium a Graecis arceſſere & Romam derivare, inque rem ſuam conferre. Vid. *Cic.* Lib. III. de Orat. Cap. XXXIV. & Lib I. Acad. Quaeſt. Cap. II. Hac igitur ſua Romani transferre ſolebant ſtudia, & inprimis Athenas nobiliſſimum illud litterarum humanitatis & juſtitiae domicilium viſere prima erat peregrinantium cura. Ita *Cicero* ſe Athenas tanquam ad mercaturam bonarum artium migraſſe refert Lib. III. de Orat. Cap. XX. & de Clar. Orat. Cap. XCI. Quem ultimum locum contractis verbis ita exhibet *Aur. Vict.* de Vir. Ill. Cap. LXXXI. §. 2. *Ex quo veritus invidiam Athenas ſtudiorum gratia petivit, ubi Antiochum Academicum Philoſophum ſtudioſe audivit: inde eloquentiae gratia Aſiam, poſt Rhodum petiit, ubi Molo-*

nem Graecum, Rhetorem tum diſertiſſimum magiſtrum habuit; qui fleſſe dicitur, quod per hunc Graecia laude privaretur. Ad quae verba *Anna Fabri* filia etiam notat Apollonium, poſtquam Ciceronem perorantem audiviſſet, in haec verba erupuiſſe: *Te quidem M. Tulli collaudo & admiror. Sed me Graecorum fortuna miſeret, cum videam doctrinae & eloquentiae laudem, quae ſola nobis reliqua erat, per te ad Romanos tranſlatam eſſe.* Quod retulit *Plut.* in Vit. Cicer. Cap. V. De Attici itinere ſequentia refert *Corn. Nep.* in Vit. Att. Cap. II. *Diſſociatis animis civium, cum alii Sullanis, alii Cinnanis faverent partibus, idoneum tempus ratus ſtudiis obſequendi ſuis, Athenas ſe contulit.* Sic quoque Athenas petiit erudiendi cauſa M. Brutus. docente *Aur. Vict.* de Vir. Ill. Cap. LXXXII. §. 1. *Marcus Brutus avunculi Catonis imitator, Athenis Philoſophiam, Rhodi Eloquentiam didicit.* Conf. *Plut.* in ejus Vita Cap. III. De ſe ipſo teſtatur *Ovid.* Lib. I. Triſt. El. II. ℣. 77.

Nec peto, quas quondam petii, ſtudioſus, Athenas.

& pluribus *Maſſon* in Vit. Ovid. pag. 49. De ipſomet quoque fatetur *A. Gell.* Lib. XIX. Cap. VIII. *Adoleſcentulus Romae priuſquam*

Athenas concederem. Conf. Lib. II. Cap. II. & Lib. XVIII. Cap. II. Tranſeo autem peregrinationes minus memorabiles ut Propertii veluti ipſe docet Lib. III. Eleg. XXI. in princ. Virgilii, quem Athenas vecturae navi incolumitatem precatur *Horat*. Lib. I. Od. III. ℣. 1. & Marci filii Ciceronis. Vid. *Cicer*. Lib. III. de Off. Cap. II. Qua de re veteres Athenas ſummis ornarunt Elogiis. Sic Athenae ſtudiorum domicilium vocantur ap. *Cicer*. Lib. III. de Orat. Cap. XI. Athenae omnium doctrinarum inventrices ap. Eund. Lib. I. de Orat. Cap. IV. & in Orat. pro Flacc. Cap. XXVI. Doctae Athenae *Ovid*. Ep. II. Her. ℣. 82. *Propert*. Lib. I. El. VI. ℣. 13. & Lib. III. El. XX. ℣. 1. Athenae Graeciae decus *Flor*. Lib. III. Cap. V. §. 8. Videſis *Plin*. Lib. VIII. Ep. XXIV. *Vell. Paterc*. Lib. I. Cap. XVIII. & *Juſtin*. Lib. II. Cap. VI. §. 6. Hinc quoque *Euſeb*. in Libro: Quod omnis probus ſit liber, de Athenienſibus ita loquutus eſt: *Athenienſes, me judice, acutiſſimi homines. Quod enim in homine pupilla, in anima ratio, hoc Athenae ſunt in Graecia.* Haec ſi non ſufficiant, inſpici merentur *Meurſii* Athenae Atticae ap. *Gron*. in Tom. IV. Thes. Ant. Graec. pag. 817. & *Falſter*. Quaeſt. Rom. Lib. II. Cap. II. Nobis enim ſatis eſt, cum integram faciem non poſſimus, ſaltem ima-

 ginem

ginem aliquam peregrinationis ſtudiorum ergo inſtitutae depinxiſſe.

IV. Caeterum ad alteram objectionem, quod enim. Medicina tam ſero a Romanis fuerit exculta, reſpondemus, omiſſis iis, quae jam *ſup.* Sect. II. Cap II. §. 5. adduximus, quod omnia humanitatis ſtudia primis Reipublicae temporibus fuerint neglecta, atque ſero Romae coli & exerceri coeperint. Etenim Punica ante bella fere nemo clarus iis diſciplinis inter Romanos commemoratur. Conf. *Conring.* Diſſ. I. Antiq. Acad. pag. 11. Unde *Horat.* Lib. II. Ep. I. ℣. 156. ita canit:

Graecia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agreſti Latio. . . . . . .

℣. 161.

Serus enim Graecis admovit acumina chartis,
Et poſt Punica bella quietus, quaerere coepit,
Quid Sophocles & Theſpis & AEſchylus utile ferrent.

ad quem locum *Torrent*, ut inſpiciatur, meretur. Nam ſic Oratores non ante bella Punica invenimus, quos numero eloquentium Oratorum ponere poſſumus. Primum ideo cum *Cicer.* Lib. de Clar. Orat. Cap. XV.

Sta-

Statuimus M. Corn. Cethegum, *qui tempore belli Punici ſecundi vixit, quem Ennius audivit atque hoc Elogio in nono Annali ornavit:*

Additur orator Corneliu' ſuaviloquenti
Ore Cethegus Marcu' Tuditano collega,
Marci filius. . . . .

Rhetoricam primus Romae docuit L. Plotius Gallus, quem *Euſeb.* in Chron. ad Annum primum Olymp. CLXXIII. Id eſt, ante annos octoginta tres quam Chriſtus naſceretur, ita memorat: *Plotius Gallus primus Romae Latinam Rhetoricam docuit: de quo* Cicero *ſic refert: Memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepiſſe Plotium quendam.* Vid. V. D. ad *Suet.* de Clar. Rhetor. Cap. II. Quibus jungitur *Falſter.* Quaeſt. Rom. Lib. II. Cap. IV. Quaeſt. I. Studium Grammaticae primus in Urbem intulit Crates Mallotes inter ſecundum ac tertium bellum Punicum ſub ipſam Ennii mortem *Suet.* de Illuſtr. Gramm. Cap. II. Inſpice *Heinecc.* Antiq. Rom. Lib. I. Tit. XXV. §. 16. Ad Philoſophiam vero quod attinet de ea *Cicer.* Lib. I. Tuſcul. Quaeſt. Cap. III. ſic loquitur: *Philoſophia jacuit uſque ad hanc aetatem, nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum.* Conf. Lib. IV. Tuſcul. Quaeſt. Cap. III. Hiſtoriam conſcribere primus

mus aggreſſus fuit Q. Fabius Pictor, qui A. U. C. DXXXV. Quaeſtor Provincialis fuit:, docente *Voſſ.* Lib. I. de Hiſt. Lat. Cap. IIII. Hic Fabius ſcriptorum antiquiſſimus vocatu: a *Liv.* Lib. I. Cap. XLIV. Scriptor vetuſtiſſimus a *Dion. Halic.* Lib. I. pag. m. 5. Videſis *Cicer.* Lib. II. de Orat. Cap. XII. Tandem ad Poëtas accedimus, quorum primus Livius Andronicus fabulam Romae docui ſeu litteraturam illam Comicam a Graecis in Latinos tranſtulit anno circiter proximo poſt finitum bellum Punicum primum teſte *Ciceri* de Clar. Orat. Cap. XVIII. *Atque hic Livius, qui primus fabulam, C. Clodio Caeci filio & M. Tuditano Coſſ. docuit, anno ipſo, ante quam natus eſt Ennius: poſt Romam conditam autem quarto decimo & quingenteſimo, ut hic ait, quem nos ſequimur.* HIC, id eſt, *Pomponius Atticus* in Annalibus, qui inter colloquutores erat. Ex hoc autem alius *Ciceroni.* eſt corrigendus locus Lib. I. Tuſcul. Quaeſt. Cap. I. ubi ita refert: *Serius Poëticam nos accepimus: annis enim fere* CCCCX. *poſt Romam conditam Livius fabulam dedit, C. Claudio Caeci filio, M. Tuditano* Conſulibus, *ann ante natum Ennium.* Jam Faſti docent illos Viros Conſulatum geſſiſſe poſt A. U. C. DXIII Quibus & accedit idem affirmans *A. Gell.* Lib XVII. Cap. XXI. Plura habent *Borrich.* d

Poët

Poët. Lat. Diſſ. I §. 2. *Voſſ.* de Poët Lat. Cap. I. *Clercq.* Hiſt. Med. Part. II. Lib. III. Cap. I. & *Falſter.* Quaeſt. Rom. Lib. III. Cap. II. ſeq. Tandem ipſi JCti demum ab Auguſto beneficii loco publice de jure reſpondendi facultatem acceperunt, ita ut in poſterum judicibus licitum non eſſet ab eorum reſponſis diſcedere, quemadmodum antea fieri ſolebat, *Alex. ab Alex.* Lib. VI. Cap. XXIII. & *Caranz.* de Part Nat. & Legit. pag. 128. De politica vero hujus inſtituti ratione videſis *Heinecc.* Ant. Rom. Lib. I. Tit. II. §. 39.

V. Denique hic omnibus miſſis, faciamus, quod volunt, inter Medicos Romae unum & alterum ſervum fuiſſe Medicum, num ex hoc efficitur Medicinam eſſe ſtudium ſervis proprium? Quid nonne contingere potuit, ut aliquis ingenuus Medicus ab hoſte captus ac venundatus deberet emptori ſervitutem ſervire? Certe eadem ratione, eodemque jure Viri Principes ac Nobiles aliquando ſervire coguntur. Cons. *Diog. Laërt.* Lib. II. Segm. CV. Quippe quam facile, cum Romani integras Graecorum familias a capta Graecia Romam deducerent, quibus ſervorum loco utebantur, inter illos forte aliqui inveniri potuerint Medici, qui Artem Medicam exercebant, quum Romanis hominibus rudibus, ac quaſi armis natis nullius Artis ſtudium fere cognitum foret,

ret, quam tamen, licet ut ſervi facerent, ut liberi, & antequam in Romanum dominium venirent, edocti fuerant. Quod etiam nunc alicui noſtrorum nullo negotio contingere poſſe, ſi utpote is ab hoſte barbaro fuiſſet captus, quis ibit inficias? Sic enim nuper adhuc ante aliquot menſes in Diariis publicis vidimus, quod Don Balthazar de Villalba Vir Nobilis, & Tribunus militum Hiſpaniarum Regis, qui a barbaris Algerinis ante viginti admodum annos in expugnatione urbis Orani in Africa fuerat captus, iſtis tamen barbaris ad ultimum vitae halitum ſervire debuerit, quamvis ſaepiſſime Hiſpaniarum Rex magnam pecuniarum vim pro ejus libertate pollicitus fuerit. Nam & inter tales bello captos atque ſervos adhuc magna intercedit differentia, docente *Lactant.* Lib. III. Inſtit. Divin. Cap. XXV. §. 15. Verum quid multa? Eadem fata Medicinae fuerunt ac liberalium litterarum, quae maxime quidem ingenuos decebant, in univerſum autem ſervos, ſi ingenio valerent, ob merita manumittendos aliquando, non excluſerunt, uti concluditur ex L. LXV. §. 2. D. de AEdil. Edict. Conf. *Cellar.* Ant. Med. Cap. VI. §. 6. At Ulterius ſi Medicina ſit ſtudium illiberale, quia eam unus & alter ſervus tractavit, tunc certe plura alia caeteroquin nobiliſſima & laudatiſſima ſtudia, ut Jurispruden-

dentia, Rhetorica, Grammatica, Philoſophia & Poëſis tantum erunt ſtudia illiberalia, ſervisque propria, quum legamus in iis plurimos ſervos ad ſummum faſtigium uſque provectos fuiſſe.

VI. Qua de re antequam lineas ducam altiores, candide teſtari volui atque debui, ne haec dicta a quibusdam maligne interpretentur, me hanc in arenam non deſcendiſſe, ut quid detrimenti huic vel illi ſcientiae afferrem, ſed duntaxat ut appareat talia, qualia Medicis plerumque objiciuntur, etiam praeſtantiſſimis ſcientiis fuiſſe communia. Ita enim ex Jurisperitis hic nolo commemorare Zamolxin Legiſlatorem Getarum, *Voſſ* Lib. I. de Idolol. Cap. XXXIX. Qui ſervus Pythagorae fertur ap. *D. Laërt.* Lib. VIII. Segm. II. *Strab.* Lib. VII. pag. 456. & *Lucian.* in Deor. Concil. pag. 1098. Nec verba faciam de Platone Legiſlatore *Lucian.* in Icarom. pag. 737. *AElian.* Lib. XII. Var. Hiſt. Cap XXX. & *Rhodig.* Lib. XVIII. Cap. XIX. Qui a Dionyſio captus ac Pollidi AEginenſi traditus fuit, ut venderetur, *D. Laërt.* Lib. III. Segm. XIX. & *Olympiod.* in Ejus Vita. Neque in ſcenam producam (cum errore juris fuerit factum, *Herald.* Lib. V. Animadv. in Salm. Obſerv. ad Jus Att. & Rom. Cap. X.) Barbarium Philippum, qui prius ſervus quam

Praetor

Praetor fuit; herus enim, a quo olim aufugerat, poſtquam hunc in foro jus dicentem agnovit, tacite aggreſſus & veſte a tergo prehenſa, Salve, inquit, veteri & ſervili nomine adjecto. At ille perculſus veteri domino facile agnito, rogavit eum, ut taceret, domumque ſuam duxit, maximaque pecunia numerata ſe tandem redemit. Uti ex *Suid.* narrat *Turneb.* Lib. VII. Advers. Cap. VII. Conf. *Greg. Lopez.* Animadv. Jur. Cap. VI. ap. Cel. *Ott.* Tom. III. Thes. Jur. pag. 442. Nec memorabo Menſorem libertum, per quem Impp. Divus Marcus & Lucius Flaviae Tertullae reſcripſiſſe dicuntur L. LVII. §. 2. D. de Rit. Nupt. Reſcribere enim erat Jurisconſultis ab Imperatoribus demandatum. Vid. *Guther.* Lib. III. de Offic. Dom. Aug. Cap. V. & Clar. *Ott.* in Vit. Papin. Cap. XIV. §. 3. Non adducam, quod tempore Perſii ex libertinis Judices eligerentur, docente *Caſaub.* ad *Pers.* Sat. V. ℣. 79. Neque oſtendere fert animus, quod Juriscivilis ſcientia libertorum artificium vocetur a *Mamarth.* in Paneg. pag. 15. Neque quod libertis conceſſum fuerit poſtulare & munus advocati gerere L. I. §. ult. D. de Poſtul. & L. II. Cod. eod. tit. Quum probe ſcio multos fuiſſe, qui humili loco & genere nati ad ſummas dignitates adſcenderunt, qualia nobis varia ſuppeditant exempla *Val.* *Max.*

Max. Lib. III. Cap. IV. & *AElian* Lib. XII. Var. Hiſt. Cap. XLIII. Quibus jungi licet *Ridder*. Hiſt. Erudit. pag. 73. & 134. Etenim quam plurimi ex humilibus parentibus orti deinceps Imperatores ac Principes facti ſunt, *Capitol*. in Pertin. Cap. I. & *Treb. Poll.* in Trig. Tyr. Cap. VIII. An propterea illae dignitates contemni deberent? Abſurda ſane ſunt, & potius ridenda quam audienda. Hinc verba non faciam de P. Alpheno Varo Celeberrimo JCto, Caeſaris aetate claro, (ne confundatur cum altero Alpheno JCto, cujus ſub Alexandro Severo meminit *Lampr*. in ejus Vita Cap. LXVIII.) qui Cos. creatus fuit A.U.C. DCCLIII. ſecundum *Rupert*. ad Pomp. de Orig. jur. pag. 410. vel A.U.C. DCCLIV. ſecundum *Auguſtin*. de Nomin. Juriſcons. ap. Cel. *Ott*. Tom. I. Thes. Jur. pag. 18. Imo decedens publico funere efferri meruit; (De quo honore conſulatur *Kirchman*. Lib. I. Funer. Rom. Cap. IV.) quamvis ſecundum *Alex. ab Alex*. Lib. VI. Cap. XXIII. & *Boekelm*. in Diſſ. Med. Rom. LX. ſolid. aeſtim. pag. 46. in adoleſcentia ſua barbitonſor fuiſſet, & tonſtrinam exercuiſſet; vel ſecundum *Torrent*. ad *Horat*. Lib. I. Sat. III. ℣. 130. & *Rupert*. ad *Pomp*. de Orig. Jur. pag. 409. ſutor exſtitiſſet. At accuratiorem magni illius JCti notitiam brevi expectamus ex ſingulari Libro, quem de

de hujus Alpheni vita edere promiſſus fui Indefeſſ. *Ott.* in Praef. ad Tom. I. Thes. Jur. Caeterum quanti cerdones, quanti muliones & illorum filii, non ſolum Jurisperiti facti ſunt, ſed Praetores & Conſules creati ſunt: unde illud Romae de Ventidio Baſſo, referente *A. Gell.* Lib. XV. Cap. IV. *mulos qui fricabat, Conſul factus eſt.* An propterea Praetura atque Conſulatus non amplius ambiretur nec optaretur? Abeant iſti jalemo frigidiores qui cum rationibus non poſſint, ſtultis cavillationibus Medicinam adoriuntur. Praeterea quid refert quosdam populos nunquam Jurisperitos admiſiſſe, uti de Luſitanis Anglisque affirmat *G. a Reies* Elys. Camp. Jucund. Quaeſt. I. §. 19. De Turcis aliisque populis Orientalibus docet *Canonher.* in Proleg. *Hipp.* Aphor. pag. 10. 23. & 106. Unde *Plato* olim jam dixit, auctore *R. a Caſtro* Lib. II Med. Polit. Cap. XII. *malae conſtitutae Reipublicae eſſe indicium, ſi multi in ea inveniantur Juriſconſulti.* Quo reſpexiſſe videtur *Colum.* in Praef. de R. R. *Nam ſine ludicris artibus atque etiam ſine cauſidicis olim ſatis felices fuere, futuraeque ſunt urbes.* & paucis interjectis haec de illis addit: *Sed ne caninum quidem, ſicut dixere veteres, ſtudium praeſtantius, locupletiſſimum quemque adlatrandi, & contra innocentes, ac pro nocentibus neglectum a*

majo-

majoribus, *a nobis etiam conceſſum intra moenia, & in ipſo foro latrocinium.* Quanta autem veterum Batavorum erga hoſce cauſarum patronos fuerit affectio, ſatis elucet ex eo, quod *Flor.* Lib. IV. Cap. XII. §. 37. poſtquam, narraverat Batavos Duce Arminio Varum Quintilium undique invaſiſſe, caſtra ejus rapuiſſe, tresque legiones oppreſſiſſe, ita pergit: *Nihil illa caede per paludes, perque ſilvas cruentius: nihil inſultatione barbarorum intolerantius, praecipue tamen in cauſarum patronos. aliis oculos, aliis manus amputabant: unius os ſutum, reciſa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, tandem, inquit, vipera, ſibilare deſiſte.* *Florus*, quod monendum, Batavos eo loco duntaxat Barbaros vocat pro more Italorum. Conf. quae habet Magnus Magni Patris filius Ampliſſimus hujus urbis Senator *Burmann.* in Analect. Hiſtor. de Hadrian. Sexto pag. 2. Ulterius neſcio revera quid detrimenti Jurisprudentia inde capere poſſit, quod *Cic.* pro Muren. Cap. XIII. dixerit ſe triduo JCtum fieri poſſe. & quod Cap. XII. plurima ingeniis JCtorum depravata aſſeruerit. Unde eorum munus exiguum vocat Lib. I. de Legib. Cap. IV. Nec refert, quod *Plut.* forum vocet ἀσεβῶν χῶραν, impiorum regionem, teſte *Tiraq.* de Nobil. Cap. XXIX. §. 7. Forum inſanum *Virg.* Lib. II. Georg. ỷ. 502.

Forum clamoſum *Senec.* in Herc. Fur. ℣. 172.

Hic clamoſi rabioſa fori
Jurgia vendens improbus, iras
Et verba locat. . . . .

Fraudis ſedes dicitur ap. *D. Laërt.* Lib. I. Segm. CV. Quare ei operam dare inutile ac turpe arbitratus fuit *Socrates* ap. Eund. *Di. Laërt.* Lib. II. Segm. XXX. Huc etiam pertinere videtur locus *Quintil.* Lib. XII Inſtit. Orat. Cap. I. *Non enim forenſem quamdam inſtituimus operam, nec mercenariam vocem, nec (ut aſperioribus verbis parcamus) non inutilem ſane litium Advocatum, quem denique Cauſſidicum vulgo vocant.* Lites rauci fori *Claudian.* Epigr. XXIX. ℣. 8. Ubi *Barth.* Cauſſidicinam vocat monſtrum tranquillitati adverſiſſimum. Porro ipſi Juriſconſulti a perpetuis concertationibus rauci dicuntur ap. *Mart.* Lib. IV. Epigr. VIII. Tanquam garruli & verboſi taxantur ab *Ovid.* Lib. III. Triſt. El. XIII ℣. 17. Rabulae forenſes appellantur a *Symm.* Lib. III. Epiſt. XXIII. Hinc cauſſidicum & rabulam junxit *Cic.* Lib. I. de Orat. Cap. XLVI. Ut rabula & latrator deſcribitur a *Quintil.* Lib. XII. Inſtit. Orat. Cap. IX. Quo ſenſu verbum latrare etiam reperitur ap. *Cicer.* Lib. III. de Orat. Cap. XXXIV. Hujus vocis ra-

bulae

bulae denominationem *N. Marcell.* a rabie deducit: *Rabula dicitur a rabie, quem nunc advocatum vel cauſarum patronum dicimus.* Conf. *Dacier.* ad *Feſt.* in Voce *Rabula.* & V. D. ad *Quintil.* Lib. XII. Inſt. Orat. Cap. IX. *Barth.* vero Lib. XXIX. Advers. Cap. V. potius a ravire deducit. Praeterea *Senec.* in Lud. de Mort. Claud. pag. m. 920. cauſſidicos cum vituperio venale genus vocat *Tac.* Lib. XI. Ann. Cap. V. ſcribit, quod nil quicquam publicae mercis tam venale fuerit, quam Advocatorum perfidia. & *Apul.* Lib. X. Metam. pag. 255. eos appellat viliſſima capita, forenſia pecora ac togatos vulturios. De quo loco *Rhodig.* Lib. VIII. Cap. XVIII. ita loquitur. *Propterea quodam loco Apulejus cauſſidicos & oratores forenſes probroſis inceſſens verbis, quod eis, ut Columella dixit graviſſime, conceſſum ſit in medio foro latrocinium, togatos nominavit vulturios. ut quibus praevaricari, reos prodere, vendere advocationes & ſanguinaria rapacitate homines excarnificare, frequentiſſime ſit moris.* Conf. *Auguſt.* Lib. I. Confeſſ. Cap. XVI. *Firmic.* prooem. Lib. IV. Aſtron. & *Salm.* ad *Pancir.* Lib. II. Rer. Memor. pag. 222. Imo quia nonnulli in foro ſoliti fuerunt rixari & optimum quemque more canum allatrare, locutio orta fuit Canina Eloquentia, quae reperitur ap. *Quintil.* Lib. XII. Inſtit. Orat.

Cap. IX. Canina Facundia ap. *Salluſt.* Lib. VI. Fragm. Cap. XI. & *Lactant.* Lib. VI. Divin. Inſtit. Cap. XVIII. §. 26. Plura de hoc rixandi more leguntur ap *Juret.* ad *Symm.* Lib. V. Ep. XXXIX. & V. D. ad *Quintil.* Lib. XII. Inſtit. Orat. Cap. I. De Advocatis etiam ſequentia reliquit *A. Gell.* Lib. II. Cap. XII. *Nunc autem pleraque, inquit, pars utriusque amici, quaſi probe faciant, duo litigantes deſtituunt & relinquunt; deduntque eos advocatis malevolis aut avaris, qui lites animasque eorum inflamment, aut odii ſtudio, aut lucri.* *Symmach.* Lib. I. Epiſt. XLIII. *Scis nempe in illo forenſi pulvere quam rara cognitio ſit facundi oris, & boni pectoris: dum aut modeſtum ingenium verecundia contrahit, aut ſucceſſu eloquens inſoleſcit.* Praeter quos vide, quae habet Clar. *Burm.* ad *Petron.* Cap. XV. Verum enim vero nemo acerbius in Jurisperitos atque Oratores invectus, eosque vehementius inſectatus fuit, atque perſtrinxit quam *Amm. Marcell.* in celebri illa digreſſione, quam fecit Lib. XXX. Cap. IV. Atqui animus nobis non eſt omnia haec dicta, nec non alia paſſim adverſus Advocatos evibrata, cum quibusdam malam in partem torquere, ſed potius de iis intelligenda ducimus rabulis, quibus praevaricari, reoſque prodere frequentiſſimi erat moris: unde nobili Advocatorum appellatio-

ne

ne indigni habentur, atque merito a veris Juris cultoribus diſtinguuntur. Videſis *Fer. Adduens.* Lib. II. Explic. ap. Cel. *Ott.* Tom. II. Thes. Jur. pag. 569. Tandem denique nolo hiſce ſubjungere, ne cum quibusdam malevolis hujus ſcientiae laudabilis obtrectatoribus ſtare videar, antiquos apud Romanos munus illud vile, abjectum atque contemptiſſimum fuiſſe, quod, qui in faſtigio dignitatum collati ſemel fuerant, ab eo ſeſe ſponte abdicarent, tanquam dignitati ſuae tenebras quasdam offundenti. Cujus rei exemplo eſt Hortenſius, qui poſt ſuum Conſulatum ſummum illud ſuum ſtudium agendarum cauſarum remiſit, quo a puero fuerat accenſus, ut docet *Cic.* illius contemporaneus in Lib. de Clar. Orat. Cap. XCIII. Ita quoque *Plin.* Jun. Lib. I. Epiſt. ad Pompej. Falconem ſcribit, ſe, cum Tribunus eſſet, abſtinuiſſe cauſis agendis: quod deforme arbitrabatur, cui aſſurgere, cui loco cedere omnes oportet, hunc omnibus ſedentibus ſtare: & qui jubere poſſet tacere quemcunque, huic ſilentium clepſydra indici: & quem interfari nefas eſſet, hunc etiam convicia audire: & ſi multa pateretur, inertem: ſi ulciſceretur, inſolentem videri. At egregie haec *Ciceronis Pliniique* loca explicavit, & Juriſconſultorum partes contra iſtos malevolos calummiatores defendendas ſuſcepit *Ti-*

raq. de Nobil. Cap. XXIX. Quocum ſtare nequaquam vereamur, cum nos non fugiat, eamque colamus ſententiam, quod officium advocationis laudabile vitaeque hominum neceſſarium ſit, L. IV. §. 1. Cod. de Advoc. Divers. Judic. Cauſſidicina honoris plena, L. VI. §. 6. Cod. de Poſtul. Advocatorum enim corpus ſeminarium dignitatum olim erat, teſte Clar. *Ott.* in Vit. Papin. Cap. XIV. §. 1. Cauſſidicinam ad bonam viam morum profuturam credidit *Symm.* Lib. V. Epiſt. XV. Civilis ſapientia res ſanctiſſima dicitur L. I. §. 5. D. de Extraord. Cogn. Ipſae leges ſacrae ſacratiſſimae vocantur. Vid. plura ap. *Rhodig.* Lib. XVIII. Cap. XIX. a *Juſtin.* Prooem. Inſtit. §. 2. L. IX. Cod. de Legib. Nec non juſtitiae cultores appellati ſunt ſacerdotes L. I. §. 1. D. de Juſtit. & Jur. Conf. *Car. Selvagh.* de Orig. Ethym. & Praeſt. Pand. ap. *Ott.* Tom. I. Thes. Jur. pag. 19. Domus Juriſconſulti totius civitatis oraculum *Cicer.* Lib. I. de Orat. Cap. XLV. Imo ubique pluribus aliis hi Themidos ſacerdotes ornantur Elogiis: nam ita dicti ſunt Viri ſummi a *Cicer.* Lib. I. de Leg. Cap. IV. Magnifici *Juſtin.* Prooem. Inſtit. §. 3. Peritisſimi *Lamp.* in Alex. Sever. Cap. LXVIII. Clarisſimi *Val. Max.* Lib. VIII. Cap. XII. §. 1. & *Symm.* Lib. V. Epiſt. XXXIX. Doctisſimi *Lampr.* in Alex. Sever. Cap. XV.

Eru-

Eruditisſimi *Cic.* Lib.I. de Orat.Cap.XXXIX. Maximi *Pompon.* de Orig. Jur. Lib. III. Cap. I. §. 35. Amplisſimi *Cicer.* Lib. I. de Orat. Cap. XLV. Splendidisſimi *Lampr.* in Alex. Sever.Cap.LXVIII. Illuſtres *Juſtin.* Prooem. Inſtit. §. 3. & 4. Nec non nominati fuerunt Excellentisſimi, Conſultisſimi, Prudentisſimi, Sapientisſimi, Nobilisſimi atque Honorati, docente *Franc. de Petris* JCto Neapol. Lib. Feſtiv. Lect. Cap. VII. pag. 80. & Clar. *Ott.* in Vit. Papin Cap. X. §. 1. Quod non mirandum, etenim ſic Parentes Imperatorum nuncupantur L. IV. Cod. de Locat. Conſiliatores *Capitol.* in Anton. Pio Cap. XII. & Anton. Philos. Cap. XI. & *Spartian.* in Adrian. Cap. XVIII. Principi enim judicanti ſemper asſidere ſolebant, *Rad. Forner.* Lib. IV Rer.Quotid. Cap. X ap. Cel. *Ott.* Tom. II. Thes. Jur. pag. 236. Conf. *Briſſon.* Lib. I. Sel. Antiq. Cap. XII. & *Wiſſemb.* ad Tit. D. de Adſeſſ. th. 24. Amici nomine inſigniuntur L. XVII. D. de Jur. Patron. Huic enim aſſertioni nihil obſtare poteſt, quod JCti ab amicis comitibusque Imperatorum ſejungantur a *Spart.* in Adrian. Cap. XVIII. *Quum judicaret, in conſilio habuit non amicos ſuos aut comites ſolum, ſed Juriſconſultos, & praecipue Julium Celſum* &c. Nam cum *Caranz.* de Part. Nat. & Legit. pag. 129. & V. D. ad *Spartian.* in Adrian.

Cap. XVIII. notamus, amicos Principis duo-
bus modis accipi, ita ut ea appellatione interr
dum duntaxat illi deſignantur, quos in do-
meſtica & interiori vita, privata amicitia ſib
junctos haberent: quo ſenſu *Spart.* h. l. intel-
ligendus eſt; ideo enim jungit, velut inter-
pretans, *aut comites.* Secundo erant & ali
Principibus dilecti, quorum conſilio regeban-
tur; & hi Juriſconſulti erant, proprio nomi-
ne a *Spartian.* appellati & deſignati, cum d
his & interioris vitae amicis ſimul ageret. Conf.
Salm. ad *Treb. Poll.* in Trig. Tyrann. Cap.
XII. Sed quid multa? Conſtat ab omni tem-
pore Romana in Republica Viros Nobiles ei
operam dediſſe, *Barth.* ad *Claud.* de Conſul.
Mall. Theod. ℣. 23. Quin imo pleroſque
JCtos fuiſſe Viros Conſulares, Cenſorios at-
que Triumphales docet *Rupert.* ad *Pomp.* de
Orig. Jur. pag. 303 Nec non tempore Cali-
gulae ex Equeſtri ordine fuiſſe oſtendit *Sam.*
Petit. Lib. I. Obſerv. Cap. X. Tandem Ad-
vocati creati fuerunt Rectores Provinciae, ſi-
ve, ut Imperatores loquuntur, Exconſulares
moderatores, L. IX. & XIII. Cod. de Adv.
divers. Judicior.

VII. Si vero ulterius Rhetores reſpiciamus,
ex illis quoque Lucium Otacilium Pilitum
ſerviiſſe ita vidimus, ut hoſtiarius veteri mo-
re in catena fuerit, donec ob ingenium ac

ſtu-

ſtudium litterarum manumiſſus accuſanti patrono ſubſcripſit; deinde Rhetoricam profeſſus Cn. Pompejum Magnum docuit, ut teſtatus eſt *Suet.* de Clar. Rhet. Cap. III. Ita etiam Aur. Opilius Epicurei cujusdam libertus ap. *Suet.* de Ill. Gramm. Cap. VI. Romae Philoſophiam primo, deinde Rhetoricam, noviſſime Grammaticam docuiſſe legitur.

VIII. Praeter hunc ultimum Opilium, qui praeterquam quod Rhetor etiam Grammaticus exſtitit, ſic quoque plurimi alii ex Grammaticorum turba nobis exhibentur, qui ſervi vel liberti fuerunt; nam ita ap. *Suet.* de Ill. Gramm. Cap. V. memoratur Saevius Nicanor Marci libertus. Cap. X. Attejus Philologus libertinus. Cap. XII. Cornelius Epicadius Lucii Cornelii Syllae Dictatoris libertus. Cap. XIII. Staberius Hiera libertus, Bruti Caſſiique praeceptor. Cap. XV. Lenaeus Pompeji. Magni libertus. Cap. XVI. Quintus Caecilius Epirota libertus Attici Satrii Equitis Romani. Cap. XIX. Scribonius Aphrodiſus Orbilii Servus. & Cap. XX. Cajus Julius Higinus Auguſti libertus. Huc facit locus *Plin.* Lib. VII. H. N. Cap. XXXIX. *Pretium hominis in ſervitio geniti maximum ad hanc diem (quod equidem competerem) fuit Grammaticae artis Daphnidis, Cn. Pi-*

ſaurenſi vendente, & M Scauro principe civitatis IIIMDCC. *ſeſtertiis licente.* Plura de ſervis Grammaticis tradidit *Pignor.* de Serv. pag. 232. Attamen contra hi Grammatici etiam gloriari poſſunt Pertinacem Romanorum Imperatorem Grammaticen profeſſum fuiſſe, *Capitol.* in Ejus Vita Cap. I.

IX. Accedimus ad illam ſcientiam, cujus Profeſſores varias Graecorum Respublicas non tantum adminiſtrare, *AElian.* Lib. III Var. Hiſt. Cap. XVII. & Lib. VII. Cap. XIV. Verum etiam leges praeſcribere ſolebant, ut praeter *D. Laërt.* in Vit. Philos. docet *Petit* Lib. IV. Obſerv. Miſc. Cap. V. Imo ipſa ſcientia omnium artium laudatarum procreatrix atque parens ab hominibus doctiſſimis judicatur, teſte *Cicer.* Lib. I. de Orat. Cap. III. Donum inventumque Deorum ab eod. *Cicer.* vocatur Lib. I. Tuſcul. Quaeſt. Cap. XXVI. Et nullum munus generi humano majus aut melius a Diis datum credidit *Cic.* Lib. XV. ad Famil. Ep. IV. & Lib. I. Acad. Quaeſt. Cap. II. Non immerito igitur huic Philoſophiae ſtudio tam vehementer operam dedit Imperator Marcus Antoninus, ut inde Philoſophus cognominatus fuerit: haec enim memoratu dignisſima de illo Imperatore ſcriptis reliquit *Capitol.* in Ejus Vita Cap. III. *Tantum autem ſtudium in eo Philoſophiae fuit, ut adſci-*

adſcitus jam in Imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii diſcendi cauſa veniret. Paulo poſt: *Peripateticae vero ſtudioſos audivit Claudium Severum, & praecipue Junium Ruſticum. quem & reveritus eſt & ſectatus: qui domi militiaeque pollebat, Stoicae diſciplinae peritiſſimum, cum quo omnia communicavit publica privataque conſilia: cui etiam ante Praefectos Praetorio ſemper oſculum dedit: quem & Conſulem iterum deſignavit, cui poſt obitum a Senatu ſtatuas poſtulavit. Tantum autem honoris magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac ſepulcra eorum aditu, hoſtiis, floribus ſemper honoraret.* Verum enim vero quamvis, dico, hoc Philoſophiae ſtudium tot laudibus feruit elatum, & qua nil magis colendum aut virtute divinius cenſetur a *Cicer.* Lib. IV. de Finib Bon. & Mal. Cap. XXII. tamen plurimi Philoſophi fuerunt, qui ſervi fuere: etenim ſic Pompylus Theophraſti ſervus Philoſophus fertur ap. *D. Laërt.* Lib. V. Segm. XXXVI. Phaedon Elienſis ſerviiſſe legitur ap. Eund. *Laërt.* Lib. II. Segm. CV. Ad quem locum *Menag.* etiam annotat non paucos fuiſſe ſervos, qui poſt Philoſophi clari exſtiterunt. Sed ne longis oberremus ambagibus unicum *A. Gell.* locum Lib. II. Cap. XVIII. adducam, quem propter egregia ad rem noſtram facientia hic deſcribere non pige-

pigebit. haec ejus ſunt verba: *Phaedon Elidenſis ex cohorte illa Socratica fuit; Socratique & Platoni per fuit familiaris. Ejus nomini Plato illum librum divinum de immortalitate animae dedit. Is Phaedon ſervus fuit forma atque ingenio liberali, &, ut quidam ſcripſerunt, a lenone domino puer ad merendum coactus. Eum Cebes Socraticus hortante Socrate emiſſe dicitur, habuiſſeque in* Philoſophiae *diſciplinis. Atque is poſtea* Philoſophus *illuſtris fuit; ſermonesque ejus de Socrate admodum eleganter leguntur. Alii quoque non pauci ſervi fuerunt, qui poſt Philoſophi clari exſtiterunt. Ex quibus ille Menippus fuit, cujus libros* M. *Varro in Satiris aemulatus eſt : quas alii* Cynicas, *ipſe appellat Menippeas. Sed & Theophraſti Peripatetici ſervus* Pompylus, *& Zenonis Stoici ſervus, qui* Perſaeus *vocatus eſt, & Epicuri, cui nomen Mys fuit,* Philoſophi *non incelebres vixerunt. Diogenes etiam Cynicus ſervitutem ſervivit: ſed is ex libertate in ſervitutem venum ïerat: quem quum emere vellet Xeniades Corinthius, & quid is artificii noviſſet percunctatus; Novi, inquit Diogenes, hominibus liberis imperare. Tum Xeniades reſponſum ejus demiratus emit & manumiſit; filiosque ſuos ei tradens, Accipe, inquit, liberos meos, quibus imperes. De Epicteto autem* Philoſopho *nobili, quod is quoque ſervus fuit, recentior eſt memoria, quam ut ſcribi quaſi oblitera-*

teratum debuerit. Quae omnia ferme verbotenus etiam reperiuntur ap. *Macrob.* Lib. I. Saturn. Cap. XI. In quo Capite aſſerit *Sortem ſervorum non eſſe contemnendam, cum & Dii horum curam gerant & multos ex his fideles, providos, fortes, & Philoſophos quoque fuiſſe conſtet.*

X. Ultimo denique ſequuntur Poëtae, quorum primi ac praecipui, qui unquam exſtiterunt, ſervilis conditionis fuerunt; quos nec enumerare ſingulos, nec praeterire cunctos, ſed potiores & maxime praecipuos in medium producere fert animus. Ita primo nobis obviam venit Statius Caecilius, poſtea Caecilius Statius nominatus, Poëta Comicus, Ennii contubernalis, qui ſervus fuit: unde Statii nomen, quod apud veteres ſervile erat, accepit, teſte *A. Gell.* Lib. IV. Cap. XX. Conf. *Borrich.* Diſſ. I. de Poët. Lat. §. 5. Publius Terentius Afer ſcriptor; ut ad nomen alludamus, adoleſcentibus noctu diuque terendus, Romae Terentio Lucano Senatori ſerviit, *Suet.* in Ejus Vita. Horatius Vates ille Venuſinus etiam ex patre libertino natus fuit, ſicuti ipſe, praeter *Suet.* in Ejus Vita, narrat Lib. I. Sat. VI. ℣. 45.

Nunc ad me redeo Libertino patre natum;
Quem rodunt omnes Libertino patre natum.

Conf.

Conf. *Maſſon.* Vit. Horat. pag. 4. Phaedrus Thrax, cultiſſimus AEſopicarum fabularum ſcriptor, Auguſti libertus fuit, uti clare apparet ex ipſa ipſius operis fronte, in qua *Libertus Aug* vocatur. Inſpiciantur *Voſſ.* de Poët. Lat. Cap. II. pag. 38. & *Scheffer.* Vit. Phaed. Edit. Magni *Burm.* praef. Agmen claudebit Satirorum facile princeps Juvenalis, Martialis familiaris, qui an filius an vero alumnus liberti fuerit, dubitat *Suet.* in Ejus Vita. Plura de veteri Poëtarum ſtatu habet *Gron.* ad *A. Gell.* Lib. XI. Cap. II. & *Falſter.* Lib. III. Quaeſt. Rom. Cap. III. quaeſt. 3.

XI. An igitur inde, L. H. hiſce omnibus rite perpenſis, ulla conſequentia haberi poteſt, quae Nobiliſſimis his memoratis ſcientiis obeſſe queat, quoniam aliqui ſervi fuerunt, qui eas excoluerunt? Certe nunquam quis integrae mentis id affirmare audebit; nam eo facto, quod ſcientia quaedam, ut V. Gr. Medicina, quia in ea unus aut alter ſervus, quod concedimus, floruerit, ſit illiberalis, tunc revera nulla ſcientia dicenda ſit liberalis atque homini ingenuo digna, veluti ex allatis in §. praecedentibus concludere poſſumus. Quin imo tunc etiam munera, quae hodie maximi pretii habentur, & a ſummis Viris ac Principibus ambiuntur, duntaxat erunt munera illiberalia & ſervis propria, quia in Aulis pri-

orum

orum Imperatorum ea ſervis ac libertis demandata fuerunt. Ex. Gr. ita ſunt, qui Imperatoribus ab Actis, *Reines*. Cl. XI. Inſcr. LIX. & *Nep*. in Vit. Eumen. Cap I. Ab Epiſtolis, *Grut*. Pag. DLXXXVI. n. 5. & 6. A Rationibus, *Reines*. Cl. XI. Inſcr. XXIV. A. Libellis, *Grut*. Pag. DLXXXVII. n. 7. A. Diplomatibus, *Reines*. Cl. VI. Inſcr. XIII. A. Veſte, *Gruter*. Pag. DLXXVII. n 6 Nec non a Cubiculis fuerunt, *Gruter*. Pag. DLXXVII. n. 5. Videſis *Popm*. de Oper. Serv. pag. 33. & *Pignor*. de Serv. pag. 480. Quod Cubiculariorum munus poſtea, ut & hodie, tantae auctoritatis atque dignitatis fuit, ut hinc in Cod. Juſtin. titulus ſit de Praepos. Sacri Cubic. Etenim, cum olim tres gradus ad dignitatem in Aula eſſent, Theodoſius Imperator in gratiam Macrobii conſtituit, ut omnes Cubicularii ſecundum obtinerent gradum, atque ejusdem dignitatis eſſent, cujus Praefectus Praetorii, Urbis &c. erant, ut patet ex L. Theod. Junior. Cod. Theod. de Praepos. Sacr. Cubic. Conf. *Alſtorph*. de Lect. Veter. pag. 61. An ergo hi, qui hodie illud munus gerunt, dici poſſunt agere munus illiberale? Revera nulla indiget refutatione & potius ridendum puto; quare etiam neminem ſanae mentis eſſe arbitror, qui mecum non conſentiat, planeque ſtatuat argumenta eorum, qui Medi-

Medicinam tantum ſtudium illiberale conten-
dunt, omnino calumnias atque nugas ad An-
ticyras relegandas, vel ad incolas Lunae ex-
lio pellendas eſſe; quum hi cum Mercurii
ap. *Ovid.* Lib. XI. Metam. ℣. 315.

Candida de nigris & de candentibus atra

dicere non vereantur.

TANTUM.

INDEX RERUM.

A.

A Graecum mutatur in l Latinum 246.
Achilles medicinae adeo peritus 233. Ut eam alios docuit 234. Poſt mortem Deus cultus 233.
Adam medicinam a Deo edoctus 4.
Adrianus Imperator medicinam ſtuduit 347.
Advocatorum corpus ſeminarium dignitatum 518.
AEgri antiquitus in viis publicis exponebantur 57. Pro ſanitate recuperanda in Deorum templis cubabant 61.
AEgyptii medicinae inventionem male ſibi adſcribunt 7. Medicinam inter ſacras diſciplinas habuerunt 161, 428. In plurimas partes habebant diſtinctam 483. Eorum Reges medici 222 ſeq. Sacerdotes 426. Ex quibus Reges eliciebantur. 428.
AEmilii Macri aetas 351. Familia 353. Ante obitum militiam ſequutus ib. Mors 354. Medicus fuit 357. Quaenam ſcripſit ib. An libellus, qui ejus nomine circumfertur, ei eſt adſcribendus 358. Negatur 360. Editiones iſtius opuſculi 362. Ab alio Macro Iliacorum ſcriptore diſtinguitur 355. Diverſi iſtius nominis viri illuſtres 353, 357.
AEſculapii nomen a voce Hebraica deducitur 225. Cujus filius 24. A quibus medicinam didicit 25. Mortuos reſuſcitaſſe dicitur 26, & 143. Primus medicinam gymnaſticam commendavit 28. Clinicen inſtituit 29. Poſt mortem inter Deos relatus ib. Cur fulmine ictus 31. Quomodo illud intelligendum 32. Deinde intra aſtra

ſub Ophiuchi nomine poſitus 36. Elogia 37. Quotannis ei ſacrificatum 38. Ejus in honorem ludi ſunt habiti ib. Statua ejus Romae ſervatur 40. Cur ſcipionem tenet 446. AEgros in ſomno de morborum medelis monebat 66. Cur in ejus templo ſomni ſignum poſitum 67. Ut medicinae Deo ei vota ſoluta 84. Ejus in templo Pergami Eurypylum nominaſſe quare nefas erat 240. Collegium LX. virorum Romae habuit 468.

Agrippa Judaeorum Rex medicinae gnarus 210.

Agrippae de vanitate ſcientiarum ſcriptoris aetas 123.

Alcestis fabula explicata 232.

Alexander Magnus medicinam intellexit 242.

Alphenus JCtus ab alio iſtius nominis JCto diſtinguitur 511. Honores & conditio ib.

Amici Principum de quibus ſumendum 519.

Angliae Reges epilepſiam curare dicuntur 65.

Animalia plurima remedia atque herbas nos docuerunt 46, 49.

Annuli aurei jus ab Auguſto medicis datum 170. Quod ſolis Equitibus competebat ib. Nec non ante Auguſti tempora medicos annulos geſtaſſe oſtenditur 171.

Antiochus Syriae Rex medicinam novit 248. Ejus Theriaca in limine aedis AEſculapii inciſa 94.

Antonius Muſa male cum Marco Artorio confunditur 324. Graecus fuit 327. Ingenuus dicitur ib. Feliciter Auguſtum curavit 328. An Marcellum eodem, quo Auguſtum modo, curavit 331. Praemia ac honores 170, 328. Scripta 334. Libellus de herba Betonica male ei tribuitur 335.

Apollo nomen a medendo habere dicitur 21. Medici

dicinam praeſes 19, 83. Templum ei Romae erectum 22. Cur in nummis Gallieni conſervator audit 23. Simulacrum 24. aegris in ſomno remedia oſtendebat 66.

Apuleji Celſi patria 415. AEtas 414. Male habetur auctor libri de viribus herbarum ib.

Apuleji Madaurenſis patria 408. Familia 410. AEtas 411. Nomen an per duplex *p* ſcribendum 409. De ejus praenomine Lucius 410. Effigies quomodo depingitur 412. Medicus fuit ib. Scripta 413. Libellus de viribus herbarum an ei tribuendus ib. ſeq. Editiones 416.

Arabus Apollinis filius medicinam inveniſſe fertur 19.

Archiepiscopi medici 151, 422.

Ariſteus Arcadiae Rex medicis accenſetur 235.

Ariſtotelis patria 300. Familia ib. Peritia medica 301. Honores 308. Elogia 309. Omnium primus Bibliothecam conduxit 310. Scripta 304. Unde ejus libri ſaepius tot mendis ſcatent 310. Editiones 311.

Artorius ab Antonio Muſa diverſus 323. ſeq. Aſclepiadis ſectator 324. Nomen 325. Medicus & Amicus Auguſti 464. Quando mortuus 325.

Aſclepiadae familiae ſcientia medica ſacra 100, 301.

Aſclepiadis AEtas 319. Patria ib. Mortuos reſuſcitavit 143, 320. Auctoritas 321. Honores ib. Magnificum ejus ſepulcrum ib. Scripta ib. Plures iſtius nominis viri 319.

Athenas Romani ſtudiorum ergo petere ſolebant 501. Elogia 503.

Athenienſes a medicina ſervos & foeminas arcebant 165, 431.

Athoſtas AEgyptiorum Rex Medicus 222.

Attalus Philometor medicinae amans 244. Plurima

ſcripſit 245. An recte Attalus & Philometor uti duo diverſi diſtinguuntur ib.
Auditus gravitas in ſenibus unde? 200.
Auguſtus Imperator inter medicos ponitur 346.
Auſonius vir nobilis & Valentiniani Senioris archiater 420. Duos habuit filios etiam medicinae conſecratos 421.

B.

Bacchus medicus 17. Vota ei pro ſalute nuncupata 18. An idem ac Oſiris ib. In ejus templo ſomnia capiebantur 66
Barbarius Philippus 509.
Baſſus vid. Julius Baſſus.
Batavorum odium erga cauſarum patronos 513.
Brahmae ſub nomine Indi Pyhagoram colunt 266

C.

Cachexia in ſenibus unde? 193
Calor hominis ſani quantus 120.
Calvitium ſenum unde dependet 204
Camelus Auguſti medicus 329.
Canina Eloquentia, unde iſta locutio orta 515
Canities ſenectutis ſignum 202. Senibus magno honori fuit 203. In re vero amatoria non tanti facta ib. Cauſa canitiei 204.
Cardinales medici 422.
Caſſius medicus ingenioſiſſimus 364. AEtas ib. An Auctor eſt Problematum medicorum 365. Eorum editiones 366. Diverſi Caſſii memorantur ib.
Caſtor medicinae praeeſt 86

Caſta

Caſus fortuitus quid medicinae praeſtitit 44.
Catharri nomen quando notum 116. Unde ſenes iis tantopere ſubjecti 189.
Cato Cenſorius medicus 348. Scripta 349.
Catulli patria 403.
Cauſſidicina ad bonam viam morum profutura dicitur 518.
Celſi nomen 370. Patria 373. AEtas 375. Medicus fuit & medicinam fecit 376. Elogia 380. Scripta 381. Quanti habita 385. Male illi quae iſtac Epiſtolae ad C. J. Calliſtum & ad P. Natalem tribuuntur 381. Octo ejus libris, quos hodie habemus, olim praegreſſi fuerunt quinque libri de R. R. 384. Editiones 386. Celſi nominis plurimi viri illuſtres 371.
Cerebri valde indurati exemplum 201.
Chaldaei iidem ac magi 426.
Charicles medicus & amicus Tiberii 465.
Chiron Medicinae inventor 231. Unde ipſi primitiae oblatae ib. cur ſemi-equus pingitur ib. Ejus diſcipuli ib. ſeq.
Chirurgi & medici antiquitus iidem 475. Deinde vero fuere diſtincti 476, 481, 488. Qui apud Romanos per chirurgos intelligendi 472, 474. Medicorum carnifices dicti 481. Diverſi Chirurgi enumerantur 490.
Cicero medicinae gnarus 350.
Claudius Imperator medicis annumeratur 347.
Clinicen medicinam inſtituiſſe dicitur AEſculapius 29. Hippocrates 99.
Clyſteris uſum docuit Ibis avis 46.
Coi Dorica lingua utebantur 290.
Coitus eſt parva epilepſia 285.
Colocynthidis vis quomodo emendanda 216.

Conſtantinus IV. Imperator medicinam fecit 348.
Cotterius medicus ampliſſima dona a Ludovico XI. accepit 153.
Crateri aetas 322. Ejus fama ib. diverſi iſtius nominis viri ib.
Credere ſe medicis propria eſt aegrorum locutio 443.
Cubicularii primo ſervi 527. Deinde plurimae dignitatis ib.

D.

Damnare pro culpare, improbare 126.
Decemviri legibus ſcribendis quando creati 497.
Democedis medici honores & praemia 162.
Democriti patria 278. AEtas ib. Familia ib. Divitiae 279. Honores ib. Medicus fuit 280. Nec non legiſlator 432. Ejus cum Hippocrate colloquium 281. Scripta 282, 286. Ei aliqui tribuuntur libelli, qui hodie inter Hippocratis opera exſtant 283.
Depoſitus pro deſperatus 58.
Deus medicinae auctor 2, 137. Aliquem ſanitati reſtituturus id per media efficere voluit 133.
Diocles medicus 335.
Diodotus medicus 399. iſtius nominis diverſi 400.
Dionyſius Siciliae Rex medicus 242.
Dona quae poſt recuperatam ſanitatem Diis ſuſpendebantur, plerumque erant partis affectae imago 86 ſeq. Eorum materia ib. Aliquando etiam aliarum rerum ſimulacra donabantur 89, 94 Chriſtiani quando iſtum gentium morem aemulati 91.
Dormire a δέρμα 72.

Dyſuria in ſenibus unde? 209.

E.

Eliſaeus Propheta medicus 215.
Empedoclis aetas 273. Medicus 274. Mortuos fertur reſuſcitaſſe 143. Honores 277. Male ei tribuitur Libellus de Sideribus Octavi Orbis 274.
Epiſcopi medici 422.
Eraſiſtrati patria 314. Cujus filius ib. Elogia 315. Praemia 150. Nobilis curatio, qua Antiochum ſervavit 315. Quando illa accidit 318. Scripta ib.
Eſaias Propheta medicus 217.
Eſdra Propheta medicus ib.
Evax Rex Arabum, qui de lapidibus ſcripſiſſe dicitur 229. An unquam in rerum natura fuit 228.
Eventus haud praeviſus in medicina quid? 49.
Eudemus medicus & amicus Liviae Auguſti uxoris 465.
Eudoxus medicus & legiſlator 432.
Euridices fabula, qua ab inferis revocata fertur, quomodo explicanda 254.
Euſebius Pontifex Maximus medicis annumeratur 422.

F.

Foemiae apud Athenienſes a medicina arcebantur 165. Podagra olim caruiſſe dicuntur 1.6. An ſemen prolificum in coitu emittunt 270.

G.

Galeni patria 338. AEtas 339. Parentes ib. Nomen 340. Praemia 150. Poſt mortem Deus habi-

habitus 159. Honores 170, 340. Elogia 341. Effigies ubi reperitur ib. Mors ib. An unquam morbo laboravit 342. Scripta 343. Editiones ib. Vitam ejus qui ſcripſerunt 345.
Galliarum Reges ſtrumas ſanare feruntur 65.
Gentius Illyriorum Rex herbam Gentianam invenit 249.
Gnebed verbum Hebraicum, quod *Genes.* Cap. L. ℣. 2. per ſervum vertitur, quomodo capiendum 430.
Grammatica quando Romae incepit doceri 505.
Grammatici ſervi 521.
Graeci medici 231.
Graecia duplex 498.
Graeca lingua Romanis familiaris 391, 458.

H.

Hammon AEgyptiorum Rex medicinae peritus 222.
Harpocrates cur Serapidi atque Iſidi plerumque comes datur 35.
Hebraei medici 181. ſeq. Viri nobiles 425.
Hedera vino reſiſtit 17. Baccho ſacra ib.
Helleborus ab inventore Melampodium denominatur 251.
Hercules medicus 231. Plures invenit herbas 232. Cur Alexiacacos dictus ib.
Hermes Triſmegiſtus quis? 7. An unquam exſtitit 8. Medicus 11. Sanitati praeeſſe dicitur 12. Quid Eruditi de ſcriptis, ei hodie attributis, judicant 13. Ei vota ſoluta 80.
Herodoto falſo adſcribitur Libellus de Vita Homeri 261.
Heroes olim medicinam exercebant 42, 234.

Heſio-

Heſiodes medicus 262. AEtas ib. Effigies ubi habetur ib. Libellus de ejus certamine cum Homero eſt poſterioris temporis 263.
Hetruriae Magni Duces a Medicis originem habent 423.
Hippocratis familia 286. Cum Democrito colloquutus 281. Medicinam Clinicen inſtituit 99. Unde tantam hauſit medicinae ſcientiam 100. A furti crimine liberatur 101. Graeciam a peſte liberavit 156. Honores 155. Elogia 288. Effigies 158. Quare Jonica nec Dorica lingua ſcripſit 290. Scripta 291. 334. Editiones 292. Quis ejus vitam compoſuit 293.
Hippolyti fabula explicata 28.
Hiskiae morbus quomodo ſanatus 133.
Hiſtoriam quis primum apud Romanos ſcripſit 505.
Homeri patria 260. AEtas ib. Medicus 257. Elogia 256. Honores 259. Ἀποθέωσιν poſt mortem adeptus 258. Scripta quanti habita 257. Libellus de ejus Vita male Herodoto tribuitur 261.
Honor pro munere 147.
Honores medicorum 159. ſeq.

I.

I Latinum mutatur in Graecum A 246.
Jaſon medicus dicitur 235. Unde nominatus ib.
Jeſus Syrach medicinae peritus 218.
Imperare an de medicis, an vero de aegris dicitur 435. ſeq. Medicis proprium eſt 439. Quomodo intelligendum, ſi aliquando de aegris ſumatur 447.
Imperatores medici 347, 348.
Incubare pellibus quid notat 62.

Incurvatio dorſi in ſenibus unde fit 205.
Indi medicinam plurimi fecerunt 146.
Inſcriptio apud Tomaſinum notata 78. 81. Apud Gruterum 82. Contra Boxhornium defenſa 85. Contra Bartholinum 87. Apud Reineſium notata 169.
Inſtinctus naturalis quid medicinae praeſtitit 45.
Joannes XXII. Pontifex Romanus medicus 423. Theſaurum pauperum ſcripſit ib.
Jovi ſoli ſedere proprium non erat, verum etiam aliis Diis 34.
Iſchuria ſenum unde? 209.
Iſis a Mercurio erudita 14. Varia invenit remedia ib. Nam medicinae Dea habita fuit 80. AEgri in ejus templo ſomnia captabant 63. Navigii praeſidem quoque fuiſſe ex nummis oſtenditur 15.
Juba Mauritaniae Rex de Euphorbio ſcripſit 227. Cujus inventio ei immerito tribuitur ib. Scripta 228.
Jubere dicuntur medici 438.
Judices ex libertinis electi 510.
Judicium in ſenibus unde perit 188.
Julis ſive *Julias* quaenam urbs 314.
Julii Baſſi aetas 367. Nomen 368. Medicus 367. Diverſi Baſſi recenſentur 368.

Juriſconſulti ſaepius medicorum ope indigent 144. In Academia Oxonienſi medicis poſthabiti 164. Apud quasdam gentes non admiſſi 512. Ab Auguſto primum de jure publice reſpondendi facultas illis data 507. Reſcribere per eos Imperatores ſolebant 510. Quae illis objiciuntur, non ſunt intelligenda de veris juris cultoribus, ſed de rabulis iſtis forenſibus 516. Nam ejus Sacer-

dotes

dotes fuerunt viri illuſtres ſummisque Elogiis ornati 518. Quamvis inter eos etiam numerantur ſervilis conditionis. 510.

Juriſperitia quando ad Romanos pervenit 496. Semper honoris plena habita 518.

Jus civitatis a J. Caeſare medicis datum 168. Qui inſignis honor ib. Jus plurium civitatum ſimul illis conceſſum 169.

Jusjurandum medicorum 35, 454.

L.

Lacedaemoniorum leges Romani an deſcripſerunt 498.

Lactuca an in coenis ante Auguſti tempora Romanis uti licitum fuit 329.

Leges quando apud Romanos conſcriptae 497. Quorum populorum leges deſcripſerunt 498.

Legumlatores olim etiam medici erant 432. Nec non philoſophi 522.

Lepra viperinis carnibus curata 49. Alia ejus cura 216.

Libertini judices creati 510.

Libertis poſtulare conceſſum 510. Liberti medicorum 471.

Libri cur muti magiſtri dicti 450.

Lucas Euangeliſta medicus 219. Eorum patronus ib.

Lyſimachus Pergami Rex inter medicos recenſetur 243.

M.

Macer vid. AEmilius Macer.

Machaon AEſculapii filius 236. AEque Graecis

cis in bello Trojano arte medica ac armis multum profuit ib. Fratre Podalirio natu major fuit 237. Per excellentiam pro quovis medico ponitur 238. Cur a Virgilio primus dictus ib. Chirurgiam praecipue excoluit 239. Ut medicinae deus cultus 159. Honores 170, 239. A. quo interfectus 240. Effigies ubi exſtat ib.

Magus quid prima ſignificatione denotat 426. Iidem ac Babyloniorum Chaldaei & AEgyptiorum Prophetae ib. Quaſi homines ſacri habiti 427. Ex ſanguine regio orti ib. Medicinae addictiſſimi fuerunt 428.

Mandragorae vis ac uſus in regionibus calidis 135.

Marbodei aetas 230. An auctor Libelli de Lapidibus Pretioſis dicendus ib.

Marcelli Auguſti nepotis mors 333.

Marcellus medicus quando floruit 394. Plurima ſua ex Scribonio deſumſit 390.

Medicamentorum vires olim in maleficis explorabantur 56. Hominis uſui creata 130. Deorum manus vocata 131.

Medicae artis profeſſio familiae Aſclepiadae ſacra 100.

Medicinae incunabula a mundi origine computantur 5. Inventio adſcribitur Diis 6. Ratio 41. Quid medicinae originem dedit 44. Augmentum 52. Antiquitus tantum fere Chirurgica erat 54. Praeſtantia 143. Neceſſitas 112. An medicina quidam populi carere potuerunt 113. An eſt neceſſaria, quum terminus vitae ſit fixus 128. Uſus 139 Encomia 140. Sola gloriatur ſuos profeſſores coelum meritos 159. Inter ſacras diſciplinas ab AEgyptiis habita 161. Ad eam olim nec foeminae nec ſervi nec ſpurii admittebantur

tur 165. Heroës & Deorum filii facere ſolebant 42, 234 Inter artes liberales habetur 431, 459. Cur a Virgilio Ars Muta vocata 449. Cur a Romanis initio Graecis fuit commiſſa 495. Quando in tres partes diviſa 475. Apud AEgyptios plurimas in partes diviſa 483.

Medici ſi mortuos reſuscitaſſe dicuntur, quomodo capiendum 27, 232, 254, 275. An unquam Roma expulſi 123. Negatur 125. Praemia 145, 150. Numerus eorum certus in quacunque urbe fuit 145. Stipendia habuerunt juſta 146. Quae apud Romanos maxima fuerunt 148. Neceſſitas in jure 144. Divitiae 154 Honores 159. Auctoritas apud Locros Epizephyrios 160. Eorum nomina deorum imaginibus adjuncta 161. Ducibus ac Vicariis aequiparati 163. In Saxonia Quaeſtori Electorali praelati ib. In Academia Oxonienſi JCtis 164. Privilegiis nobilium gaudent ib. Jus gladii illis competit 165. Jus civitatis a Caeſare illis datum 168, 459. Statuae erectae 170. Privilegia eorum 172. Sacro-ſancti 176. Eorum filii atque uxores quoque immunes 176. Ipſis regibus imperare dicuntur 180. Unde illis iſtud conceſſum 181. Nulli poſtponendus dicitur 449. Loquax eſſe non debet 450. Cum ſummis Principibus amicitiam coluerunt 463. Profeſſoribus junguntur 461. Prima civitatis munera geſſerunt 465. Quomodo intelligendum ſi quis medicus ſervus fertur. 507. Ipſi medici ſuos habebant ſervos atque libertos 471. Clinici a Chirurgis ac Pharmacopaeis diſtincti 474. Vocabulum medicus generale aeque clinicum ac chirurgum denotans 478. 482. Hinc ſaepius addito Epiteto diſtinguuntur 484.

Me-

Medulla Spinalis qua ratione funiculus argenteus appellatur 208.
Melampus inſignis medicus 250. Honores 159, 251. Scripta, quae ejus nomine habemus, non ſunt vera 253.
Memoria experimentorum medicinam valde auxit 52.
Mercurius vid. Hermes Triſmegiſtus.
Minerva medicinae praeſes 85. Quare in Inſcriptionibus *Memor* vocatur ib.
Mithridates Rex medicinae curioſus 247. An rectius Mithradates nuncupatur 246.
Moyſes medicus 211. Chemiae peritus ib. Quomodo vitulum aureum diminuit 212.
Molere inter venerea vocabula recenſetur 198.
Molitionum ſpecies 197.
Morbi mortalibus coaevi 5, 115. Propter aëris viciſſitudines 117. Alimenti naturam ib. Potulenti naturam 118. Corporum irruentium vim ib. Actiones vitae 119. & Fabricam compagis humanae 120. Morbi luxuria inducti 54.
Muta res pro ignobilis res 449.
Myopi, unde fit, quod in ſenio caligine oculorum non laborant 196.

N.

Necepſus AEgyptiorum Rex medicus 225.
Neceſſitas experiendi medicinae augmentum dedit 52.
Nicolaus V. Pontifex Maximus medicus 422.
Niger vid. Sextius Niger.
Nobilis pro celebris, famoſus 294, 312.
Nummus Abonoteichitarum explicatus 25. Augusti

guſti 79. Caracallae 36. Commodi 79. Gallieni 23. Iſidis 15. Smyrnaeorum 33. ſeq.

O.

Oculus plurimis morbis ſubjectus 42. Oculorum morbis fel piſcis Callionymi conducit 136. Lippitudo oculorum ſaliva hominis jejuni curatur 137. Caligo oculorum in ſenibus unde dependet 194. In oculorum inflammatione V. S. adhiberi caprae docuerunt 46.

Olympus medicus & amicus Cleopatrae 464.

Oratores quando Romae orti 504.

Orpheus medicinae peritus 254. Pro Deo poſtea cultus 253. A magiae crimine abſolutus 255. Plurima ſcripſit 254. Quid Eruditi de ejus ſcriptis judicant 255.

P.

Paeoni medicinae inventio tribuitur 40. Quis fuit 41.

Paracentheſin inſtituere docuit Caſus fortuitus 44.

Parietariam calculum mederi canes indicarunt 47.

Paulus Apoſtolus medicus 220.

Paulus II. Pontifex Romanus inter medicos ponitur 422.

Peleus Achillis pater medicus dicitur 235.

Perſarum Regibus menſae accumbere raro alicui conceſſum 162 Nemo apud illos Rex creari potuit, ni prius Magus fuiſſet 427.

Petronius medicus 399. Qui male Petronius Arbiter putatur ib. De Petronio Diodoto ib. de Petronio Nigro 400. Petroniorum gens nobiliſſi-

liſſima 401.
Petrus Apoſtolus medicinae haud imperitus 221.
Pharmacopaei a medicis fuere diſtincti 492. Ab hiſce medici medicamenta praeparata emebant 480.
Philippus Acarnan ex nobili familia ortus 311. Alexandrum feliciter curat 312. Honores ib. Idem dicitur, quem Celſus Epiroten Antigoni Regis medicum vocat 313.
Philoſophiam quando Romani receperunt 505. Ejus laus 522. Olim cum medicina arctiſſime conjuncta 267. Quomodo & quando ſeparata 268.
Philoſophus quis primus dictus 265. Antiquitus ſimul erant legumlatores 522. Servi plilofophi 523.
Phrenitidem V. S. curari quis docuit 44.
Pingendi ars cur muta dicta 450.
Platonis aetas 294. Familia ib. Apollinis filius & e virgine natus creditur 298. Cur Plato, cum prius Ariſtocles, dictus fuerit 295. An in itinere commercium cum Judaeis habuit ib. Scientia medica 296. AEque medicus ac legiſlator fuit 432. Elogia 297. Honores 298. Natalis ejus quotannis ab Academicis celebrata 299. Sacrificia illi oblata ib. Effigies ubi reperitur 300.
Plethorae V. S. conducere Hippotamus docuit 46.
Plinii Secundi aetas 401. Patria 402. Vir illuſtris 403. Medicinae peritus ib. Eruditorum de Plinio ejusque H. N judicia 404. Iſtius H. N. Editiones 406. An auctor dicendus Libelli de Re Medica ib.
Plinius Valerianus plerumque auctor habetur Libelli, qui ſub C. Plinii nomine de Re Medica circumfertur 406. An iſte libellus totus quantus ex Plinii H. N. ſit compoſitus 408.
Plutarchus vir tempore Neronis illuſtris 337. Medicis

Medicis annumeratur ib. Scripta quanti habita ib. Vitam quis conſcripſit 338.
Podagra mulieres olim carnuiſſe traduntur 116.
Podalirius aeque medicus ac animoſiſſimus Dux 236, 241. Cur plerumque ab Homero Machaoni praeponitur 238. Magis morbos quam vulnera curaſſe legitur 239. Curationes 240. Honores 240, 242. Ejus in ſepulcro aegri ſomnia captabant 68.
Poëſin quando Romani acceperunt 506.
Poëtae nomini immortalitatem conciliant 451. Inter illos etiam plurimi ſervi numerantur 525.
Pollices cur victis abſciſſi 191.
Pollux medicinae praeſes 86.
Pontifices Maximi medici 422.
Praecipere medici dicuntur 439.
Privilegia medicorum 172. Ortus & progreſſus ib. Quaenam erant 174. Privilegia nobilium medicis quoque conceſſa 164. His privilegiis Chirurgi gaviſi non fuerunt 481.
Prophetae AEgyptiorum iidem ac Magi 426.
Pruritus ſenum unde? 208.
Pruſias, cujus nominis variae urbes 319.
Ptolemaeus Euergetes AEgyptiorum Rex rei herbariae peritiſſimus 226. Carmen Homeri correxit ib.
Punica ante bella apud Romanos fere nemo ſtudiis clarus 504.
Pythagorae aetas 272. Medicus 269. Legiſlator 432. Primus epiſtolis praefixit valere 108. Philoſophus primum vocatus 264. Auctoritas 266. Indi ſub Brahma nomine colunt ib. Effigies ubi invenitur 267. Scripta 272.

 Ra-

R.

Rabula unde dicitur 515.
Rachel uſu mandragorae fecunda reddita 134.
Reges AEgyptiorum medicinae amantiſſimi 222.
Rhetoricam quis primo Romae docuit 505. Rhetores qui ſervi fuerunt 520.
Romani plurimi qui medici fuerunt 455. Quare aliquando Graece ſcripſerunt 458. Paucas initio habuerunt leges 496. Athenas ſtudiorum cauſa petere ſolebant 501.

S.

S & *X.* ſaepe commutantur 229.
Sacerdotes & medici olim iidem 264. 423, 428, 432. AEgyptiorum Sacerdotes ex philoſophis creabantur & ex hiſce iterum Reges 428. Sacerdotes & legislatores Graecorum fuere iidem 432.
Salomon Rex medicinae peritus 182. Scripta 183. Ejus libellus de Remediis Morborum veſtibulo templi inciſus ab Ezechia deinde igne combuſtus fuit 95, 183. Egregie ſenectutis incommoda deſcripſit 184. An ſanguinis circulationem novit 209.
Samſon in ergaſtulo molens quomodo ſumendum 198.
Sancti inter medicos plurimi 422.
Sanitatis encomia 103.
Scabiei curatio 217.
Scholae medicorum exſtructae 97. Alexandrina omnium celeberrima 98. Ubi Romae fuerunt 99.
Schola Salernitana quando conſcripta 361. Flurima

ex

ex Macri ſcriptis deſumta continet ib.
Scordium gangrenae reſiſtere Caſus fortuitus docuit 45.
Scoti medicos habebant viros nobiles 423.
Scribonii Largi aetas 387. Ex gente Scribonia ortus 388. Aſclepiades fuit 389. An Graece ſcripſit 395. Negatur 497. Auctor duarum Epiſtolarum ad C. J. Calliſtum & P. Natalem 381. Etiam ſcripſit librum de Compoſitione Medicamentorum 389. Qui non integer ad nos pervenit 393. Editiones 398.
Senator Romanus medicus 470.
Senectus nil niſi morbus 185.
Senes cur cutem aridam habent, & illis vultus amoenitas perit 186. Cur in illis memoria labaſcit 187. Unde fit, quod judicio minus valeant 188. Cur tot morbis obnoxii 189. Silicerni quare dicti 206. Queruli 207.
Serapis vel *Sarapis* idem ac Apis & Oſiris 16. Medicinae Deus 16, 82. AEgros ſomno de ſanitate recuperanda monebat 64.
Sereni Sammonici AEtas 418. Nomen 417. An cognomen Sammonicus per duplex *m* eſt ſcribendum ib. Scripta 418. Editiones 419. Saepe cum patre confunditur 418.
Servi ad medicinam non admiſſi 165. Servi medicorum 471. Eorum munus 472. Eorum uxores proprie contubernales nominatae 469.
Seſorthus AEgyptiorum Rex medicus 225. AEgyptiorum AEſculapius dictus ib.
Sextii Nigri aetas 369. Quamvis Romanus tamen Graece ſcripſit ib. Effigies ubi exſtat 370.
Sextumvirale munus quid 468.
Sextus Philoſophus quando vixit 411.

Siburius male auctor Libri de Compoſitione Medicamentorum perhibetur 393. Nam Siburius eſt ſolummodo nomen fictum 394.

Silentio omnia premere medici eſt officium 35. Quod merito a medicinae candidatis jurejurando exigitur 166.

Smyrnaei medicos ſummo honore proſequuti 161.

Somnia pro ſalute recuperanda aegri in Deorum templis capere ſolebant 61. Quid de iis Viri Docti judicarunt 70. Quibus ritibus ſomnia capturus obſtrictus erat 71. Quamdiu haec conſuetudo obtinuit 72.

Soranus Epheſius verus Vitae Hippocratis ſcriptor 293.

Spurii ad medicinam non admiſſi 165. An aequum fuit 167.

Stagyris urbs Macedoniae 300. A quo diruta ac inſtaurata 308.

Statii nomen ſervile 525.

Sterilitas cur apud Hebraeos opprobrium 134. Sterilitati convenit mandragora 135.

Stranguria in ſenibus unde? 209.

Studia ſero Romae florere coeperunt 496, 504.

Suetonius minus recte auctor Vitae Plinii dictus 402.

T.

Tabulas curationem continentes ſanitati reſtituti in templis ſuſpendebant 92. An in illis ſolius partis affectae imago erat expreſſa 93. Quomodo conſcribebantur 95. Quo uſque hic mos obtinuit 96. Quem uſum medicinae hae tabulae praebuerunt 97.

Telamon medicus 235

Teu-

Teucer medicinae gnarus 235.
Thaddeus medicus ab Honorio Pontifice Max. ingentem pecuniarum ſummam accepit 152.
Thales medicis adſciſcitur 263. Etiam legiſlator fertur 432. Primus de rerum natura diſputavit 264.
Theſeus medicus 235.
Theſſali Hippocratis filii honores 160.
Tobias caecitate liberatus felle piſcis forte Callionymi 136.
Tremor artuum in ſenio unde? 235.

V.

Valleſius Philippi II. medicus laute remuneratus 152.
Vates & medici olim iidem 249.
Venae-ſectionem in phrenitide docuit Caſus fortuitus 44. In plethora Hippopotamus 46. In inflammatione oculorum Caprae ib.
Vindicianus medicus & Africae Proconſul 468.
Viprae veneno reſiſtit herba Mungos 47. Viperinae carnes lepram curant 49.
Virgilius poëta medicinae peritus 350. Sepulcrum ejus ut locum ſacrum poëtae poſteriores adibant 351.
Vomitoria in nauſea canes docuerunt 46.
Vota ab aegris pro ſalute nuncupata 74. Etiam ab eorum amicis ac cognatis 75. Pro ſalute Pincipum 76. Quando iſta vota ſuſcipi ſolebant 79. Sanitate recepta ea vota ſoluta 80.
Uſus medicinae 139.
Uxores ſervorum proprie contubernales vocatae 469.

X.

X *cum S.* ſaepe mutatur 229.
Xenophon Claudii Imperatoris medicus 336. Ex qua familia ib. Diſtinguitur ab alio Xenophonte Coo ib.

Z.

Zamolxis legiſlator prius ſervus fuit 509.
Zoroaſter Bactrianorum Rex medicus 223. AEtas 224. A Magiae crimine abſolutus ib. Scripta 224.

Ne Typographica errata, quae in iſto libello ſuperſunt, quibusdam cavillandi anſam praebeant, viſum eſt nonnulla adnotare: ut

Pag. 36. Linea. 24 *pro* Lib.II.AEn *lege* Lib. XI. AEn.
P. 39. L. 19 *pro* AEſculapio Minervae *lege* AEſculapio & Minervae.
P. 53. L. 21 *pro* affigeretur *lege* affigerentur.
P. 59. L. 14 *pro* poneret *lege* ponerent.
P. 93. L. 16 *pro* apellatur *lege* appellatur.
P. 140. L. 25 *pro* Edyll. II. *lege* Edyll. XI.
P. ead. L. 26 *pro* Cap. II. *lege* Cap. XI.
P. 193. L. 3 *pro* E. Bellinus *lege* Egregius Bellinus.
P. 195. L. 2 *pro* vitus *lege* viſus.
P. 198. L. 27 *pro* ſatim *lege* ſtatim.
P. 232. L. 22 *pro* fligenti appellat *lege* fligentia pellat.
P. 239. L. 23 *pro* Polemacrete *lege* Polemocrete.
P. 276. L. 13 *pro* In Ait. *lege* In Art.
P. 283. L. 1 *pro* plana *lege* plane.
P. 304. L. 17 *pro* aliorum *lege* aliarum.
P. 377. L. 4 *pro* vidit *lege* videt.
P. 379. L. 17 *pro* interponit *lege* interponat.
P. 482. L. 23 *pro* cunctantis *lege* cunctantes.
P. 425. L. 21 *pro* exaltabis *lege* exaltabit.

Saepius quoque Typographi incuria in accentu Graeco atque diſtinctionibus (.) rite ponendis erratum fuit, quae omnia indicari non merentur. Sunt & alia minoris momenti, ut cum *n* pro *u*, ac vice verſa *u* pro *n* ponatur, quae candidus Lector facile dabit & condonabit, non ſecus ac alia noſtra, quae deprehenderit, peccata.